

C. CORNELIVS TACITVS

C. CORNELII

TACITI

OPERA QVAE EXSTANT OMNIA

EX RECENSIONE

IER. IAC. OBERLINI.

TOMVS QVINTVS.



AVGVSTAE TAVRINORVM
EX TYPIS VIDVAE POMBA ET FILIORVM.
ANNO MDCCCXXI.

EXCVRSVS

G. BROTERII ET I. PICHONIS,

AD OPERA C. CORNELII TACITI.

HISTORIARVM LIBER PRIMVS.

MORS NERONIS

ET INITIVM PRINCIPATVS GALBAE. *

Anno Urbis conditae 821, Galerio Trachalo et Silio Italico coss., Caius Iulius Vindex; qui Galliam Lugdunensem propraetor obtinebat, postquam privatis saepe insidiis petitum Neronem, irrito semper eventu, vidit, primus extulit publicae aggressionis signum, apertum professus hostem. Vindex domo erat senatorius, origine Gallus, et priscorum apud eos regum sanguis; corpore validus, ingenio acer; manu promptus, belli sciens, et praefidentis, quo rapienda inclinaret occasio, animi. Pacata eius provincia erat, et propterea inermis; nusquam legionum aut cohortium stativa, nusquam praesidium. Sed tamen ut in corpore aegro, et peccantium humorum iniuriis obnoxio, primus aut qui undecunque ingruit morbus et dolor, etsi levissimos, facile proximo alterius contagio invalescit, et quatit cietque in noxae societatem totam latentis interius mali sentinam: sic ubi passim laborat respublica, qui primus laxata obedientia rebellat, ac detrectat imperium, in omnem turbarum licentiam praeit. Neque raro evenit, ut, sublato principe malo, qui novus et melior successit imperator, tamen citra ruinam non subsistat. Vindex ergo, priusquam arma ostentaret, excussis diligenter quae ad se pertinerent, scilicet quod nec imperii satis capax esset, extraneus scilicet, nec factione validus, neque sibi ob-

* Supplementa haec libavit excerpsitque Henricus Savilius, vir doctissimus, ex Plutarcho, Suetonio, Dione, et ex Tacito ipso; quibus praemissis, facilius et clarius transitur ab Annalibus Taciti, quorum finis invidia fatorum interceptus est, ad alterum eius opus, Historias scilicet bellorum civilium. Haec primum vulgari idiomate anglico composita, dein Latio sinistre donata, ac multis locis subobscura, nos cum auctoribus unde hausta sunt sedulo contulimus, purgavimus, atque elucidavimus.

strictos in partibus proceres romanos haberet, decrevit designata animo exsequi auspiciis alienis, et se vertere, quo eum auctoritas et fama, quaeque auxilii spem faceret, necessitudo pluribus innexa, ac potentia vocarent. Corbuloni nuper sicarius immiserat Nero, et Vespasianum Iudaico bello distinebat. Suetonius Paullinus haud procul agebat, sed sine exercitu: is certe supra reliquos temporis sui duces militari laude floruit. Verginius Rufus Germaniae Superiori praeerat cum tribus legionibus, Vindici in proximo, sed familiae ignobilioris. Germaniam Inferiorem obtinebat Fonteius Capito cum quatuor legionibus; Africam Clodius Macer cum iusto exercitu; sed uterque ex sua opinione impar restaurandis, quae Nero subverterat. Restabat Servius Sulpitius Galba, cui magnae opes, vetus in familia nobilitas. Is octo annis rexerat moderate Citeriorem Hispaniam, nunc quoque legione et auxiliis instructus. Vindex, quum urgere quae agitabat animo statuisset, in Hispaniam et alio clam literas misit, propositi sui apud legatos provinciarum interpretes. Galba per senium languida ambitione, et qui metu temporum in desidiam segnitiemque conversus erat, ne votis quidem principatum conceperat; et, ille iam ante quietis avidus, a publicis negotiis secesserat intra obscurum vitae genus. Terrebat scilicet Nero, sub quo, quum non impune semper liceret malefacere, certe benefacere nunquam periculo caruit; et quia, ut aiebat ipse Galba, *nemo rationem otii sui reddere cogeretur*. Acceptis literis Vindicis perculsus Galba, et quid ageret, incertus. An induci se a duce Gallo statim pateretur? Quid si hoc involucro fraus tegeretur? An rem proderet, ac Neroni mitteret literas? sic suspiciones sereret nunquam extricandas, continuo arcessiti sibi ab aliis periculi metu trepidaturus. Forte nec dolus suberat, quicquid opinione sibi confingeret fallaciae. Ex istis ambiguis, quorum extrema eum certissimo obiiciebant discrimini, medium eligere placuit: suppressis literis, ad ulteriora progredi noluit, exspectaturus dum hus eluctata angustias fortuna ipsa, rebus et consiliis viam lucemque aperiret. Alii suas ad Neronem literas misere legati, prodito Vindice, et rebellionis flagitio, cui paullo post se ipsi obstrinxerunt. Vindex ergo paucis post kalendas Martias diebus, nondum in solido locata spe quam de Galba et felici rerum successu conceperat, advocata concione eorum, quos in provincia sua dignitate et opibus conspicuos habuit, tyrannice a Nerone gesta omnia, veluti per tabulas recensens, quomodo scilicet immanissime expilasset Galliam, quaeque alia in plurimorum perniciem et florentissimae regionis ruinam struxerat, suadebat: *Sumptis armis, se, Romanus, et conflictantem cum ista peste orbem assererent. Et si forte*, inquit, (*quod abominor*) *invitis haec Diis malimur, eamus, audaces, et quem vexatum undique spiritum trahimus, armati pugnantesque profundamus patriae vindicem. Nec quaerendus procul princeps* (*sic dico, quia omnia iam in peius inclinata, et ignota seculo nostro virtus, sperare non patiuntur reipublicae libertatem*) *quem familiae decora, insignis potentia, et spectata ubique virtus, tanto fastigio dignum extulerunt. Galba est, Hispaniae Tarraconensis legatus; quem si admittitis, nihil restat, nisi ut habeantur per provinciam delectus; sine quibus, nec tanta molitio subsistit, et vobis quoque excidium imminet.* Secuto assensu, protinus animum adiicit conscribendis et sub signa redigendis hominibus, magna quidem, sed

raptim collecta, et belli fere militarisque disciplinae inexperta multitudine. Propositis edictis infamat Neronis imperium, quod publice in Galbam transferebat, scriptis ad eum literis, *ut humano generi assertorem ducemque se accommodaret adversus illud naturae monstrum, ducemque se praeberet armatis centum Gallorum millibus, robore et numero augendis, ubi id posceret necessitas.* Sequani, Aedui, Arverni, Rhemi, Galliae totius flos, in partibus erant; equis, armis, pecunia, et quae porro expeditio bellica flagitat, collatis. Rufinus, Flavius, Asiaticus, aliique duces Galliae electi, et Vienna belli sedes. Sed infesta Lugdunensium civitas vicina, quae aut adversata Gallis suis et caussae, aut caussae propter ipsos est. Frequentibus pugnis, crebris velitationibus se fatigabant vicinae civitates, oppidana aemulatione, animis ita exacerbatis, ut facile quis coniiceret, quaesitum ex publico praetextum privatis vindiciis. Lingones quoque, Treveri, et aliae urbes suis popularibus desertis, foederatae germanicis legionibus accesserunt. Verginio tres parebant legiones, earumque auxilia; qui quum videret armis atque discordiis fervere Galliam, et aut faciendas sibi partes, aut in factas transeundum esse (dato illis rebellium titulo, donec praevaluissent), privatim Neroni inimicus, ob caussas ex publico, nullo in Galbam studio, et Vindici iratus, quod, novo exemplo, provincia obtruderet principem, nihil agere certus, nisi hoc tantum, quod alieno arbitrio versatilem se praebere nollet, statuit defensioni suae invigilare, ne ad id cogeretur quod nollet, contractis undique raptim copiis, ea virtute et fama belli, ut quocunque se vertissent, imperium translaturae viderentur.

Ex altera parte legatus Aquitaniae, adversus Galliae motus imploravit a Galba auxilium, qui tum Nova Carthagine conventus agebat. Sed mox sensit se inconsideratius egisse. Galba enim, acceptis a Vindice literis, et iam comperto procuratoribus Neronis mandatam ipsius mortem, amicis rem discutiendam denuo proposuit. Qui se suaque periclitari nollent, rogabant, *ulterius se non ingereret; sed expectaret quo Roma novis excita motibus inclinaret. Praeveniri posse legatos provinciarum, et satis mature armari qui sic admoneatur.* Titus Vinius, legionis legatus, et in flagranti apud Galbam gratia, tutiora iudicabat circumspicienda. *Tempori,* inquit, *hoc da, et in procuratorem unum et alterum intentus, copias praesto habe. Sane si vel suspendio paucos istos hic e medio tollere possemus, defuturos putas in necem nostram carnifices? Ferrum in Neronem porrige, stringendum ex occasionis nutu. Forte, inquies, mitiora sequetur Nero, nondum consummata defectione. Sed boni etiam principes imperii sui maiestatem acerrime aemulantur, et cuiuscunque etiam levissima temeritate attentatam severissime asserunt, atque ulciscuntur. Quam misere se dediderunt, qui affectato, licet incaute nec sponte, regno, lacessere ausi sunt principes, qui diadema suum adversus iniuriae vel tenuem suspicionem, cautissime simul et atrocissime vindicarunt? Germanicus impe-*

Nova Carthagine. Carthago Nova, urbs Contestanorum populorum, in Hispania Tarraconensi sive Citeriore et ad mare Ibericum, hodie Carthagena, urbs regni Murciae, in Hispania recentiore, paret regi Catholico.

TILLEMONIVS.

ritanti Tiberio, ut aliqui vestrum adhuc meminerunt, quod pauci eum principem consalutare voluissent, semper invisus fuit, donec morte sua expiasset alienam temeritatem. Corbuloni, isti, inquam, Corbuloni, qui Germaniam pacaverat, Armeniam ad obsequium redegerat, parthici equitotus ferociam contuderat, Arsacidorum progeniem Neroni supplicem fecerot, tom gloriose gesta verterunt in perniciem, quod tacite ex quorundam sententio, et vulgi famo, velut aptus principatui monstraretur. Reos nos, ut niunt, iam perogit armata secessio. An ille conmiseratione tangeretur, quem nihil unquam poenituit, nisi forte quid bene fecisset? Exspectet, cuicunque libuerit, ex urbe, ubi perdita libertos, virum parem asserendis in libertatem ceteris mortalibus: hanc certe sola Galbae et Vindicis arma nobis spondent. Haec sola nos arma iam vindicare possunt. Haec quum aliis consiliis antehabenda esse suaderet veri species, et in tantum valida, ut assensum diutius suspendi non pateretur, Galba diem dixit, quasi manumissioni vacaturus. Ex agris provinciales ad praestitutum tempus confluunt, suspicionibus facile, quasi aliud ageretur, distracti. Galba, propositis ante se damnatorum occisorumque a Nerone quamplurimis imaginibus, et adstante nobili puero, quem exsulantem, ex proxima insula Baleari ob id ipsum acciverat, circumfusos milites sic adlocutus est: *Adsumus, Commilitones, servis libertatem praestituri, ut et alii per nos tam ingenti beneficio gaudeant, quod nobis hactenus vix integrum fuit, quibus tamen natura et fortuna illud indulsit. Ex prioris vitae instituto facile constat, me nulla ambitione trahi ad spes novas, adeoque testatur mihi animus, nec per malignitatem quid tentare, et privota etiam civium saluti me posthabere. Dolet exprimi has voces, sed celari negant quae in omnium oculis gesta sunt. An immanius unquam habitum vel uno anno mancipium, quam nos quatuordecim per annos sub Nerone? Quo genere tributi non exhausit rempublicam, ut extorsionibus per scelus profusa ac perdita suppleret? Qua abstinuit crudelitate? Nobis dissimulantibus, ipsa clamitarent saxa. Veneno grassatus est in patris fratrisque necem. Nihil in divexanda matre pensi habuit, donec incesto pollutam occideret. Uxorem, praeceptorem, et quoscunque virtute conspicuos in senatu, Romae, aut in provinciis sciret, nullo sexus aut aetatis discrimine, e medio sustulit. Quid anxia suspiria et lacrimas memorem tot nobilium, quorum ille patres interemit; tot uxorum, quarum maritos; insignium virorum, quos in exsilium eiecit? quasi fatis in crudelissimum principem vindictam festinantibus. Principem? immo incendiarium, cantorem, citharoedum, histrionem, quadrigarium, praeconem; immo ne virum quidem, qui viro, et cui vir denupsit. Monstrum et propudium generis humani. Puto vobis ex fama innotuisse Vindicis in Gallia molitiones. Me quod attinet, indoleo. Prior vita, ab omni seiuncta ambitione, captandis dignitatibus abstinuit; et quantum mihi temporis superest, malim placide, extraque turbas transigi. Sed quum, nescio quo fato, seu decus, seu munus quod nunquam optavi iuvenis, nedum hac ingravescenti aetate, aliorum mihi vota imponant, committere non debeo, si vos habeo assentientes, ut publicae saluti non impendatur ultimus spiritus hic, quo senile corpus animatur; neque Iulius imperotor, vel Augustus Caesar, odoronda mihi eminus nomina, nec accessu propiore violanda, nunc bello lacessuntur.* Sed nondum finitam orationem turbat

militom et populi clamor, imperatorem consalutantium. Galba, laudato eorum erga salutem publicam studio, accepta re, nomine repudiato, legatum se senatus ac populi romani professus est. Proxima cura foit copiis militaribos sese firmare, et invidiosum nomen turbis detrahere: obtulit se provinciae plebs miro undique confluxu. Novae legiones et auxilia conscribebantur, iuvitque necessitatem casus, qui navem Alexandrinam appolit armis onustam, sine gubernatore, sine nauta, ac vectore ullo. Magnum accessit fortuna haec ad rei summam momentum; ut iam nemini dubium esset, iustum piomque et faventibus diis bellum suscipi. Deiude ex praesentibus, qui prodentia et aetate praestarent, velut instar senatus instituit Galba, et equestris ordinis iuvenes delegit, qui excobias circa cubiculum suum vice militum agerent. Etiam per provincias edicta dimisit, auctor *singulis universisque conspirandi*; *simul, et, ut qua posset quisque opera, communem caussam iuvarent.* Multi, deserto Nerone, in eius partes transibant, et inter primos M. Salvius Otho, tunc Lusitaniae rector, collata supellectile pretiosissima excudendae pecuniae. In Germania Superiori, exercitus, perspectis Neronis viribus plurimum imminutis, Gallia in apertam rebellionem excita, Hispania principem ostentante, aliis provinciis nutantibus, totque votis in unum licet imperatorem non conspirantibus, Neronem tamen palam hostiliter peti; considerato robore, quo nunc collectus valebat, qui ante in cohortes et turmas per praesidia dispersus esset; a Galba alienus, et contumelia ferox fremensque, ab una legione sibi principem imponi, statuit transferendi principatus gloriam occupare. Et in proximo erat, qui tanti beneficii honoribus par esset, Verginius Rufus legatus, et qui, domo licet minus nobili, attamen virtute, fama, rebus gestis, et quicquid aestimantibus in praerogativa est, Galba potior censebatur. Hic, inquiebant, *gentilitiis imaginibus si anteire dicatur, at Catulus, gentis caput et decus, turpi fuga in bello adversus Cimbros sibi consuluit, ubi Marius, natalium obscuritate infra Verginium, constantiam suam, armis vindicata republica, adprobavit.* Sicque imagines Neronis passim deiectae in castris; et magnos inter tumultos Verginius consalutatur *princeps*, eiusque nomen signis militaribus inscribitur. Ille, adulta rebellione, atque militibos huc compellentibus impar, videbatur accessorus molitionibus in Neronem; sed nulla pro se ambitione incitus, et multo minus studio alicuius qoi exteris aut aliis legionibus placuisset, trahebator. Neque enim ille intendebat, immo despicere videbatur imperium, quod flagrante multorum ambitu petebatur; certus non admittere principem, nisi quem liberis suffragiis senatus elegisset: *Penes senatum esse arbitrium et ius, quod nullius insolentia delibari pateretur.* Pacatis utcunque militibus, delendae inscriptionis auctor fuit, totumque exercitum in Galliam rapuit, oppugnandi Vindicis praetextu. Obsessa Vesontio est, postquam recipere Verginium abnuit. Vindex viginti armatorum millia educit, urbi liberandae, aut, si casus daret, proelio. Castris non longo intervallo dissitis, literae utrimque commeabant. Secutus mox congressus clanculum, omni-

Vesontio. Urbs Sequanorum populorum in Lugdunensi quinta, Galliae provincia, hodie *Besançon*, urbs comitatus Burgundiae, paret regi Franciae.

TILLEMONIVS.

busque submotis, eventu placido, et directis haud dubie in Neronem utrinque viri consiliis; neque a vero abest, cogitatum etiam esse de reiiciendo Galba. Amice ergo discedunt in sua quisque castra. Vindex dubio iam extricato securior, minima pugnam cogitans, ingredi Vesontionem statuit, fovendis a profectione militibus. Germanici in excubiis ad moenia quae ipsi obsidebant, quum viderent appropinquantes Vindicis copias, et peti se putarent, inscii quid inter duces actum foret, neque occasioni defuturi, non exspectata iussione legati, inopinaqua aggressione, Gallos turbatis ordinibus incedentes invadunt, quos restituere raptim non patiebatur belli ignara multitudo. Internecione ergo prope deleti Galli, direptis etiam impedimentis. Vindex infausto subitanei atque inopini proelii eventu, quum periisse sibi cerneret ipsum Galliae florem, et suspecta Verginii fraude, quasi dolo et per insidias captum ipsum transmissurus esset ad Neronem, gladio suo incubuit. Persequentium legionariorum multi cadaver vulneribus confodiebant, sibique falso adrugabant gloriam, quasi interfecissent Vindicem, spe praemii, si forte Nero vicisset. Postquam sic pugnatum esset, rursus ad principatum suscipiendum Verginius militum vocibus compellebatur; quibus et accesserunt aliarum legionum legationes, offerentes *quod in se esset auxilium, aut alioquin redituros ad sacramentum Neronis.* Verginius, deplorato infelicis amici casu, abnuebat colloquium, Galliae interiora aditurus. Hunc exitum habuit Iulius Vindex, vir ardui potius conatus quam fausti, qui imparatus ab exercitu rite instructo, nulla legione, nullis in provincia sua militibus, et dum alii duces, quibus vires et faventior fortuna, eminus tam periculosas molitiones inspectarent, bello lacessere ausus est principem, cui triginta legiones in armis; cumque principatu per quatuor Caesares e maioribus suis ad se devoluto, suaque insuper quatuordecim annorum administratione subnixum. Quem ducem non privata desperatio impulisset in reipublicae exitium, aut vindicta ob perditam gratiam, aut dedecus aliquod, arripere suasisset imperium (ampla novis rebus materies); sed ut incubantem patriae tyrannidem propulsaret, affectu tam acri, ut vilis ipsi vita et securitas videretur. Quum enim ei renuntiaretur, Neronem, edicto *caput eius venale proposuisse pretio decies mille sestertium*, respondit: *Qui obtruncati Neronis caput mihi obtulerit, meo invicem donatus obibit.* Et quamquam fortuna abstulit virtutis usum, et infesta eo casu fata, humanis consiliis flecti nescia, intercesserunt coeptis audacibus, fatendum tamen, Vindicem primum lapidem movisse, qui, sensim provolutus, Neronem solio deturbavit. Ille Neapoli de motu Galliarum cognovit circa vigesimum diem Martii; adeoque lente et secure tulit, ut nihil ex consuetudine luxus atque desidiae omitteret vel imminueret, sed gaudentis etiam suspicionem praeberet, tamquam occasione nata, spoliandarum iure belli opulentissimarum provinciarum. Coenae tempore

Decies mille sestertium. Gallicae monetae 752,500 franci.

Neapolis. Urbs Campanorum populorum ad mare Tyrrhenum, hodie *Napoli* Italis, *Naples* Francis, urbs Terrae Laboris in regno Neapolitano.

TILLEMONIVS.

interpellatus tumultuosioribus literis, hactenus excanduit, ut *malum iis,*
qui descissent et hilaria sua turbarent, minaretur; ita ut per octo con-
tinuos dies non rescriberet cuiquam, non mandaret quid aut praeciperet,
et rem silentio obliteraret. Edictis tandem Vindicis contumeliosis et fre-
quentibus permotus, senatum epistola in ultionem sui, reique publicae,
adhortatus est, excusato languore faucium, propter quem non adesset.
Cetera convicia Vindicis, *ut falsa*, non alio argumento refellebat, quam
quod etiam inscitia tantopere laboratae perfectaeque a se artis obiiceretur;
singulos subinde rogitans, *nossentne quemquam praestantiorem.* Senatus,
acceptis literis Neronis, seu adulatio, seu metus fuit, *Vindicem perduel-*
lionis damnat, qui idem senatus paullo post Neronem eodem titulo infa-
mavit. Sed urgentibus aliis super alios nuntiis, Romam Nero praetrepidus
rediit. Ac ne tunc quidem aut senatu, aut populo coram appellato, quos-
dam e primoribus viris demum noctu evocavit, tamquam deliberaturus de
re gravi, transactaque raptim consultatione, proposuit quae in musicis
nova excogitasset, per organa hydraulica novi et ignoti generis; ostendens-
que singula, de ratione ac difficultate cuiusque disserens, addebat, *reper-*
tum sibi, quomodo graviore et vegetiore sono audirentur, iamque etiam
prolaturum omnia in theatrum affirmavit, *si per Vindicem liceat.* Sed post-
quam deinde Galbam et Hispanias descivisse cognovit, collapsus animoque
male fracto, diu et sine voce et prope intermortuus iacuit: utque resipuit,
veste discissa, capite converberato, actum de se pronuntiavit. Nec conso-
lationem admisit, donec senatus Galbam, tamquam *hostilia in rempubli-*
cam agitasset, proscriberet. Et quum prosperi quiddam e Germania nun-
tiatum esset, rediit ad mores luxu et infanda securitate perditos. Galbae
servis in carcerem coniectis, bona eorum hastae subiecit. Consimilia egit
in Hispaniis Galba, bonis Neronis ibidem per auctiones distractis, sed
meliore fortuna fori: multos promptiores ad emendum reperit, quam Nero.
Initio statim tumultus, multa et immania creditur destinasse: *succes-*
sores percussoresque submittere legatis, exercitus et provincias regen-
tibus, quasi conspiratis, idemque et unum sentientibus: quicquid ubique
exsulum, quicquid in Urbe hominum gallicanorum esset, contrucidare:
illos, ne desciscentibus aggregarentur; hos, ut conscios popularium suo-
rum atque fautores: Gallias exercitibus diripiendas permittere: senatum
universum veneno per convivia necare: Urbem incendere, feris in po-
pulum immissis, quo difficilius defenderetur. Sed absterritus, non tam
poenitentia, quum non abhorrerent haec a natura eius, quam perficiendi
desperatione, credidit expeditionem necessariam, praemisso interim Pe-
tronio Turpilliano et Rubrio Gallo, aliisque ducibus. In praeparanda ex-
peditione primam curam habuit deligendi vehicula, portandis scenicis
organis, concubinasque quas secum educeret tondendi ad virilem modum,
et securibus peltisque amazoniris instruendi. Mox tribus urbanas *ad sa-*
cramentum citavit; ac nullo idoneo respondente, *certum dominis servo-*

Amazonicis. Amazones, populi Sarmatiae Asiaticae ad meridiem, hodie Tartari Circassii vel Circassia, inter Moscoviam et Georgiam. Fuerunt etiam Amazones in Ponto, regione Asiae minoris, et ad Pontum Euxinum.

Tillemonius.

rum numerum indixit. Partem etiam census omnes ordines conferre iussit, plerisque omnem collationem palam recusantibus. Ut enim arma civilia minime procedunt sine stipendiis, neque temere subditos novis divexat tributis prudens princeps, ubi maxima eorum agitur benevolentia, qui simul et corpore obsequium debent: Nero pacis tempore futuri improvidus, et belli sustentandi praesidiis destitutus, offendere tum cives cogebatur, quum conciliare animos populi romani praecipue debuisset. Sic nihil in rem suam confecit, eo magis adversantibus subiectis; et accedente ad malam famam adversae factionis potentia. Ex imperii et militiae arcanis, unum sibi ad summae fiduciae spem superesse affirmavit familiaribus: *Simul ac primum provinciam attigisset, inermem se in conspectum exercituum proditurum, nec quidquam aliud quam fleturum; revocatisque ad poenitentiam defectoribus, sequenti die laetum inter laetos, cantaturum epinicio, quae iam nunc componi sibi oporteret.* Interim dum Nero in Galbam et Vindicem arma expedit, nuntiator prandenti *Verginii et ceterorum exercituum defectio.* Ille velut amens literas sibi redditas concerpsit, mensam subvertit, duos scyphos gratissimi usus illisit solo, et abiecta sui cura, quamvis non propius admoto periculo, *venenum* poscit, in *auream pyxidem conditum*, *ne indecora morte tolleretur*, transiitque in hortos Servilianos; ubi, praemissis Ostiam libertorum fidissimis, fugam in Aegyptum tentavit, quaesiturus ex musicae studio victum; imaginaria ibi securitate, quam imperatori Roma negabat. Sed tribunis centurionibusque praetoriis partim tergiversantibus, partim aperte detrectantibus fugae societatem, uno etiam proclamante, *Usque adeone mori miserum est?* varia agitavit, *Parthosne adiret aupero beneficia obstrictos, an Galbam supplex peteret? an atratus prodiret in publicum, proque rostris, quanta posset maxima miseratione, veniam praeteritorum precaretur, ac ni flexisset animos, vel Aegypti praefecturam concedi sibi oraret?* Placuit illud, et inventus est postea in scrinio eius hac de re sermo formatus. Sed deterritum putant, ne, prius quam in forum perveniret, discerperetur; et cogitatio in posterum diem dilata est.

Interea Nymphidius Sabinus et Sophonius Tigellinus, qui tum praetorias cohortes regebant, et qui, obscuro genere, haec virtutum praemia per scelus, ac beneficio Neronis adepti erant, primi eum deserunt produntque. Sed Tigellinus infamia sua et publico odio invalidus; Sabinus prospera militum fama florebat; qui, affirmato, *Neronem fugae delegisse Aegypti latebras*, et facta praetorianis donativi spe, *Galbae nomine, trigesies mille sestertium et quinquies in legionarios*, plus quam aut posset aut vellet, facile persuasit ipsis ut desererent principem, a quo (ut putabant) desererentur, et in Galbae verba iurarent. Neque favori quo ceteros duces praecelleret Galba id tributum est; sed dum alii dubita-

Hortos Servilianos. Quo loco vel qua Romae urbis regione fuerint horti Serviliani, non liquet.

PANVINIVS.

Trigesies mille sestertium. Singulis gallicae monetae 2,357 fr. 50 cent.

Quinquies. Sunt gallicae monetae 576 fr. 25 cent.

rent, alii recusarent, et nullo competitore certaret Galba, imperium ei delatum est. Praetoriani qui in excubiis erant apud principem in hortis, dum futura prospiciunt, et commilitonum consiliis se immiscere gestiunt, quibus de creando novo principe agebatur, dormiente Nerone, se subducunt. Ille, ad mediam fere noctem excitatus, ut comperit stationem militum recessisse, prosiluit e lecto, misitque circum amicos. Et quia nihil a quoquam renuntiabatur, ipse cum paucis hospitia singulorum adiit. Tantus imperator, prius adoratum mundo caput, amicorum, militumque instructissimo comitatu, et expeditis omnium obsequiis, nunc servuli in morem, fores uberrat, quas infelici sibi clausas reperit! Ita urgentibus adversis, consiliaque et solatia notissimorum praeripientibus, in cubiculum rediit, unde iam et custodes diffugerant, direptis etiam stragulis, amota et pyxide veneni. Requisivit ergo *Sulpicium gladiatorem, vel quemlibet alium percussorem, cuius manu periret.* Nemine reperto, nec amico, nec inimico, procurrit quasi praecipitaturus se in Tiberim; sed revocato rursus impetu, aliquid secretioris latebrae ad colligendum animum desideravit; et offerente Phaonte liberto suburbanum suum, circa quartum milliarium, fugit nudo pene atque tunicatus, quatuor solum cumitantibus, Phaonte, Epaphrodito, Sporo et Neophyto, obsoleta in veste, ueque prorsus militarem in modum, adopertoque capite, et ante faciem obtento sudario. Dum festinus urget iter, audiit ex proximis castris clamorem militum, *et sibi adversa, et Galbae prospera ominantium.* Equo in via consternato, et ad latus deflectente, detecta facie agnitus est a quodam missitio praetoriano, et salutatus. Ut ad diverticulum ventum est, dimissis equis inter fruticeta ac vepres, per arundineti semitam aegre ad adversum villae parietem evasit. Ibi hortante eodem Phaonte, ut *interim in specum egestae arenae concederet*, negavit *se vivum sub terram iturum*; ac parumper commoratus, dum clandestinus ad villam introitus pararetur; atque ita quadrupes per angustias effossae cavernae receptus in proximam cellam, decubuit super lectum modicella culcita.

Interim Romae a senatu *hostis iudicatur, dignusque qui puniatur more maiorum*: et iam quaerebatur ab iis quibus praeceptum erat, ut vivum eum attraherent. In principatum autem successur, etsi tacitis omnium suffragiis Verginius designaretur, qui a senatu exspectare posse credebatur hoc beneficium, quum ad eum retulisset arbitrium eligendi, patres tamen, metu ne in novas belli civilis turbas revolverentur, quum submoveri alioquin occupato iam loco Galba non posset, militum exemplo, in Galbam consenserunt. Tum unoquoque circa Neronem hinc inde instante, *ut quam primum se impendentibus contumeliis eriperet, funeralia instrui* iussit, flens ad singula, atque identidem dictitans: *Qualis artifex pereo!* Inter moras perlatos a cursore Phaontis codicillus praeripuit, legitque se a senatu hostem iudicatum, et quaeri ut puniatur more maiorum. Interrogavitque *quale esset id genus poenae*; scilicet ignoto sibi tales sanctiones condendi more! Quum comperisset, *nudi hominis cervicem inseri furcae, corpus virgis ad necem caedi*, conterritus, duos pugiones, quos secum attulerat, arripuit; tentataque utriusque acie, rursus condidit, ac orabat, ut se aliquis ad mortem capessendam exemplo suo iuvaret: quod frustra ab inerti aula, et per luxum ac infamiam nequis-

sime emollita, sperabat. Iamque missi a senatu equites appropinquabant; quod ut Nero sensit, ferrum iugulo adegit, iuvante Epaphrodito a libellis, qui a Domitiano postea occisus, istius obsequii pretium tulit, iudicante, *non dignum spiritu, qui quaecunque modo eum principi expressisset.* Hunc vitae exitum habuit Nero vita pudendus, imperio in publicum odium adducto, nullo nec metu nec amore subiectorum, secundo et trigesimo aetatis, ac decimo quarto imperii anno, octavo die Iunii, haud modica sub initium imperii gratia, ut dicere solitus fuerit Traianus, *bonos etiam principes non adaequasse famam Neroniani quinquennii.* Sed mox quum erupisset in quodlibet licentiae et crudelitatis genus, lentus in negotiis, valido tantum in flagitia ingenio; sic tandem oppressus periit.

Post eius mortem populus et inprimis nobiles, in quos praesertim saevierat, sacra Diis fecerunt, actis quasi per publicum gaudium festis. Alii quoque pileati tota urbe discurrerunt, quasi parta libertate. Senatus de novo censuit, *gratias Nymphidio agendas, laudataque eius prudentia et reipublicae cura*, Galbae decrevit consuetos principis honores, et factum super ea re senatusconsultum; ut quam celerrime ad eum mitteretur, aules operam dederunt. Decreta quoque legatio ex primoribus, addito mandato, praeter gratulationum sollennia, ut rogaretur *Romam properare.* Tum et in senatu propositum, *ut in accusatores inquireretur.* Spectabat id ad multos ex potentissimis, qui proximorum pernicie vixissent; et sic quodammodo convellebantur arcana imperii, eversis eius praesidiis. Nihilominus tamen illi adeo exsecranda facinora perpetrarant, et adeo recens scelerum memoria erat, ut senatusconsulto *omnes delatores, eum reliqua Neronis factione, iudicarentur puniendi more maiorum.* Sed in paucos tantum ex infimis id valuit, ex quibus nec insignia in alios damna, si salvi forent, nec in rempublicam commoda exstabant, si damnarentur, maioribus facile eludentibus periculum.

Is erat in Gallia et in Urbe rerum status, quum repente ex inopinato cuncta turbata sunt in Hispania, militesque, poenitentia mutati sacramenti, destituere Galbam voluerunt, aegreque retenti in officio; et servi, quos a liberto Neronis ad fraudem praeparatos muneri acceperat, per angiportum in balneas transeuntem pene interemerunt, nisi cohortantibus invicem, *ne occasionem omitterent*, interrogatisque *de qua occasione loquerentur*, expressa cruciatu confessio esset. Accessit ad tanta discrimina mors Vindicis, urgebaturque Verginius a legionibus suis, ut *quasi iure victoriae sibi debitum principatum acciperet; aut alioquin ipsas ad Neronem redituras.* Maxime consternatus Galba, per literas a Verginio petiit, ut *secum iunctus pro libertate et romano imperio curas capesseret.* Ipse tamen, destituto similis, Cluniam se recepit, facti poenitens, et privatam vitam respiciens, quasi inter summum et infimum hic esset medio locus. Ita varie anxius egit, nec multum abfuit quin vitae renun-

Cluniam. Clunia, urbs Arevacorum populorum et Cluniensis conventus, in Hispania Tarraconensi sive Citeriore, et ad Durium fluvium, hodie *Currion del Conde*, burgus Castellae Veteris prope fluvium *Douro*, et urbem *Osma*, in Hispania hodierna, paret regi Catholico.

TILLEMONIVS.

tiaret. Sed tum septimum intra diem Icelus libertus Roma profectus adest,
qui renuntiat, vivente adhuc Nerone, sèd latente, a praetorianis primum
militibus, dein a populo etiam et senatu Galbam imperatorem electum,
et paullo post de spontanea neee Neronis esse allatum in Urbem nun-
tium, et huic tamen nuntio non ante se fidem adhibuisse, quin ipse ac-
currisset, et cadaver propriis oculis perlustrasset; eo viso, se tandem
Urbe profectum venisse ad Galbam. Biduo post Vinius e castris capita se-
natusconsulti attulit. Galba, inopinatu eventu laetus, Icelum ornat an-
nulis aureis, Vinium summo apud se loco habet, depositaque legati, su-
scipit *Caesaris appellationem.* Cornelius Laco donatur praetorii praefe-
ctura; et Romae, stabiliendis rebus, quum praesentiam suam requiri,
atque ex usu fore arbitraretur, *indicit profectionem, exercitu terra ituro.*
Nymphidius auctorem se interfecti Neronis, et navati pro principatu
laboris mercedem aliam non esse praeter ipsum principatum ratus, *Gal-*
bae quoque *senium* increpans, *quem Roma diu ferre non posset*, prin-
cipem egit, adrogavitque sibi imperii instar, non per gradus, sed cum
magno impetu. Praetoriano militi gratus ob donativum erat, prono et
facili, quocunque duceret, obsequio. Et primores senatus, gratiam sina
captantes, videbatur etiam sibi obstrinxisse, ita ut sui iam oblitus, Ti-
gellinum socium i beret *deponere gladium.* Consules, quod *codicillos non*
misissent per praetorianos milites, nec mandata cursorum obsignassent
ipsius annulo, decreverat abdicare; et rei porro suae intentus, convivio
excipit qui in civitate erant eminentioris fortunae, nomine Galbae tamen,
in speciem: et simul tacite milites inducere conatur, quo Galbae sup-
plicarent, *ut Nymphidium faceret praefectum praetorii perpetuum et sine*
collega. Utque licentiae hamo populi militumque animos deliniret, de-
dit saeviendi potestatem in Neronianae factionis reliquias. Spicillum gla-
diatorem Neronis imagini alligatum, publiceque raptatum in foro truci-
darunt. Aponius delator oppressus est, per cuius cadaver impulerunt
graves saxis currus; ne alios contumeliose habitos caesosque commemo-
rem; quosdam etiam discerpserunt, ut nullo metu grassantis vulgi mos
est, omni culpa vacuos. Et in senatu audita querentis Maurisci vox est,
fore ut brevi optent, restitui sibi Neronem, quum magis toleranda sit
unius quam plurium tyrannis, tutiusque vivi, ubi nihil licet, quam ubi om-
nia. Ita Nymphidius, natus Nymphidia liberta, diuque aulico exercita
famulitio, et Martiano gladiatore patre, insidiabatur et imminebat impe-
rio, sibique id rapiebat, opera feminarum illustrium, et quorum Romae
in senatu valida auctoritas erat, misso quoque in Hispaniam Gelliano,
qui explorandis Galbae consiliis intentus esset.

Macer in Africa, rebus iam turbidis, delectus agit, principemque sibi
locum destinat; sed eum avaritia et crudelitas invisum fecerant; langui-
disque in se hominum studiis, nec pares conatibus vires cogere, nec iam
coeptis sine periculo absistere poterat. Galvia Crispinilla in Neronis in-
timas libidines assumpta, quum post eius mortem sibi metueret, in Afri-
cam traiecit. Illius consiliis usus Macer, provinciam, qua mari imminet,
praesidiis firmat, vetitis frumenti transvectionibus, Romam fame pressurus.
Fonteium Capitonem, Inferioris Germaniae legatum, aliquid pro se agi-
tasse fama est. Affirmant eum, quum iuri dicundo praesideret, et ille

contra quem erat pronuntiatum, appellasset Caesarem, tum surrexisse altiusque conseendisse subsellium, iusso, *qui victus erat, perorare caussam in Caesaris auditorio.* Sed Fabius Valens, legionis ibidem legatus, Galbae partes amplexus erat, primusque cum suo milite in eius transiit sacramentum, exemplum sequente toto exercitu Inferioris Germaniae. Et tum Verginius solus existimabatur Galbae rivalis, iam clarior oppresso Vindice et perdomita Gallia; at ille, quamquam a militibus, evulgata Neronis morte, ita urgeretur, ut tribunus etiam stricto ferro iuberet, *aut illud, aut imperium accipere,* a proposito se tamen dimoveri nequaquam passus est. Postea cognito senatus decreto, sponte ille, exercitus autem aegre, et nonnisi diu reluctatus, *in verba Galbae iuravit,* quum iam Inferior Germania sacramento eius esset adacta; et secutus mox est reliquarum provinciarum consensus.

Galba ordinandis imperii rebus intentus, civitates Hispaniarum quae cunctantius sibi accesserant, *gravioribus tributis*, quasdam etiam *murorum destructione punivit*; et praepositos procuratoresque supplicio capitis affecit, cum coniugibus ac liberis. Quo facto excessit Neronis saevitiam, praeter omnium exspectationem, et quidem principatu nondum adulto. *Trebonio Garrutiano*, *Africae procuratori*, praecipit, *interimere Macrum, recens conscriptam ibi legionem dimittere, regionemque illam turbis purgare*; et suffectus est Verginio Hordeonius Flaccus, qui tum utriusque Germaniae legatus fuit. Tum senex paludatus iter ingressus est, ac dependente a cervicibus pugione, nec prius usum togae recuperavit, quam oppressis qui novas res moliebantur. Galliarumque civitates, Vindici resistere ausas, *reditu et agris multavit*; aliis quae suarum partium, *quartam tributorum partem remisit*, quibusdam ius civitatis auro mercantibus tribuit; et Vinius cupiditatis immensae, conspicuo apud invalidum senem loco, ditioribus venalem offerebat principis sui gratiam. Missi a senatu legati ei occurrunt Narbone, omnibus ex imperii dignitate compositis; exceptosque benigne Galba, familiaribus colloquiis et modicae de suo coenae adhibuit, in magna licet opum abundantia, submissisque a Nymphidio structoribus et suppellectile Neronis. Sed Vinius, cuius Galba totus erat, consuluit ei, *ne popularitati, quae nimus magnifica ac decora imperio, studeret*, *suasitque eorum, quae Neronis fuerant, usum, et spernendam esse principi in faciendis sumptibus liberalitatis famam.* Verginius tradito successori exercitu, obviam se tulit Galbae; sed ita exceptus est, ut altius reconditam indignationem facile argueret modicus, qui habebatur occurrenti, honos. Adeo periculosum est oblatum etiam invito et renitenti recusasse principatum.

Ex reduce Gelliano quum Nymphidius cognovisset, Laconem praefectum praetorio, et Vinium obtinere praecipuum in aula locum, missum a se nuntium suspectari, vitarique eius congressum, ne privatim quidem facta loquendi cum principe potestate, immo nec aditu dato, aestuabat

Narbone. Narba, urbs Volcarum Arecomicorum populorum, in Viennensi sive Narbonensi Secunda, Galliae provincia, hodie *Narbone*, urbs dioeceseos cognominis, in Occitania Inferiore, vulgo *Bas-Languedoc*, et in parte meridionali regni Franciae.

TILLEMONIVS.

animo. Convocatis ergo praetorianorum centurionibus, ait *videri sibi Galbam senem optimum, sed a duobus, Tigellino simillimis, in fraudes inductum, Vinio et Lacone, et consultum fore, ut omnium nomine, per unum et alterum ex isto ordine significetur, fore ut melius in Urbe accipiatur, nmoto illo hominum pari.* Sed absurdum erat, principi ea aetate, velut minori, quidquam a ministris praescribi. Aliud ergo statuit, literasque ad Galbam dedit, terroris plenas: *dubia omnia et nmbigua Romae esse et periculose nutare; a Maero in Africa retentas naves, et annonam; legiones in Germania novn moliri;* quibus et paria addebat *de Syria et Iudaea.* Sed animadverso his non exterreri Galbam, suam apud eum auctoritatem labare, perspectisque militum in se studiis, petere ab armis sobsidium decrevit; dehortante licet Clodio Celso Aotiochensi, qui, ex amicis eios vir moderatus et prudens, censebat, *paucissimos reperturum Romae, qui imperatorem eum vellent.* Sed aliorum coosultorum riso exceptus est Celsus, praesertim Mithridatis cuiusdam Pontici: *Forte*, inquit ille, *nunc Romnnis Galba, quia procul abest, aliquid videatur, quippe maior ex longinquo metus et reverentia; sed ubi in conspectum venerit imperator calvus, ac fronte rugis arnta, deprehendent cives opprobrium temporis, quo ille ad principatum evectus est.* Nymphidiom itaque media nocte proxima in castra deducendum statuunt, ut salutaretur *imperator.* Sed nondum advesperascebat, quum Antonius Honoratus, qui egregia inter tribunos fama florebat, militum suorum concione advocata, *Quis furor*, inquit, *o socii, quae intemperiae vos agitant? Usque odeo vos desultoria fide leves, sacramentum fidemque nullnm ob caussam sic facile exuitis? Ob flagitia reiici debuit Nero, fateor; sed cuius matris, cuius uxoris coede conspersus Galbo est? quae morum infamia indignum fecit imperio, ut scorti principalis filius ei praeferatur? cuius fuso sanguine, qui in verba eius iurarent, brevi praestarent Neroni vindicins, quem prodidisset, et Galbae fidos se probarent, quem iste insidiis petiit. Expenderent, qua spe decem millin praetorianorum integras imperii vires laeesserent, quae pro Galba in armis essent.* Illis hac oratione pacatis, transiit io reliquos exemplum obsequii, et praevaluere partes Galbae. Exortus deinde in castris clamor Nymphidium advertit, qui se vocari ratus, et festinans, ot firmaret nntantes animos, seditionemque praeverteret, eo cum facibus dedocitur, memoriae mandata oratione, a Cingonio Varrooe composita, quam ad milites haberet. Sed clausis castrorum portis, et vallo ubiqoe per ipsos occupato, veritus quid rei gereretur, propius accessit, quaesivitque, *quid iis esset animi, et cuius iussu armatos se ostentarent?* Tum respondere omnes, *se non alium nccepturos principem, nisi Galbam.* Nympbidius perspecto periculo, in illorum ivit sententiam, et *Galbae snlutem ac prospera precatus est*; ille simul suos idem acclamare iussit. Ab excubiis ergo ad portas admissus cum paucis suorum, in ingressn laucea petitur, Septimio quodam scutum obiiciente. Sed quum videret tot strictos in se gladios dirigi, fugit, insequentibus qui eum in militis tentorio necarunt. Illocescente die expositum publico cadavèr est, indignantiumque contumeliis. Galba, audita in itinere Nymphidii morte, in socios conspirationis caedibus grassatus est; in quibus et Mithridates Ponticus ludibrii sui pretium tolit, et Cinguuius Varro formatae oratio-

nis. Quum urbi appropinquaret, ad pontem Milvium obtulerunt se classiarii, quos Nero ex remigibus iustos milites fecerat. Galba *redire eos ad pristinum statum* iussit. Sed quum praevalerent numero, et recusarent, obsessaque utrique via, insuper aquilam et signa pertinacius flagitarent, ita ut per tumultum nec audiretur, nec conspiceretur a populo princeps, neque reiici se paterentur in tempus commodius, putantes negari quod differretur, frementes seditiose et incondito clamore, progredientem sequebantur. Erant et qui stricto ferro vim minitarentur, nisi mitiora statueret. Galba immisso equite pervicaces disiecit, et septem eorum millia cecidit, inermes quum essent; dein reliquos decimavit, et in vincula coniecit, quos tamen suo malo libertati mox reddidit.

Galba ergo maiore favore et auctoritate adeptus est, quam gessit imperium, quamquam multa documenta egregii principis daret; sed nequaquam haec tam grata erant, quam invisa quae secus fierent. Omnes iniuste in exsilium a Nerone missos, cuiuscumque ordinis, cum liberis, aliqua clementiae fama, restituit patriae et dignitati, non tamen bonis. Petronium vero Turpillianum, et senem et consularem, inauditum interfici iussit, non alio crimine obiecto, quam quod fidus Neroni exstitisset, neque se proditoribus eius adiunxisset. Elius, Polycletus, Locusta, Patrobius, Petinus, et istius farinae plures, laeto spectaculo, in vinculis per Urbem tracti sunt, publiceque necati, quasi Neroneae nequitiae pessima instrumenta; dum eorum princeps Tigellinus, foedissima impunitate per Galbam concessa, leges eluderet. Et quamquam in theatris publicisque conventibus, universi populi voce *ad necem* deposceretur, *quasi Diis lautius sacrum fieri non posset, quam si ille veluti piacularis victima; odio civium, quo iustissime laborabat, immolaretur*, tamen opibus et pecunia praevaluit apud Vinium, Viniusque apud Galbam, ut non indignissima modo defensione, sed et vindictam deorum hominumque frustraretur, edicto populus saevitiae increparetur a principe: affirmabatque Galba, intra paucos dies, tabe enectum iri Tigellinum: sicque modo crudelior ille, modo remissior, non sine dedecore imperii et ea aetate proveeti principis. Tigellinus redempta salute laetus, sumptuoso epulo *soteria* sua celebravit; Viniusque consurgens a Galbae coena, huic convivio interfuit cum Crispina filia, cui per honoris speciem Tigellinus dedit decies sestertium, cum gemmis et quicquid in aureo colli ornatu habuit concubinarum intima, tum quoque in mensa praeseos, aestimatum sexcentis millibus sestertium. Quin et Halotum, ex omnibus Neronis emissariis maleficentissimum, praestitit incolumem Galba, et procuratione insuper amplissima ornavit. Iam vero ordinibus prope universis eum invisum reddidit avaritia ac sordes, vitium familiare senibus, sed in principe exosum quam maxime, et in novo quoque periculosum. Choraulae, mire placenti, denarios quinque donavit, prolatos manu sua e peculiaribus loculis suis. Ordinario dispensatori breviarium rationum offerenti, paropsidem leguminis pro sedulitate ac diligentia porrexit. Sed inprimis praecipitavit res eius saevitia in milites, quibus quum donativum solito grandius praefecti praetorii pronuntiassent, atque illi peterent saltem intra consuetum prioribus principibus modum, prorsus abnuit, addiditque, *legi a se militem, non emi*. Vox forti principe digna et meliori aevo, sed at tempori eb

ipsi tum parum congruens, fide militum iam quotidianis corruptionibus obnoxia. Praesertim onerabat quod trium arbitrio regeretur, quos *paedagogos* vulgo vocabant, Vinii ac Laconis intimae admissionis amicorum, et Iceli liberti. Privatis quippe hominibus sufficit ad iustitiae laudem, si noxa in alios abstineant; at principi curandum, ne cuiquam ex suis id liceat; nisi certe ad primam occasionem familiarium omnium culpis, velut a se ipso admissis, damnari velit. Quid refert, qua parte ingruat in cives flagitium, scelus, aut iniuria, si damnum praesto sit, conivente aut etiam ignorante qui prohibere debuit? Sic Galba, quum nomen eius, licet inscii, praetexeretur multis iniuriis, quod tamen grassanti licentiae amicorum non obstitit, et laterent illum scelera, quorum ignorantia culpam meruit, auctoritate iam nulla, ipse suo et fere etiam reipublicae exitio gradum struxit.

(Ex editione C. Cornelii Taciti quem illustravit Iulian. *Pichon*, in usum Serenissimi Delphini; 1686.)

Decies sestertium. Gallicae monetae 59,400 fr.
Sexcentis millibus sestertium. Gallicae monetae 40,050 fr.

N.° 2. Cap. IX. *A. Vitellius aderat.*

Ita MSS., editio princeps et recentiores. Puteolanus praenomen omiserat. Quum autem frequens sit apud Tacitum, maxime in Historiarum libris, Vitelliorum mentio, eorum stemma hic proposuisse erit commodum. Ante praemonuerim hoc stemma desinere in Vitellii imperatoris filiam; cui gener destinatus fuerat Valerius Asiaticus, ut videre est Hist. I, 59. Postea Vespasianus imperator, offensarum inimicitiarumque minime memor, eam splendidissime maritavit, dotavitque etiam, et instruxit. Vide Sueton. in Vespasian. c. 14. Vide quoque Aurelium Victorem in Epitome.

STEMMA VITELLIORVM

PVBLIVS VITELLIVS,
Eques Romanus.
Suetoo. in Vitell. 2.

- **AVLVS VITELLIVS.**
  Sueton. in Vitell. 2.
- **QVINTVS VITELLIVS.**
  Suetoo. in Vitell. 2.
  Tacit. Annal. II, 48.
- **PVBLIVS VITELLIVS.**
  Sueton. in Vitell. 2.
  Tacit. Annal. I, 70, et V, 8.
  Uxor ACVTIA.
  Tacit. Annal. VI, 47.
- **LVCIVS VITELLIVS,**
  censor, ter consul.
  Sueton. in Vitell. 2.
  Tacit. Annal. XI, et Hist. I, 9.
  Vxor SEXTILIA.
  Sueton. in Vitell. 3.
  Tacit. Hist. II, 64.
  - **AVLVS VITELLIVS,**
    Imperator.
    Sueton. in Vitell. 3.
    Tacit. Hist. I, 9.
    Vxores
    - PETRONIA.
      Suetou. in Vitell. 6.
      - PETRONIANVS.
        Sueton. in Vitell. 6.
    - GALERIA FVNDANA.
      Sueton. in Vitell. 6.
      Tacit. Hist. II, 64.
      - GERMANICVS
        Sueton. in Vitell. 6.
        Tacit. Hist. II. 59.
      - N. Filia.
        Sueton. iu Vitell. 6.
        Tacit. Hist. III, 78.
  - **LVCIVS VITELLIVS.**
    Tacit. Hist. I, 88, et IV, 2.
    Vxor TRIARIA.
    Tacit. Hist. II, 63 et 77.

BROTIER.

N.° 2. CAP. XIV. *Piso, M. Crasso et Scribonia genitus.*
Ut Pisonis nobilitas innotescat, eius stemma hic proponetur.

PISONIS STEMMA.

M. LICINIVS CRASSVS, M. Crassi, Agelasti, nepos, Romanorum ditissimus, a Parthis interemtus. Plin. VII, 19.

M. LICINIVS CRASSVS.

M. LICINIVS CRASSVS M. F. M. N. consul A. V. C. 723: proconsul triumphavit ex Thracia et Getis A. V. C. 725.

M. LICINIVS CRASSVS, consul A. V. C. 739. Inscript. Collegii romani. Vide Piranesi, Fast. Capitol. p. 34.

M. LICINIVS CRASSVS FRVGI, consul A. V. C. 780. Bis triumphalia ornamenta adeptus, a Claudio caesus. Tacit. Annal. IV. Sueton. in Claud. 17. Senec. in Apocolocynt. *Vxor* SCRIBONIA, a Claudio caesa. Tacit. Hist. I, 14. Senec. in Apocolocynt.

CN. POMPEIVS MAGNVS, a Claudio caesus. Tacit. Hist. I, 48. Seneca in Apocoloc. Vide et Supplem. Annal. XI, 5. *Vxor* ANTONIA. Dio, LX, p. 668. Vide et Stemm. Caesar. num. 105 et 106.	M. LICINIVS CRASSVS, consul A. V. C. 817, a Nerone caesus. Tacit. Hist. I, 48.	LICINIVS CRASSVS SCRIBONIANVS, ab Othone caesus. Tacit. Hist. I, 47.	PISO FRVGI LICINIANVS, primum a Pisone, deinde a Galba adoptatus, ab Othone caesus. Tacit. Hist. I, 14 et 48. Sueton. in Galba, 17. *Vxor* VERANIA. Tacit. Hist. I, 47.	LICINIA MAGNA, Crassi Frugi, pontificis, filia, L. Pisonis, pontificis, *Vxor.* Inscript apud Gruter. p. 306. num. 1.
			CALPVRNIVS GALERIANVS. Tacit. Hist. IV, 11.	

Scribonia autem, mater Pisonis, adhuc nobilior: poterat enim, ut Libo
Drusus, e familia Scriboniorum, de quo supra Annal. II, 27, *proavum
Pompeium, amitam Scriboniam, Augusti coniugem, consobrinos Caesares,
et plenam imaginibus domum ostentare*. Quae autem Plutarchus, in Galba,
p. 163, habet de Pisonis parentibus, corrupta sunt, ut alia multa in hac
Galbae vita: Πείσωνα, Κράσσου καὶ Κρητίωνος (corrige Σκριβωνίας) ἔκγονον, οὓς
Κλαύδιος (Νέρων, corrige) ἀνῃρήκει.

Brotier.

N.° 3. Cap. XXVII. *Milliarium Aureum.*

Praecipua fuit Romanorum in sternendis muniendisque viis magnifi-
centia, quas milliariis distinxere. De illo usu pauca disseram. (Vide no-
tam Ernesti ad hunc locum, vol. III, pag. 47.)

DE MILLIARIO AVREO.

Primus C. Gracchus, circa a. U. c. 625, vias per milliaria dimensus,
columnas lapideas, distantiarum signa, locavit: Κίονας λιθίνους σημεῖα τοῦ
μέτρου κατέστησεν, Plutarch. in Gracch. p. 838. Milliaria illa constabant
mille passibus, seu quinque millibus pedum romanorum, gallice 4,256
pieds. A pomaerio, portisve Urbis numerabantur. Deinde Augustus, optimi
cuiosque instituti aemulator et perfector, novam in reficiendis dirigen-
disque viis operam posuit; et, a. U. c. 734, milliarium aureum fecit, τὸ
χρυσοῦν μίλιον κεκλημένον ἔστησε, Dio, LIV, p. 526. Aureis literis ei inseri-
pta fuisse praecipuarum urbium intervalla existimat P. Eschinardi, *Agro ro-
mano*, cap. 3. Alii aureum totum fuisse volunt. Illud in capite fori ro-
mani, ac proinde in celeberrima Urbis parte, posuit Augustus, ut, splen-
dido superboque aspectu, Urbis victricis et Italiae terrarum orbi domi-
nantis memoria semper occurreret. In hoc milliarium vias militares Ita-
liae omnes desiisse testatur Plutarchus, in Galba, p. 1064: Ἐβάδιζεν εἰς
ἀγορὰν, οὗ χρυσοῦς εἱστήκει κίων, εἰς ὃν αἱ τετμημέναι ὁδοὶ πᾶσαι τελευτῶσιν. Unde
patet, non ab illo milliario, sed ab Urbis pomoerio, seu veteri portarum
situ, ante productionem moenium ab Aureliano factam, itinerum men-
suras incoepisse, ut optime advertit eruditus *Fabretti*, de Aquis et Aquae-
ductibus veteris Romae, p. 136. Idem plurimis experimentis constat. La-
bentibus tamen saeculis, quidam scriptores itinerum mensuras ab auro
milliario repetiere, uti videre est apud cl. *de la Nauze* (*Mémoires de
l'Académie royale des Inscriptions*, vol. XXVIII, p. 388 et seq.). Alia
est mensura, apud iurisconsultos pervulgata, et in iudiciis usurpata, quae
neque ab Urbis pomoerio, neque a milliario aureo initium ducebat, sed
a continentibus aedificiis, *à partir des faubourgs*. De hac mensura Ma-
cer, Digest. lib. L, tit. 16, *de Verborum significatione*, leg. 154: *Mille
passus non a milliario Urbis, sed a continentibus aedificiis numerandi
sunt*.

Nunc vero, quum iamdudum Romanos in sternendis viis simus aemo-
lati, eos nunc in signandis milliariis imitemur; id unum superest, ut
ante Parisiensem B. V. Mariae aedem, unde duorum itinerum initia, exsur-

gat milliarium aureum, nomine Ludovici XV insigne, cuius providentia magnificentiaque factum, ut viarum multitudine, amplitudine, commoditate et arborum umbraculis, Romanos vicerimus.

Brotier.

N.° 4. Cap. XXX. *Vitia; quibus solis gloriatur, evertere imperium, etiam quum amicum imperatoris ageret.*

Amicitiam hic cum Nerone tangit, de qua Suet. Oth. 2: *Facile summum inter amicos locum tenuit congruentia morum; ut vero quidam tradunt, et consuetudine mutui stupri; ac tantum potentia valuit, ut damnatum repetundis consularem virum, ingens praemium pactus, priusque plane restitutionem ei impetrasset, non dubitaret in senatum ad agendas gratias introducere. Omnium autem consiliorum secretorumque particeps, die quem Nero necandae matri destinaverat, ad avertendas suspiciones, caenam utrique exquisitissimae comitatis dedit.*

Sic Neroni conscius fuit libidinum Otho scelerumque; et idcirco aliquatenus evertit imperium, et iam quum amicum principis ageret: nam certe evertit imperium, qui perdit principem.

Et maxime pessum dedit Neronem, quum auctor fuit ei, aut certe conscius patricidii matris, et in Poppaeae amores incitavit. Unde et exitium Octaviae uxoris, et odium populi in Neronem.

Unde et magna saevitiae et caedium series: nam etiam saeviebat Sabina, et fuit cum Tigellino intimum consilium Neronis.

Habitune et incessu.

Muliebri scilicet, ut et *ornatu*. Sueton. 12: *Munditiarum vero pene muliebrium, vulso corpore, galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato et annexo, ut nemo dignosceret. Quin et faciem quotidie rasitare, ac pane madido linire consuetum, idque instituisse a prima lanugine, ne barbatus unquam esset.*


An illo muliebri ornatu mereretur imperium?

Haec *muliebria* vult videri, et habitum etiam Othonis incessumque: nam et quosdam viros ad femineam usque mollitiem delabi, vel dicterium illud Ciceronis argumento sit, quo Tulliae filiae incessum virilem, simulque generi muliebrem perstricturus, filiam increpans, *ambula ut vir*, ait, referente Macrobio; Saturn. II, 3.

Sueton. 12, Othonem dicit sacra etiam Isidis saepe in lintea religiosaque veste propalam celebrasse.

N.° 5. CAP. XLVI. *Urbi Flavium Sabinum praefecere.*

Quum plurima sit in horum temporum historiis Flavii Sabini, Vespasiaui, et Flaviorum memoria, eorum stemma hic proponam, tanto illustrius, quod imperio simul ac sanctitate inclaruit.



STEMMA FLAVIORVM ILLVSTRATVM.

1. Titvs Flavivs Petronivs, municeps Reatinus, *Rieti*; bello civili Pompeianarum partium centurio. Sueton. in Vespasian. 1.

2. Tertvlla, uxor T. Flavii Petronii, avia Vespasiani, imperatoris, quem educavit. Sueton. in Vespasian. 2.

3. Titvs Flavivs Sabinvs, Petronii et Tertullae filius: publicum quadragesimae in Asia egit tanta integritatis fama, ut imagines a civitatibus ei ponerentur sub hoc titulo ΚΑΛΩΣ ΤΕΛΩΝΗΣΑΝΤΙ. Sueton. in Vesp. 1.

4. Vespasia Polla, uxor T. Flavii Sabini. Sueton. in Vespasian. 1.

5. N. filia T. Flavii Sabini et Vespasiae Pollae, intra primum annum mortua. Sueton. in Vespasian. 5.

6. Titvs Flavivs Sabinvs, filius T. Flav. Sabini et Vespasiae Pollae, frater Vespasiani, imperatoris, praefectus Urbis. Sueton. in Vespasian. 1 et 10; Tacit. Hist. I, 46; III, 64 et 65.

7. N. uxor Titi Flavii Sabini. Nomen eius ignoratur. Videtur fuisse ex familia Arretini Clementis. Tacit. Hist. IV, 68.

8. Titvs Flavivs Sabinvs, T. Flav. Sabini filius, patruelis Domitiani, qui eum occidit. Sueton. in Domitian. 10.

9. Ivlia, Titi imperatoris filia, uxor T. Flavii Sabini. A Domitiano primum neglecta, deinde ardentissime dilecta. Sueton. in Domitian. XXII. In nummis, ivlia imp. t. avg. f. avgvsta. id est, *Iulia Imperatoris Titi Augusti filia Augusta*; ivlia avgvsta divi titi filia.

10. Plavtilla, T. Flav. Sabini filia, christiana religione et sanctitate insignis. Eius memoriam recolit Ecclesia die 20 Maii. Vide Acta sanctorum ad hunc diem.*

11. N. Coniux sanctae Plautillae. Nomen eius ignoratur.

12. Flavia Domitilla, sanctae Plautillae filia, virginitate et martyrio illustris: eius festum diem Ecclesia peragit 12 Maij. Euseb. Hist. Ecclesiastic. III, 18. Acta sanctorum ad diem 12 Maii.

13. Titvs Flavivs Clemens, Titi Flavii Sabini filius, consul, collega Domitiano imperatore, a. U. c. 848, I. C. 95, postea martyrii laurea, falso impietatis crimine, a Domitiano donatus. Dio, LXVII, p. 766. Ob christianam pietatem *contemptissimae inertiae* accusatus a Suetonio in Domitiano, 15. Huc spectat Tacitus, Vit. Agricol. 45. Corpus sanctissimi martyris inventum est Romae die 22 Ianuarii, anno 1725, in basilica S. Clementis, papae et martyris, in Caelio monte. Illud transtulit Benedictus XIII, eiusque pontificis maximi nummus, in aversa parte inscriptus:

CORPORA
SANCTI FLAVI
CLEMENTIS
EXCONSVLIS
ET. MARTYRIS
TRANSLATO
M DCCXXVII.

Vide elegantissimam et eruditam P. de *Vitry* dissertationem, *Titi Flavii Clementis viri consularis et martyris tumulus illustratus*, Urbini editam anno 1727.

14. Flavia Domitilla, filia Flaviae Domitillae, Vespasiani Imperatoris neptis, uxor s. T. Flavii Clementis, ipsa ob christianam religionem, sed falso impietatis nomine, in Pandatariam insulam a Domitiano relegata: Dio, LXVII, p. 766. Huc quoque spectat Tacitus, Vit. Agric. 45. Gruterus, p. 245, n. 5, insigne eius monumentum habet, olim in basilica S. Clementis, nunc in aedibus Capitolinis, adservatum:

FLAVIA. DOMITILLA. FILIA. FLAVIAE. DOMITILLAE.
IMP. CAES. *Vespasi*ANI. NEPTIS. FECIT. GLYCERAE.
L. ET.
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. POSTERISQVE. EORVM.
CVRANTE.
T. FLAVIO. ONESIMO. CONIVGI. BENEMER.

Philostratus, Vit. Apollon. VIII, 25, eam appellat Domitiani sororem, ἀδελφήν; sed mendose, aut forte librariorum errore: emendandum ἀδελφιδῆν, ut recte monuit Olearius.

15. Vespasianvs, sancti T. Flavii Clementis et Flaviae Domitillae filius, quem Domitianus, imperator, successorem destinavit, et Quintiliano erudiendum tradidit. Sueton. in Domit. 15; Quintilianus, Institut. Orator. IV, in prooem. Rarissimum Vespasiani nummum graecum, a Smyrnaeis cusum, protulit Harduinus, *Selecta Opera*, p. 733. Ex una parte, ΟΥΕϹΠΑϹΙΑΝΟϹ ΝΕΩΤΕΡΟϹ, id est, *Vespasianus iunior*, capite nudo. Ex altera, ϹΜΥΡ-ΝΑΙΩΝ. Victoria stans coronam offert. Alii multi postea hunc nummum publicavere.

16. Domitianvs, sancti T. Flavii Clementis et Flaviae Domitillae filius, Vespasiani frater, et ipse imperii successor destinatus, ac Quintiliani disciplinae traditus. Sueton. Quintilianus, loc. cit.

17. Titvs Flavivs Vespasianvs, Imperator, cuius fortunam factaque memorat Tacitus in Historiarum libris V. Sueton. in Vespas. aliique. In nummis IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVGVSTVS.

18. Flavia Domitilla, Flavii Liberalis filia; primum Statilii Capellae, equitis romani, delicata, deinde Vespasiani, Imperatoris, uxor. Sueton. in Vespasian. 3. In nummis DIVA DOMITILLA AVGVSTA.

19. Titvs, Imperator, Vespasiani, imperatoris, et Flaviae Domitillae filius; *amor ac deliciae generis humani* merito dictus. Sueton. in Tit. 1. In nummis, IMP. TITVS CAESAR VESPASIANVS AVGVSTVS.

20. Arricidia, Tertulli, equitis romani, filia; Titi, imperatoris, uxor. Sueton. in Tit. 4.

21. Marcia Fvrnilla, splendidi generis, Titi, imperatoris, uxor. Sueton. in Tit. 4.

9. Ivlia, Titi, imperatoris, et Marciae Furnillae filia; uxor Titi Flavii Sabini. De qua dictum est supra n. 9.

22. Domitianvs, imperator, Vespasiani, imperatoris, et Flaviae Domitillae filius; Titi frater. Sueton. in Domit. In nummis IMP. CAESAR DOMITIANVS AVGVSTVS GERMANICVS.

23. Domitia Longina, Cn. Domitii Corbulonis filia; primum L. Aelio Plautio Lamiae nupta; deinde in Domitiani, imperatoris, matrimonium abducta. Sueton. in Domitian. 1. Dio, LXVI, p. 746. Fragmenta Fratrum Arvalium, apud eruditum Philippum a Turre, *Monumenta veteris Antii*, p. 96. In nummis: DOMITIA AVGVSTA IMP. DOMIT., id est, *Domitia Augusta imperatoris Domitiani coniux*. In Herculanensibus ruinis reperta inscriptio, quam publicavit eruditus Eques *de Venuti*, *Descrizione delle prime scoperte dell' antica città d' Ercolano*, p. 83:

DOMITIAE. CN. F.
DOMITIANI. CAESARIS.
D. D.

24. N., Domitiani, imperatoris, et Domitiae Longinae filius, puer mortuus, et inter deos relatus. Sueton. in Domitian. 3: Silius Italicus, III, vers. fin. In nummo apud Tristanum (*Commentaires historiques*, vol. I, p. 348), puer orbi insidet inter stellas: DIVVS CAESAR IMP. DOMITIANI F., id est, *Divus Caesar imperatoris Domitiani filius*.

25. Flavia Domitilla, Vespasiani, imperatoris, et Flaviae Domitillae filia; Titi at Domitiani, imperatorum, soror; mortua ante patris sui principatum. Sueton. in Vespasian. 3.

26. N., Flaviae Domitillae, Vespasiani filiae, coniux. Nomen eius ignoratur.

14. Flavia Domitilla, Flaviae Domitillae filia, Vespasiani, imperatoris, neptis; uxor sancti T. Flavii Clementis, ut dictum supra num. 14. Prima e regnatrice Caesarum domo Iesu Christi religionem professa, et pro ea exsilium passa. In tantum Flaviae gentis et Christianae religionis decus merito hoc stemma desinit.

Brotier.

EXCVRSVS

Gabr. BROTERII,

AD OPERA C. CORNELII TACITI.

HISTORIARVM LIBER SECVNDVS.

N.° 1. Cap. III. Veneris *Paphiae simulacrum non effigie humana: continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum, metae modo, exsurgens: et ratio in obscuro.*

Huius Deae originem et cultum paucis expendam.

DE VENERE PAPHIA.

Venus Paphia est illa ipsa caelestis Venus, quam mortales, Deum rerum omnium auctorem obliti, tamquam vitalem hominum, pecudum, volucrum, ceterorumque animantium, quae viverent, caussam, et amoris, quo stant vigentque omnia, conciliatricem venerati sunt. Hanc Venerem foecundamque eius vim expresso nomine Lucretius, I, 1, tacito Virgilius, Aeneid. VI, 724, egregiis versibus commendant. Eius quoque laudes paucis complexus est Apuleius, lib. XI: *Tu, Caelestis Venus, quae primis rerum exordiis sexuum diversitatem generato amore sociasti, et aeterna sobole humano genere propagato, nunc circumfluo Paphi sacrario coleris.*

Cultus, ut erroris, origo apud Assyrios primum invaluit, inde ad Cyprios Phoenicesque et alios populos devecta, auctore Pausania in Attic. I, 14: Πρώτοις δὲ ἀνθρώπων Ἀσσυρίοις κατέστη σέβεσθαι τὴν (Ἀφροδίτην) Οὐρανίαν· μετὰ δὲ Ἀσσυρίους, Κυπρίων Παφίοις, καὶ Φοινίκων τοῖς Ἀσκάλωνα ἔχουσιν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ· παρὰ δὲ Φοινίκων, Κυθήριοι μαθόντες σέβουσιν. *Primi omnium Assyrii Venerem caelestem coluere: a quibus Paphii in Cypro acceptum sacrorum ritum cum Phoenicibus, qui in Palestina Ascalonem urbem incolunt, Phoenices cum Cytheriis, communicarunt.*

Quum autem rudes adhuc homines Deos in humani oris speciem adsimolare nondum novissent, Venerem Paphiam, orbiculata primum, deinde in tenuem ambitum exsurgente figura, metae modo, adumbratam coluere. Quod certissimum est antiquissimae venerationis argumentum. Tales Deo-

rum formas memorat Maximus Tyrius, Dissert. XXXVIII, p. 384: Παίονες σέβουσι μὲν Ἥλιον, ἄγαλμα δὲ Ἡλίου Παιονικὸν, δίσκος βραχὺς ὑπὲρ μακροῦ ξύλου· Ἀράβιοι σέβουσι μὲν, ὅντινα δὲ οὐκ οἶδα· τὸ δὲ ἄγαλμα ὃ εἶδον, λίθος ἦν τετράγωνος. Παφίοις ὁ μὲν Ἀφροδίτη τὰς τιμὰς ἔχει, τὸ δὲ ἄγαλμα οὐκ ἂν εἰκάσαις ἄλλῳ τῷ ἢ πυραμίδι λευκῇ. *Paeones Solem colunt, Solisque apud hos simulacrum brevis discus est, perticae supra longissimae offixus. Colunt et Arabes Deum, quem vero haud facile dixerim: quod autem vidi opud eos simulacrum, lapis erat quodrangularis. Venerem Pophii colunt, cuius statuam albae pyromidi non dissimilem dixeris.*

Venerem hanc Paphiam exhibent plurimi Cypriorum nummi. At quod magis siogulare, reperta est in Hercolanensibus ruinis tabula, quae ipsissimam huiusce Deae eiosque coltus imaginem refert. Tabulam hanc publicavere eruditi Academici Herculanenses, uberrimisque notis illustravere, quas vide, *Pitture antiche d'Ercolono*, vol. III, tab. LII. Quum autem Veous illa Parcarum natu maxima haberetur, iode iu nummis Cypriorum et io tabula Hereulaoensi tres metae exhibentur; idque approbat vetus inscriptio, quam memorat Pausanias, in Attic. I, 19: *Τὸ δὲ ἐπίγραμμα σημαίνει τὴν Οὐρανίαν Ἀφροδίτην τῶν καλουμένων Μοιρῶν εἶναι πρεσβυτάτην.* Columnae illae fastigiantur in φαλλούς, foecunditatis testes. Cinyrae autem regi, religionis apud Cyprios auctori, datum est, ut ipse cum omni sua familia atque etiam prosapia in templo Veneris conderetur, teste Arnobio, lib. VI. Veneris Paphiae religio, in insula Cypro percelebris, alias quoque urbes pervasit. Manent adhuc monumenta in nummis Chalcidis, Euboeae incertum an Syriae urbis, et Aeliae Capitolinae, nunc *Ierusolem*, qui Venerem, metae modo, qualem descripsit Tacitus, exhibent. Nummos, minime vulgares, vide apud cl. *Pellerin* (*Recueil de Médailles de Peuples et de Villes*, vol. II, p. 211, tab. LXXX, num. 76; et vol. III, p. 250, tab. CXXXV, num. 9.)

Brotier.

N.° 2. Cap. VI. *Septem legiones.*

Ex indiscreta similitudine nominum Caesareae domus maxima in Annal. libris exoriebatur difficultas; quam ut levarem, proposui *stemma Caesarum.* Nunc vero, ne animus fatigetur nominibus ac mutationibus legionum, qui maximus est in evolvendis Historiarum libris labor, earum numerum nominaque explanabo, deinde earum loca adsignabo: quibus cognitis, facile erit, sine ullo labore, quas partes in his civilibus bellis siut secutae, digoscere.

DE NVMERO ET NOMINIBVS LEGIONVM.

Legio prima, in inferiore Germania. Tacit. Hist. I, 55; et IV, 19.

Legio prima Italica, Lugduni in Gallia. Tacit. Hist. I, 60, 64; II, 100; et III, 22. A Nerone fuerat lecta. Dio, LV, p. 564. Eiusque aetate

erat in Moesia inferiori. Quod autem ex italicis militibus conscripta, nuncupata est Italica. In nummis Gallieni, LEGI ITAL VIP VIF. vel VIIP VIIF.; id est, *Legio prima Italica, sextum pia, sextum fidelis*, vel *septimum pia, septimum fidelis*. De his ceterisque Gallieni nummis vide cl. *Bonduri*, Numismata Imperatorum romanorum, vol. I, p. 166 et seq.

LEGIO PRIMA ADIVTRIX CLASSICORVM, primo Romae, deinde in Hispania. Tacit. Hist. I, 6 et 36; II, 43 et 67; III, 44. Si Tacitum loc. cit. et Dionem, LV, p. 564, comparaveris, videbitur legionem illam, quam Nero e classe conscripserat, primum dictam fuisse *Classicorum*, deinde a Galba, obliterato minime nobili Classicorum nomine, nuncupatam *Adiutricem*. In nummis Gallieni, LEG I ADI VIP VIF.: *Legio prima Adiutrix, sextum pia, sextum fidelis*.

LEGIO SECVNDA, in Britannia. Tacit. Hist. III, 22. A Dione loc. cit. cognominatur *Augusta*. In nummo Carausii LEG II AVG. De hoc ceterisque Carausii nummis vide cl. *Stukeley* (*The Medallic History of Carausius, Emperor in Brittain*, vol. I et II). In inscriptione quoque veteri apud eruditum *Shaw* (*Voyages en Barbarie*, vol. I, p. 263), LEG. II. AVG.

LEGIO SECVNDA ADIVTRIX, recens a Vespasiano in bellis civilibus conscripta. Tacit. Hist. IV, 68; et V, 16. Spartian. in Hadrian. II. Dionis aetate fuit in Pannonia inferiori. Dio, ibid.

LEGIO TERTIA, in Syria. In Moesiam transiit, deinde in Syriam remissa. Tacit. Hist. II, 74; IV, 39. Tres fuere, teste Dione loc. cit., legiones tertiae, τρία τὰ τρίτα. Haec a Dione cognominatur *Gallica*.

LEGIO TERTIA, in Aegypto. Tacit. Hist. V, 1. Dionis, id est, Severi Alexandri, tempore erat in Arabia, et dicebatur *Cyrenoica*, ut videtur ex Dione, loc. cit. Immo Traiani aetate iam dicebatur *Cyrenaica*, ut patet ex veteri inscriptione, quam in colonia Scillitana, nune *Cassarin près de Tunis*, descripsit eruditus *Shaw* (*Voyages*, vol. I, p. 263): LEG. III. CVR.

LEGIO TERTIA, in Africa. Tacitus Hist. IV, 48, memorat tantum legionem in Africa. Ea sane fuit *tertia Augusta*, quae aetate Dionis, loc. cit., erat in Numidia. Et in veteribus inscriptionibus, quas Lambaesae, nunc *Tezzoute, près d'Alger*, reperit eruditus *Shaw* (*Voyages*, vol. I, p. 149 et 197), memoratur LEG. III. AVG., id est, *legio tertia Augusta*.

LEGIO QVARTA, in Superiore Germania. Tacit. Hist. I, 18. Legio illa dicta est *Macedonica*, Tacit. Hist. III, 22.

LEGIO QVARTA, in Syria. Tacit. Annal. XV, 6, 7 et 26. Dioni loc. cit. dicitur, *legio quarta Scythica in Syria*. Memoratur quoque in veteri inscriptione apud eruditum *Gori*, Inscript. Antiq. vol. I, p. 248: LEGIO IIII. SCYTHIC.

LEGIO QVINTA, in inferiore Germania. Tacit. Hist. I, 55. Huius legionis insignia erant elephantes ob Africanam Caesaris victoriam, de Iuba reportatam. Appian. Bell. Civil. II, p. 488. Ceterarum legionum multa manent insignia in Gallieni, Carausii, aliorumque nummis.

LEGIO QVINTA, in Iudaea. Tacit. Hist. V, 1. Dein in Moesiam remissa.

Vide Appendicem ad librum V Histor. c. 43. Dioni loc. cit. memoratur, *legio quinta Macedonica in Dacia*; et in nummis Gallieni, LEG. V MAC. VIP VIF, vel VIIP VIIF.; id est, *legio quinta Macedonica*, *sextum pia*, *sextum fidelis*, vel *septimum pia*, *septimum fidelis*. Apud cl. *Gori*, loc. cit., LEG. V MACED.

LEGIO SEXTA, in Hispania. Tacit. Hist. III, 44. Ea est quae Galbam principem fecit. Tacit. Hist. V, 16. Duas legiones Sextas, Ἕκτα δύο memorat Dio, loc. cit. Haec autem legio sexta eadem sane est, quae postea fuit in inferiore Britannia *legio sexta Victrix*. Dio, ibid. In multis Britanniae monumentis, LEG. VI. VICT.; et in veteri inscriptione apud eruditum *Gori*, Inscript. Antiq. Vol. III, p. 173, LEG. VI. VICTRICIS.

LEGIO SEXTA, in Syria. Tacit. Annal. XV, 6 et 26. Dioni loc. cit. dicitur, *legio sexta Ferrata*, *in Iudaea*.

LEGIO SEPTIMA CLAVDIANA, in Moesia. Tacit. Hist. II, 85. In nummis Gallieni et Carausii, LEG VII CL. Dionis tempore fuit in Moesia superiore. Dio, loc. cit.

LEGIO SEPTIMA GALBIANA, in Pannonia. Tacit. Hist. II, 86. Dionis aetate fuit in Hispania. Dio, loc. cit.

LEGIO OCTAVA, in Moesia. Tacit. Hist. II, 85. Dioni loc. cit. memoratur, *legio octava Augusta*, *in Germania superiore*. In nummis Gallieni, LEG VIII AVG. In nummis Carausii, LEG VIII INV., id est, *legio octava invicta*.

LEGIO NONA, in Britannia. Tacit. Hist. III, 22. Apud Dionem nulla de ea mentio. At in nummis Gallieni, LEG VIIII AVG., id est, *legio nona Augusta*; et in nummo Carausii, LEG VIIII GE., id est, *legio nona Gemina*. Cur legiones dicerentur *Geminae* mox explicabitur. Vide *legionem tertiamdecimam Geminam*.

LEGIO DECIMA, in Hispania. Tacit. Hist. II, 58; et III, 44. Duae fuere legiones decimae. Aetate Dionis una erat in Pannonia superiore, altera in Iudaea. Quae erat in Pannonia dicebatur *Gemina*: Οἱ δεκάτειοι, οἵ τε ἐν τῇ Παννονίᾳ τῇ ἄνω, οἱ Δίδυμοι, καὶ οἱ ἐν Ἰουδαίᾳ. Dio, loc. cit. Male vertit Latinus Dionis interpres, legio *decima utraque Gemina*. In nummis Gallieni, LEG X GEM.

LEGIO DECIMA, in Iudaea. Tacit. Hist. V, 1. Vide et Appendicem ad librum V. Histor. cap. 43.

LEGIO VNDECIMA, in Dalmatia. Tacit. Hist. II, 11 et 86; III, 50. Legio illa cognominata est *Claudiana*, et Dionis tempore fuit in Moesia inferiore. Septimam autem et undecimam legiones a Claudio nuncupatas fuisse *Claudianas*, quod in Camilli seditione adversus Claudium non rebellassent, docet Dio loc. cit. In nummis Gallieni, LEG. XI CL., id est, *legio undecima Claudiana*.

LEGIO DVODECIMA, in Syria. Tacit. Hist. V, 1. Dioni loc. cit, *legio duodecima*, *in Cappadocia*, *Fulminifera*, τὸ δωδέκατον τὸ ἐν Καππαδοκίᾳ, τὸ

Κεραυνοφόρον. Legionis huiosce duodecimae Fulminatricis percelebre fuit nomen, prioeipe M. Aurelio adversus Quados pugnante. Id tamen nominis ante erat uacta, ut patet ex veteri iosceriptione, Nervae et Traiani temporibus suppari, apud Gruterum p. 193, nom. 3, LEG. XII. FVLM. Inditom videtur illud oomen ex fulminibus, quae habuit ioter iusignia. In Notitia imperii dieitur quoque *legio duodecima Fulminea Melitena.* Quando missa fuerit Melitenen diximus in Appendice ad lib. V Histor. eap. 43.

Legio tertiadecima Gemina, in Pannonia. Tacit. Hist. II, 86; et III, 7. Ita quoque illam nomioat Dio. At eius tempore fuit in Daeia. *Gemina* dieebatur, quia ex duabos legionibus una fuerat faeta. Ex admixtia enim legiooibus Geminae noncupabantur: Τὰ δὲ καὶ ἑτέροις.... ἀνεμίχθη, ἀφ' οὗπερ καὶ Δίδυμα ἀνομασμένα νενόμισται. Dio, loc. eit. Sic Pompeius, apud Iulium Caesarem, Bell. eivil. III, 4, habebat legionem *unam ex Sicilia veteranam, quam factam ex duabus, gemellam appellabat.* In nummis Gallieni, LEG. XIII GEM.

Legio qvartadecima, saepe locom mutavit. Fuit in Dalmatia, in Britannia, in Germania soperiore. Tacit. Hist. II, 66 et 86; IV, 68 et 79; V, 19. Dioois tempore erat in Paooonia; sed tunc eognominabatur *Gemina.* Dio, loc. eit. In nummis Gallieni, LEG XIIII GEM.

Legio qvintadecima, in inferiore Germania. Tacit. Hist. I, 55.

Legio qvintadecima, in Iudaea Taeit. Hist. V, 1. Mox in Paononiam remissa. Vide Appendicem ad librum V Histor. cap. 43. Dionis tempore memorator, *legio quintadecima Apollinaris, in Cappadocia.* Dio, loc. cit. In veteri qooque inseriptioue, aetate Traiani, apud eruditum *Shaw* (*Voyages*, vol. I, p. 263), LEG. XV. APOL.

Legio sextadecima, in ioferiore Germania. Tacit. Hist. I, 55. A Dione non memoratur. Eius aetate forte fuit alteri legiooi admixta. Apud Gruterum, p. 516, num. 7, exstat memoria duorum fratrum, qui militavere in LEGIONE. XVI. IN. GERMANIA.

Legio septimadecima nec a Taeito, nec a Dione memoratur. Videtur Variana elade a Germanis fuisse eaesa; inde eius memoria sane obliterata. Apud Gruterum, p. 539, num. 6, memoratur Cn. Curio Sabinus, LEG. XVII. miles.

Legio dvodevicesima a Tacito et Dione siletur. Periit elade Variana. Exstat insigne eius mooumentum, olim in Veteribus Castris, hodie *Santen*, ereetum, nunc stodio illustrissimi Ioannis Mauricii, principis Nassaviae, io oppido *Bergendal*, prope Clivos, *Cleves*, adservatum, teste el. *Alting* (*Notitia Germaniae inferioris antiquae*, p. 33):

M. CAELIO. T. F. LEM. BONO.
...... O. LEG. XIIX. ANN. LIII.
.... CIDIT. BELLO. VARIANO. OSSA.
.... NFERRE. LICEBIT. P. CAELIVS. T. F.
LEM. FRATER. FECIT.

Explicat suppletque cl. *Alting*:

Marco Caelio, *Titi filio*, *Lemonia* tribu, *bono nomine* (malim *Bono*, ut *M. Caelii* cognomen sit. Nec aliter Plinianis inscriptionibus, quae in agro Comensi exstant, C. PLINIO. L. F. OVF. CAECILIO SECVNDO. COS. AVG. etc.; id est, *Caio Plinio*, *Lucii filio*, *Oufentina tribu*, *Caecilio secundo*, *consuli*, *auguri*, etc.) *primo et legato* (displicet *primo et*) *legionis duodevicesimae annorum quinquaginta trium. Cecidit* (forte *qui cecidit*) *bello Variano. Ossa inferre licebit. Publius Caelius*, *Titi Filius*, *Lemonia* tribu, *frater fecit.*

Huic cenotaphio insculpta Caelii imago. Caput habet cinctum civica corona quercea, brachia armillis redimita; supra humeros et in pectore gestat phaleras; dextra tenet hastam puram, sinistra vexillum. Inde facile intelligas omnia Taciti loca, quibus comta signa, laetos exercitus, milites insignibus fulgentes memorat.

Legionis autem duodevicesimae nomen Traiani aetate renovatum fuisse videtur, si nihil peccatum est in inscriptione veteri, quam a Sirmondo accepit Gruterus, p. 1096, num. 6. Ibi enim memoratur Cn. Marcius Gal. Praetorius Celer, miles LEG. XVIII. FIRM. donis donatus a Divo Traiano in bello Parthico, corona murali, torquibus, armillis, phaleris. Monuerim in hac inscriptione postea errasse Gruterum, quum edidit LEG. XXIIII. GEM. MART. VICTR. Schedae MSS. Sirmondi habent LEG. XIIII. GEM. MART. VICTR. Apud eruditum *Shaw* (*Voyoges*, vol. I, p. 263), ex veteri inscriptione, Traiani aetate, memoratur quoque LEG. XVIII. PRIMIG., id est, *legio duodevicesima Primigenia*. Sed mendose forte pro LEG. XXII. Illa enim legio *Primigenia* cognominabatur, ut videre est in inscriptione, quae mox afferetur cap. 43.

LEGIO UNDEVICESIMA. Nulla eius mentio apud Dionem, loc. cit. Nec a Tacito memoratur in Historiarum libris. Nempe una fuerat e tribus quae Variana clade periere, ut vidimus supra, Annal. I, 60.

LEGIO VICESIMA, in Britannia. Tacit. Hist. I, 60; et III, 22. Dioni loc. cit., *legio vicesima Valeria Victrix*, *in superiore Britannia*. In nummis Gallieni, LEG. XX. In Carausii nummo apud cl. *Stukeley*, LEG XX V. V, id est, *legio vicesimo Valeria Victrix*. Eadem legio vicesima, aetate Dionis, fuit in superiore Germania

LEGIO VNAETVICESIMA RAPAX, in superiore Germania. Tacit. Hist. I, 61 et 67; II, 43. In nummo Gallieni apud cl. *Banduri*, loc. cit., LEG XXI GEM., id est, *legio unaetvicesima Gemina*. De ea silet Dio. Eius monumenta in agro Tigurino, anno 1724 eruta, vide apud Schellhornium, *Amoenitates literariae*, vol. VII, p. 1 et seq.

LEGIO DVOETVICESIMA, in superiore Germania. Tacit. Hist. I, 18 et 55: III, 18; IV, 24. Frequens eius mentio in Moguntinis monumentis. In nummis Gallieni, LEG XXII. Nulla eius memoria apud Dionem, loc. cit. Dicta est *Primigenia* in veteri inscriptione apud eruditum *Gori*, Inscript. Antiq. vol. III, p. 172: LEG. XXII. PRIMIG. Dicitur etiam *Primigenia*, *Pia*,

Fidelis, in inscriptione posita olim in Veteribus Castris, *Santen*, nunc in oppido *Bergendal* servata, teste cl. *Altıng*, loc. cit. p. 32:

HERCVLI. SAX.
SANO. SACRVM.
C. SVLPICIVS. MA
TVRVS. LEG. XXII.
PR. P. F. ET. COMMI
LITONES. LEG. EIV
SDEM. QVI. SVB.
EO. SVNT.
V. S. L. M.

Id est, *votum solverunt libentes merito*.

Legio dvoetvicesima, in Aegypto. Tacit. Hist. V, 1. Apud Gruterum, p. 525, num. 2, memoratur T. Aufidius Balbus, tr. mil. alexandre ad aegypt. leg. xxii., id est, *tribunus militum Alexandriae ad Aegyptum legionis duoetvicesimae*: et in Patreusibus nummis, principibus Claudio et Galba eusis, col. a. a. patr., id est, *colonia Augusta Aroe Patrensis*; et inter aquilam signaque militaria, xxii., id est, *legio duoetvicesima*.

Legio e classicis: legio illa memoratur Hist. III, 55; conscripta, ut videtur, a Vitellio, extremis ac ferme desperatis rebus; statim Flavianis dedita; nusquam postea comparet. Eam sane Vitellius e castris Ravennatium et Misenatium, quae erant Romae, conscripserat. Hae sunt legiones, quae inter hos civilium bellorum motus passim celebrantur. Ad faciliorem Taciti Historiarum intelligentiam suis quasque in locis nunc iuvat repraesentare.

LEGIONES.

In Britannia, Secvnda, Nona, Vicesima;
In Hispania, Prima Adivtrix, Sexta, Decima;
In Gallia, Prima Italica;
In inferiore Germania, Prima, Qvinta, Qvintadecima, Sextadecima;
In superiore Germania, Qvarta, Vnaetvicesima, Dvoetvicesima;
In Pannonia, Septima Galbiana, Tertiadecima;
In Dalmatia, Vndecima, Qvartadecima;
In Moesia, Septima Clavdiana, Octava;
In Syria, Tertia, Qvarta, Sexta, Dvodecima;
In Iudaea, Qvinta, Decima, Qvintadecima;
In Aegypto, Tertia, Dvoetvicesima:
In Africa, Tertia.

Demum quum historiam romanam usque ad Traiani tempora illustrandam susceperim, paucis addam, apud Dionem, loco cit., memorari legiones, quae post civilia bella a principibus lectae sunt. Nempe lecta a Vespasiano, legio qvarta flavia, quae Dionis aetate fuit in Syria. In

nummis Gallieni et Carausii, LEG. IIII. FL. vel FLAVIA. A Domitiano, LEGIO PRIMA MINERVIA, quae Dionis tempore fuit in Germania inferiori. In nummis Gallieni, LEG. I. MIN. a Traiano, LEGIO SECVNDA AEGYPTIA, et LEGIO TRICESIMA GERMANICA VLPIA. In nummis Gallieni et Carausii appellatur tantum, LEG. XXX VLP vel VLPIA. In veteribus inscriptionibus, LEG. XXX. V. V., id est, *legio tricesima*, *Ulpia*, *victrix*. *Legio* autem *secunda Aegyptia* eadem sane est, quae in inscriptione infra dicitur II. TRAIANA.

His praemonitis, nulla, ut opinor, restat difficultas: manet tantum admiratio, terrarum orbem tam paucis legionibus fuisse devictum, aut in obsequio retentum; insuperabili servitiu, ni ducum ambitio, militum cupido legiones, ut cetera imperii, perdidissent. At haec mirari desinet, qui militarem Romanorum disciplinam, legionumque formam, *divinitatis instinctu* potius, quam *humano consilio* constitutam noverit: Veget. II, 21. Haec quum diu secum reputasset vir in re bellica summus, et de Gallia optime meritus, legionariam militiam, quam validiorem expeditioremque, et impensarum parcam, existimabat, restitutam voluit. Vide *Mémoires sur l'Infanterie, ou Traité des Légions, suivant l'exemple des anciens Romains, par M. le Maréchal de Saxe.*

BROTIER.

N.° 3. CAP. LXII. *Epularum foeda et inexplebilis libido* (de VITELLIO).

Fuisse aliquando ventrosum principem, cuius gulae imperium romanum vix sufficere potuerit, incredibile videretur, ni foedam et inexplebilem, qua Vitellius flagravit, epularum libidinem testarentur oculati testes, Tacitus, Plinius, ac Suetonius. Ut tale monstrum ad infamiam ignominiamque pateat, Vitellii ingluviem paucis expendam.

DE VENTRE ET GVLA VITELLII.

Vitellius, inter popinas adultus, ut primum adeptus est imperium, totam principatus fortunam in ingluviem vertit. Qua quidem intemperantia *novies millies sestertium* (gallicae monetae 172,933,556 fr.) *paucissimis mensibus intervertisse creditur*: Tacit. Hist. II, 95. Nec sane mirum, quum tam profundae esset gulae, ut *epulas trifariam semper*, *interdum quadrifariam* dispertiret, *in ientacula*, *et prandia*, *et coenas comissationesque: facile omnibus sufficiens vomitandi consuetudine*. Sueton. in Vitell. XIII.

Quam enormes fuerint tales epulae, aestimari potest, quum in unam coenam impenderit *quadragies sestertium*, ἑκατὸν μυριάδας (gallicae monetae 768,707 fr.). Dio, lib. LXV, p. 735. Immo celebrata sunt, ni forte ob versus rationem, numerum auxerit Sidonius Apollinaris, Carm. v. 324,

...... Quina Vitelli
Millia, famosi ventris damnata barathro.

Quina millia sunt gallicae monetae 960,836 fr.

Si tantum opum cibis exhaustum vix intelligas, occurrat animo *famosissima super ceteras coena* Vitellio *data adventitia a fratre*, *in qua duo*

millia lectissimarum piscium, septem millia avium apposita traduntur. Sueton. loc. cit.

Quanta quanta fuerit haec coena, *hanc quoque exsuperavit* Vitellius, teste Suetonio ibid. Vulgares nempe patinas, quasi ventre suo minores, aversatus, unam, quam ob immensam magnitudinem, clypeum Minervae, Αἰγίδα Πολιούχου, dictitabat, X *HS.* (gallicae monetae 192,130 fr.), licet foret fictilis, condidit; *cui faciendae fornax in campis exaedificata erat.* Plin. XXXV, 12. Tum nova luxus monumento superbas, coenam fecit, dedicaturus patinam, *in qua scarorum iecinora, phasianorum et pavonum cerebella, linguas phoenicapterum, muraenarum lactes, a Carpathia usque, fretaque Hispaniae, per navarchos et triremes petitarum commiscuit.* Sueton. in Vitell. XIII.

Quum ita se publicis opibus ingurgitaret, privatas adhuc lahiabat; *aliudque alii eadem die* epulum indicebat: *nec cuiquam minus singuli apparatus quadringenis millibus nummum* (gallicae monetae 76,852 fr.) constabant. Sueton. loc. cit.

Sic exhaustae plurimorum opes: multi quoque, quibus non idem erat aut edendi, aut vomitandi usus, enecti. Unde Vibius Crispus, quum ob morbum convivio aliquando non interfuisset, minime inficete dixit, ni aegrotasset, se periturum: Εἰ μὴ ἐνενοσήκειν, ἀπωλόμην ἄν. Suidas, verbo Βιτέλλιος.

Nec unquam requievit insaturabile Vitellii abdomen. Si iter faceret, passim exstruebantur convivia. Si navigaret, utebatur *delicatissimis navigiis, variarum coronarum genere redimitis, inter profusissimas opsoniorum apparatus.* Sueton. in Vitell. 10.

Cetera autem tanto luxui paria, maiorisve impendii. Immensa enim erat odorum unguentarumque prodigentia. Et, ut omnia paucis verbis complectar, licet memoriam moresque Neronis summopere celebraret Vitellius, cum tamen reprehendere erat solitus, quod male habitasset, paucaque et vili supellectili fuisset usus: Ἠτιᾶτο αὐτὸν, κακῶς τε ᾠκηκέναι, καὶ σκευῇ ὀλίγῃ καὶ ταπεινῇ κεχρῆσθαι λέγων. Dio, LXV, p. 735. Scilicet iam sordebat Aurea domus! iam aurum, iam gemmae, iam murrhina, iam naturae artiumque miracula evilucrant! Adeo prona in luxu satietas!

Verum ergo extitisse unum hominem, cuius gulae, si diutius vixisset, vix suffecisset imperium romanum; cuius luxui impar fuisset.

Brotier.

EXCVRSVS

IVSTI LIPSII ET BROTERII

AD OPERA C. CORNELII TACITI.

HISTORIARVM LIBER TERTIVS.

N.° I. CAP. V. (IVSTVS LIPSIVS huius capitis et sequentium usque ad decimum sic textum restituere proposuit: quam opinionem diligenter perpendunt et illustrant variorum notae, quas repetere et vicissim collatas examinare si libuerit, recurrere poteris ad volum. III, a pag. 264 usque ad pag. 272.)

Ceterum ut transmitteret in Italiam impune et eo usui foret, scriptum Aponio, ut una cum Moesico exercitu celeraret. Ac, ne inermes provinciae barbaris nationibus exponerentur, principes Sarmatarum Iazygum in commilitium adsciti; plebem quoque et vim equitum, qua sola valent, offerebant, remissum id munus, ne inter discordias externa molirentur, ac maiore ex diverso mercede ius fasque exuerent. Trahuntur in partes Sido atque Italicus, reges Suevorum, quibus vetus obsequium erga Romanos et gens fidei commissae patientior: opposita in latus auxilia, infesta Raetia, cui Porcius Septimius procurator erat, incorruptae erga Vitellium fidei. Igitur Sextilius Felix, cum ala Tauriana et VIII cohortibus ac Noricorum iuventute, ad occupandam ripam Aeni fluminis, quod Raetos Noricosque interfluit, missus, nec illis aut his proelium tentantibus, fortuna partium alibi transacta. Antonio, vexillarios e cohortibus et partem equitum rapienti, comes fuit Arrius Varus, strenuus bello; quam gloriam et dux Corbulo et prosperae in Armenia res addiderant. Idem secretis apud Neronem sermonibus ferebatur Corbulonis virtutes criminatus. Unde infami gratia primum pilum adepto, laeta, ad praesens male parta, mox in perniciem vertere. Sed Primus ac Varus, occupantes Aquileiae proxima quaeque, et Opitergii et Altini laetis animis accipiuntur. Relictum Altini praesidium adversus classem Ravennatem, nondum defectione eius audita. Inde Patavium et Ateste partibus adiunxere. Illic cognitum, tres Vitellianas cohortes et alam cui Scribonianae nomen, ad Forum Alieni ponte iuncto

consedisse. Placuit occasio invadendi incuriosos: nam id quoque nuntiabatur. Luce prima, inermes plerosque oppressere. Praedictum, ut paucis interfectis ceteros pavore ad mutandam fidem cogerent. Et fuere, qui se statim dederent: plures, abrupto ponte, instanti hosti viam abstulerunt. Vulgata victoria, post principia belli secundum Flavianos, duae legiones, septima Galbiana, tertiadecima Gemina, cum Vedio Aquila, legato, Patavium alacres veniunt. Ibi pauci dies ad requiem sumpti, et Minutius Iustus, praefectus castrorum legionis VII, quia audacius, quam civili bello, imperitabat, subtractus militum irae, ad Vespasianum missus est. Desiderata diu res, interpretatione gloriae, in maius accipitur, postquam Galbae imagines, discordia temporum subversas, in omnibus municipiis recoli iussit Antonius, decorum pro caussa ratus, si placere Galbae principatum partes praesumerent. Quaesitum inde, quae sedes bello legeretur. Verona potior visa, patentibus circum campis ad pugnam equestrem, qua praevalebant; simul coloniam, copiis validam, auferre Vitellio in rem famamque videbatur. Possessa ipso transitu Vicentia; quod per se parum (etenim modicae municipio vires) magni momenti locum obtinuit, reputantibus illic Caecinam genitum, et patriam hostium duci ereptam. In Veronensibus pretium fuit; exemplo opibusque partes iuvere. Et interceptus exercitus per Raetiam Iuliasque Alpes: ac, ne pervium illa germanicis exercitibus foret, obsepserat. Quae ignara Vespasiano aut vetita: quippe Aquileiae sisti bellum exspectarique Mucianum iubebat; adiiciebatque imperio consilium, quando Aegyptus, claustra annonae, vectigalia opulentissimarum provinciarum obtinerentur, posse Vitellii exercitum, egestate stipendii frumentique, ad deditionem subigi. Eadem Mucianus crebris epistolis monebat, incruentam et sine luctu victoriam, et alia huiuscemodi praetexendo; sed gloriae avidus, atque omne belli decus sibi retinens. Ceterum ex instantibus ' terrarum spatiis consilia post res afferebantur. Igitur repentino incursu Antonius stationes hostium irrupit, tentatisque levi proelio animis, ex aequo discessum. Mox Caecina inter Hostiliam, vicum Veronensium, et paludes Tartari fluminis, castra permuniit, tutus loco, quum terga flumine, latera obiectu paludis, tegerentur. Quod si affuisset fides, aut opprimi universis Vitellianorum viribus duae legiones, nondum coniuncto Moesico exercitu, potuere, aut retroactae, deserta Italia, turpem fugam conscivissent. Sed Caecina, per varias moras, prima hostibus vendidit tempora belli, dum, quos armis pellere promptum erat, epistolis increpat, donec per nuntios pacta perfidiae firmaret. Interim Aponius Saturninus cum legione VII Claudiana advenit. Legioni tribunus Vipstanus Messalla praeerat, claris maioribus, egregius ipse, et qui ad id bellum solus artes bonas attulisset. Has ad copias nequaquam Vitellianis pares (quippe tres adhuc legiones erant) misit epistolas Caecina, temeritatem victa arma tractantium incusans. Simul virtus germanici exercitus laudibus attollebatur, Vitellii modestica et vulgari mentione, nulla in Vespasianum contumelia. Nihil prorsus quod aut corrumperet hostem, aut terreret. Flavianarum partium duces, omissa prioris fortunae defensione, pro Vespasiano magnifice, pro caussa fidenter, de exitu securi, in Vitellium, ut inimici. Facta tribunis et centurionibus retinendi, quae Vitellius indulsisset, spes; atque ipsum Caecinam, non obscuro, ad transitionem

hortabantor. Recitatae pro concione epistolae addidere fiduciam, etc., eo *ordine quo deinceps vulgati.*

[1] Aliae quoque editiones habent *instantibus*, vitio operarum; nam legendum *distantibus.*

IVSTVS LIPSIVS.

N.° 2. CAP. LXXII. *Horatius Pulvillus, iterum consul, Capitolium dedicavit, ea magnificentia, quam immensae postea populi romani opes ornarent potius, quam augerent.*

Quae et quanta fuerit illa Capitolii magnificentia, quam immensae postea populi romani opes ornarent potius, quam augerent, explicandum.

DE CAPITOLIO EIVSQVE MAGNIFICENTIA.

Mons Tarpeius, dictus postea Capitolinus, aditu difficillimus, ac praeruptus, fastigiato adsurgebat vertice, quum Tarquinius Priscus, non praesentis temporis, sed futuri imperii magnitudinem animo complexus, augustissimum Iovis templum in hoc vertice aedificare meditatus est. Iecit fundamenta et immensis ac laboriosissimis sobstructionibus, congestisque aggeribus, planam effecit aream, ad excipiendas sacras aedes aptissimam. Dionys. Halicarnass. Antiq. Rom. III, 49 et 69. Hae sunt substructiones, quas Plinius, XXXVI, 15, *insanas* appellat, ob incredibilem operum difficultatem, et immensas lapidum moles.

Servius Tullius et Tarquinius Superbus, grande opus prosecuti, templum exstruxere. Fundatum est in alta crepidine, octo iugerum ambitu, ducentis ferme pedibus patens per latera singula, exigua latitudinis et longitudinis differentia: latitudo enim a longitudine non totis quindecim pedibus superabatur. Ex ea parte qua frons templi meridiem spectabat, triplici columnarum ordine cingebatur, a lateribus vero duplici. Intus tres erant cellae, quae aequali distantia communibus lateribus continebantur: media erat Iovis; a lateribus altera Iunonis, altera Minervae, et sub uno eodemque tecto comprehendebantur. Haec Dionysius Halicarnass. Antiq. Rom. IV, 61.

Quantum autem impensarum in hoc templo aedificando fuerit factum aestimari potest, quum, teste Livio, I, 55, *quadringenta talenta* (gallicae monetae 2,151,852 fr.) *vix in fundamenta suppeditavere.* In haec fundamenta impensa fuisse quadraginta millia pondo argenti (gallicae monetae 2,483,457 fr.) tradit Plutarchus, in Puplicola, p. 105: *Λέγεται δὲ Ταρκύνιον εἰς τοὺς θεμελίους ἀναλῶσαι λίτρας ἀργυρίου τετρακισμυρίας.*

Tanta autem aedes (ea tum erat morum simplicitas) exaedificata est, ut fictilis effigies Iovis in Capitolio locaretur. Aurum enim et argentum ne Diis quidem conficiebatur. Fictilis tantum colebatur Iupiter, et ideo miniari solitus: fictiles quoque in fastigio templi quadrigae. Plin. XXXV,

12. In hac tamen aede Iovis Capitolini scalpturatum pavimentom primum factum est post tertium Punicum bellum initum. Plin. XXXVI, 25. Eius autem laquearia post Carthaginem eversam inaurata sunt. Plin. XXXIII, 3.

Conflagravit istud templum, Syllano bello, a. U. c. 671. Mox iisdem rursus vestigiis situm est. Sed quum luxuria tunc adolesceret, certatum est ut Tarquiniorum opus magnificentia vinceretur. Sylla, Romanorum ditissimus, Atheois ex Iovis Olympii templo colomnas Capitolinis aedibus advexit. Plin. XXXVI, 6. Catulus tegulas aereas inauravit. Plin. XXXIII, 3. Cetera eius decora, aliis saepe memorata, quid repetam? Satis sit observasse eius opes in immensum fuisse auctas triumphantium, magistratuum, urbium, provinciarum, popolorum, exterorum etiam regum, ac demum Caesarum donariis. Principes io eas liberalitates adeo effusi, *ut in cellam Capitolini Iovis sedecim millia pondo auri* (gallicae monetae 14,933,334 fr.), *gemmas ac margaritas quingenties sestertium* (gallicae monetae 9,607,420 fr.), *una donatione contulerit* Augustus. Suet. in Aug. 30.

Imaginare nunc picturas, statuas, et praestantissima artium miracula, quae huc ondique congerebantur. Qoanto autem studio adservarentur, ex uno disce: *Aetas nostra vidit in Capitolio, priusquam id novissime conflagravit a Vitellianis incensum, in cella Iunonis, canem ex aere vulnus suum lambentem, cuius eximium miraculum, et indiscreta veri similitudo, non eo solum intelligitur, quod ibi dicata fuerat, verum et nova satisdatione: nam summa nulla par videbatur; capite tutelarios cavere pro ea, instituti publici fuit*: Plin. XXXIV, 7.

Tantas opes Capitoliumque iterum absumpsit bellorum civilium furor. Quanto maiore magnificentia a Vespasiano Domitianoque fuerit restitutum dicetur infra, p. 53, in excursu ad Historiarum IV librum, cap. 53.

BROTIER.

EXCVRSVS

Gabr. BROTERII, ERNESTI,

ET VARIORVM,

AD OPERA C. CORNELII TACITI.

HISTORIARVM LIBER QVARTVS.

N.° 1. Cap. VI. « De *imperio Vespasiani* » *censebant*.

Quid sensus de imperio Vespasiani censuerit, quomodo cuncta principibus solita ei decreverit, paucis expediendum: simul legis imperii; seu legis Regiae primordia fataque explananda sunt.

DE LEGE IMPERII

DICTA QVOQVE LEGE REGIA.

Regum primo, deinde duodecim Tabularum *legibus* paruit populus romanus. Orta post hac discordia plebem inter et patres, plebs sibi iura constituit, quae *plebiscita* vocata sunt, et pro legibus lege Hortensis observata. At labentibus seculis plurimisque victoriis ita crevit populus romanus, ut in tanta hominum turba plebs difficile conveniret; itaque necessitas ipsa curam reipublicae ad senatum deduxit. Coepit ergo senatus se interponere; et quidquid constituisset, observabatur: ius illud appellabatur *senatusconsultum*. Quum iuris constituendi vis ad paucìores ita devenisset, Caius Iulius Caesar in se unum illam traxit, et quam armis sibi iam adseruerat, eam adhuc legum auctoritate munitam voluit. A. U. c. 706, ei datum, ut de Pompeianis arbitrstu suo statueret: mox, srrepta ex motibus Africae specie, decretum ut ei belli pacisque in omnes homines ius esset, etsi neque ad senatum, neque od populum de iis retulisset: Τούς τε γὰρ τὰ τοῦ Πομπηΐου φρονήσαντας ἐπέτρεψαν αὐτῷ πάνθ' ὅ, τι ποτ' ἂν ἐθελήσῃ δρᾶσαι.... καὶ πολέμου καὶ εἰρήνης κύριον, προφάσει τῶν ἐν τῇ Ἀφρικῇ συνισταμένων, πρὸς πάντας ἀνθρώπους, ἀπέδειξαν αὐτὸν, κἂν μηδὲν μήτε τῷ δήμῳ μήτε τῇ βουλῇ περὶ αὐτῶν κοινώσηται. Dio, XLII, p. 194.

Inter haec dominationis molimina, libertas Caesarem oppressit. Tum

respublica triumvirorum arbitrio permissa. Nihil in publicam utilitatem consultum: omnia libidinibus paruere. Respublica, libertatis imagine, quam ipsa servitute, magis conflictata, ad Octavium Augustum ultro confugit, qui omnia, discordiis civilibus fessa, sub nomine *principis* accepit. Quum ita necesse fuisset reipublicae per unum consuli, *constituto principe, datum est ei ius, ut quod constituisset ratum esset.* Pomponius, Digest. lib. I, tit. 2, *de Origine iuris*, leg. 2.

Ius illud dictum est *lex imperii*, quae postea, quum non ita invisum foret Romanis regum nomen, dicta est *lex Regia*: de qua Ulpianus, Digest. lib. I, tit. 4, *de Constitutionibus principum*, leg. 1: *Quod principi placuit, legis habet vigorem: utpote quum lege Regia, quae de imperio eius lata est, populus ei et in eum omne suum imperium et potestatem conferat.*

Lex, quae, Vespasiano imperium capessente, lata est, aere incisa, Romae ruinis diu obruta iacuerat; quum pars eius praestantissima, quoniam in ea sanctio contineatur, effossa, primum in ecclesia Lateranensi prope tabernaculum SS. Corporis Christi affixa est, mox in aedes Capitolinas translata, ubi nunc inter egregia antiquitatis monumenta adservatur. Quam quum ibi viderim, iuvat eam paullo accuratiorem, quam a Grutero, Thesaur. Inscript. p. 242, edita est, repraesentare notisque explanare.

FOEDVSVE CVM. QVIBVS. VOLET. FACERE. LICEAT. ITA. VTI. LICVIT. DIVO. AVG.
TI. IVLIO. CAESARI. AVG. TIBERIOQVE. CLAVDIO. CAESARI. AVG. GERMANICO.

VTIQVE. EI. SENATVM. HABERE. RELATIONEM. FACERE. REMITTERE. SENATVS.
CONSVLTA. PER. RELATIONEM. DISCESSIONEMQVE. FACERE. LICEAT.

ITA. VTI. LICVIT. DIVO. AVG. TI. IVLIO. CAESARI. AVG. TI. CLAVDIO. CAESARI. AVG. GERMANICO.

VTIQVE. CVM. EX. VOLVNTATE. AVCTORITATEVE. IVSSV. MANDATVVE. EIVS.
PRAESENTEVE. EO. SENATVS. HABEBITVR. OMNIVM. RERVM. IVS. PERINDE.
HABEATVR. SERVETVR. AC. SI. E. LEGE. SENATVS. EDICTVS. ESSET. HABERETVRQVE.

VTIQVE. QVOS. MAGISTRATVM. POTESTATEM. IMPERIVM. CVRATIONEMVE.

CVIVS. REI. PETENTES. SENATVI. POPVLOQVE. ROMANO. COMMENDAVERIT.

QVIBVSQVE. SVFFRAGATIONEM. SVAM. DEDERIT. PROMISERIT. EORVM.

COMITIS. QVIBVSQVE. EXTRA. ORDINEM. RATIO. HABEATVR.

VTIQVE. EI. FINES. POMERII. PROFERRE. PROMOVERE. CVM. EX. REPVBLICA.

CENSEBIT. ESSE. LICEAT. ITA. VTI. LICVIT. TI. CLAVDIO. CAESARI. AVG. GERMANICO.

VTIQVE. QVAECVNQVE. EX. VSV. REIPVBLICAE. MAIESTATE. DIVINARVM.

HVMANARVM. PVBLICARVM. PRIVATARVMQVE. RERVM. ESSE.

CENSEBIT. EI. AGERE. FACERE. IVS. POTESTASQVE. SIT. ITA. VTI. DIVO. AVG.

TIBERIOQVE. IVLIO. CAESARI. AVG. TIBERIOQVE. CLAVDIO. CAESARI.

AVG. GERMANICO. FVIT.

VTIQVE. QVIBVS. LEGIBVS. PLEBEIVE. SCITIS. SCRIPTVM. FVIT. NE. DIVVS. AVG.

TIBERIVSVE. IVLIVS. CAESAR. AVG. TIBERIVSQVE. CLAVDIVS. CAESAR. AVG.

GERMANICVS. TENERENTVR. IS. LEGIBVS. PLEBISQVE. SCITIS. IMP. CAESAR.

VESPASIANVS. SOLVTVS. SIT. QVAEQVE. EX. QVAQVE. LEGE. ROGATIONE.

DIVVM. AVG. TIBERIVMVE. IVLIVM. CAESAREM. AVG. TIBERIVMVE.

CLAVDIVM. CAESAREM. AVG. GERMANICVM. FACERE. OPORTVIT.

EA. OMNIA. IMP. CAESARI. VESPASIANO. AVG. FACERE. LICEAT.

VTIQVE. QVAECVNQVE. ANTE. HANC. LEGEM. ROGATAM. ACTA. GESTA.

DECRETA. IMPERATA. AB. IMPERATORE. CAESARE, VESPASIANO. AVG.

IVSSV. MANDATVVE. EIVS. A. QVOQVE. SVNT. EA. PERINDE. IVSTA. RATAQ.

SINT. AC. SI. POPVLI. PLEBISVE. IVSSV. ACTA. ESSENT.

SANCTIO.

SIQVIS. HVIVSCE. LEGIS. ERGO. ADVERSVS. LEGES. ROGATIONES. PLEBISVE. SCITA.

.SENATVSVE. CONSVLTA. FECIT. FECERIT. SIVE. QVOD. EVM. EX. LEGE. ROGATIONE.

PLEBISVE. SCITO. S. VE. C. FACERE. OPORTEBIT. NON. FECERIT. HVIVS. LEGIS.

ERGO. ID. EI. NE. FRAVDI. ESTO. NEVE. QVIT. OB. EAM. REM. POPVLO. DARE. DEBETO.

NEVE. CVI. DE. EA. RE. ACTIO. NEVE. IVDICATIO. ESTO. NEVE. QVIS. DE. EA. RE. APVD.

*se a*GI. SINITO.

Initia legis periere; quibus, ut coniicere licet, omnium rerum ius, arbitrium vitae et necis, belli ac pacis commercia Vespasiano permittebaotur ita, uti Divo Augusto, Tiberio, Claudioque fuere permissa. Iis aubuectitur:

Foedusque, cum quibus volet, facere liceat ita, uti licuit Divo Augusto, Tiberio Iulio Caesari Augusto, Tiberioque Claudio Caesari Augusto Germanico. Tiberius adoptione in Iuliam familiam transierat: inde illi nomen *Tiberio Iulio Caesari:* et ut iura dominandi magis ac magis firmaret, vulgo dicebatur TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. DIVI. IVLI. NEP. AVG., id est, *Tiberius Caesar, Divi Augusti filius, Divi Iulii nepos, Augustus.* In veteribus quoque inscriptionibus memorantur servi, qui appellantur TIB. IVLIVS. AVG. LIB., id est, *Tiberius Iulius, Augusti libertus*; quod nomen a patrono suo Tiberio Iulio Augusto sane acceperant. Nomina autem Iulii Caesaris, Caii Caligulae, Neronis, hic et in sequentibus capitibus omittuntur; ac merito quidem. Nullum enim imperium, nulla lex imperii,

quum C. Iulius Caesar cecidit: Caii vero Caligulae ac Neronis memoria damnata, proinde silenda. Ceterorum principum, Galbae, Othonis et Vitellii, fluxum imperium, nec in hoc civilium bellorum fine memorandum.

Utique ei senatum habere, relationem facere, remittere; senatusconsulta per relationem discessionemque facere liceat ita, uti licuit Divo Augusto, Tiberio Iulio Caesari Augusto, Tiberio Claudio Caesari Augusto Germanico. Quod, libera olim republica, maioribus tantum magistratibus erat datum, id principi concessum est, ut senatum haberet, de negotiis relationem faceret, relationemve ad senatum remitteret; ut senatusconsulta faceret per relationem, conquisitis nempe singulorum sententiis, vel per discessionem, quum curia in partes discedebat. Huiusce autem usus ratio, quod saepe rubor timorve inerat, si singuli sententias suas proferrent; contra vero nec rubor, nec timor, si in partes discedebatur. Inde Dio, XLI, p. 153: *Διαψηφίσεως δὲ ἐπὶ τούτοις οὐ κατ' ἄνδρα (μὴ καὶ δι' αἰδῶ ἢ καὶ φόβον τινὰ παρὰ τὰ δοκοῦντα σφίσιν ἀποφήνωνται) ἀλλ' ἐπὶ τάδε καὶ ἐπ' ἐκεῖνα τοῦ βουλευτηρίου μεταστάσει γενομένης.* Quum tale senatusconsultum fieret, verba sollennia erant: QVI HAEC SENTITIS, IN HANC PARTEM; QVI ALIA OMNIA IN ILLAM PARTEM ITE, QVA SENTITIS. Vide Plinium, Ep. VIII, 14. Huiusmodi senatusconsultum, Tiberio principe factum, memorat Suetonius in Tiber. c. 31. Quam parce autem ius relationis Augusto primitus fuerit tributum (scilicet ut quoties senatus haberetur, etiamsi consulatum non gereret, iure unius relationis, de quacumque re vellet, uteretur) docet Dio, LIII, p. 518: *Χρηματίζειν αὐτῷ περὶ ἑνός τινος ὅτου ἂν ἐθελήσῃ καθ' ἑκάστην βουλήν, κἂν μὴ ὑπατεύῃ, ἔδωκε*

Utique quum ex voluntate, auctoritateve, iussu, mandatuve eius, praesenteve eo, senatus habebitur, omnium rerum ius perinde habeatur, servetur, ac si e lege senatus edictus esset, habereturque.

Utique quos, magistratum, potestatem, imperium, curationemve cuius rei petentes, senatui populoque romano commendaverit, quibusque suffragationem suam dederit, promiserit, eorum, comitiis quibusque, extra ordinem, ratio habeatur.

Duobus istis capitibus non subiungitur formula, *uti licuit Divo Augusto, Tiberio, Claudioque*, quia iis capitibus ampliata est Vespasiani potestas, eique tributum ius, quod Divo Augusto, Tiberio, Claudioque prius non fuerat lege imperii concessum. In exemplum ergo adduci non potuere. His autem duobus capitibus quam in immensum Vespasiani auctoritas favorque intenderentur, patet cuique singula verba perpendenti.

Utique ei fines pomoerii proferre, promovere, quum ex republica censebit esse, liceat ita, uti licuit Tiberio Claudio Caesari Augusto Germanico. Fines pomoerii a Claudio prolatos vidimus supra, Annal. XII, 23. Eos quoque protulerat Augustus; qui tamen hic siletur, quod illos protulerit, Aegypto in populi romani ditionem redacta, se proinde ante legem imperii. Adde ab Augusto, nondum dominationis certo, et in senatum indulgente, consules in huius gloriae societatem fuisse vocatos. Immo *ex senatusconsulto* consules Censorinus et Gallus *fines pomoerii terminaverunt*, ut constat ex inscriptione, quam videre est in Excurs. ad Annal. lib. XII, c. 23. Nero quoque, uti ibidem monuimus, pomoerium auxerat: sed minime memorandus, ob damnatam memoriam, de qua iam supra.

« *Utique quaecunque ex usu reipublicae, maiestate divinarum, humanarum, publicarum, privatarumque rerum esse censebit, ei agere, facere ius potestasque sit ita, uti Divo Augusto, Tiberioque Iulio Caesari Augusto, Tiberioque Claudio Caesari Augusto Germanico fuit.* Hac in re insigne exemplum exstat Annal. III, 60 et seq.

Utique quibus legibus, plebeive scitis, scriptum fuit ne Divus Augustus, Tiberiusve Iulius Caesar Augustus, Tiberiusque Claudius Caesar Augustus Germanicus tenerentur, iis legibus plebisque scitis imperator Caesar Vespasianus solutus sit; quaeque ex quaque lege, rogatione, Divum Augustum, Tiberiumve Iulium Caesarem Augustum, Tiberiumve Claudium Caesarem Augustum Germanicum facere oportuit, ea omnia imperatori Caesari Vespasiano Augusto facere liceat. Inde manifestum est nec Vespasianum, nec priores principes omnibus legibus fuisse solutos. Iis tantum legibus aut plebiscitis soluti sunt, quibus neque Divus Augustus, neque Tiberius, neque Claudius tenebantur. Quibus autem non tenerentur minime dixerim, quum priores leges imperii, quibus id continebatur, perierint. Novimus tamen ex Dione, LVI, p. 582, a. U. c. 762, Augustum solutum fuisse legibus in petendo consulatu, τὸ τὴν ὑπατείαν θᾶττον παρὰ τὸ νενομισμένον λαβεῖν. Legibus quoque coniugalibus principes fuisse solutos coniicit eruditus Gravina, Origines Iuris Civilis, p. 140. Quod enim habet Ulpianus, Digest. lib. I, tit. 3, *de legibus et senatusconsultis*, leg. 31, *Princeps legibus solutus est*, id acceptum ex Ulpiani commentariis ad legem Iuliam et Papiam, quae leges sunt coniugales. Postea crevit principum immunitas; nec principes in leges iurabant. Ideo Traianus tantopere laudatus a Plinio, in Panegyric. 64 et 65, quod processerit in rostra, *inadscensumque illum superbiae principum locum* triverit, in legem iuraverit, se legibus subiecerit. *Quod ego*, exclamat Plinius, *nunc primum audio, nunc primum disco, non est princeps super leges, sed leges supra principem.* Celeberrimum quoque est imperatoris Severi Alexandri effatum: *Licet enim lex imperii sollennibus iuris imperatorem solverit, nihil tamen tam proprium imperii est, quam legibus vivere.* Cod. lib. III, tit. *de Testam.*

Utique quaecunque ante hanc legem rogatam acta, gesta, decreta, imperata ab imperatore Caesare Vespasiano Augusto, iussu mandatuve eius a quoque sunt, ea perinde iusta rataque sint, ac si populi plebisve iussu acta essent. Haec lex a magistratibus ducibusque Flavianorum partium rogata. Quod vero additur: *perinde iusta rataque sint, ac si populi plebisve iussu acta essent*, id ex vetere usu repetitur, quo iusta rataque erant, quae populi plebisve iussu, id est, centuriatis aut tributis, comitiis acta fuerant. *Populi* appellatione continentur universi cives cum ipsis patriciis ac senatoribus; *plebis* nomine, ceteri cives sine patriciis et senatoribus.»

SANCTIO.

Si quis huiusce legis ergo adversus leges, rogationes, plebisve scita senatusve consulta fecit, fecerit, sive quod eum ex lege, rogatione, plebisve scito senatusve consulto facere oportebit, non fecerit huius legis ergo, id ei ne fraudi esto, neve quid (scriptum *quit* ob veterem pronuntiandi modum) *ob eam rem populo dare debeto; neve cui de ea re actio, neve iudicatio esto; neve quis de ea re apud* (tres sequentes li-

terae desunt ob fractum oereae tabulae aogulum) se agi sinito. Sanctio, qua lex munita violari non poteat; inviolabilis quoque declaratur, qui ex hac lege, vel ob hanc legem egit egeritve.

Utinam plures huiusce generis leges exstarent! Iis compertum foret, quibus gradibus inereverit romanorum principum auctoritas. Ea iam erat summa ante principis Severi Alexandri tempora. Solleunia enim sunt Ulpiani verba: *Quod principi placuit, legis habet vigorem: utpote quum lege Regia, quae de imperio eius lata est, populus ei et in eum omne suum imperium et potestatem conferat. Quodcumque igitur imperator per epistolam et subscriptionem statuit, vel cognoscens decrevit, vel de plano interlocutus est, vel edicto praecepit, legem esse constat.* Digest. lib. I, tit. 4, *de Constitutionibus principum*, leg. 1.

Brotier.

N.° 2. (In eodem capite, de eodem argumento sic disseruit *Ernestus.*)

Insigne est monumentum de imperio Vespasiani, repertum in aenea tabula, exstatque Romae in basilica Lateranensi, editum apud Gruterum, p. 242, nuper denuo collatum cum exemplo Broterii mox supra citato, quod mihi, veloti Ryckio, libuit Taciti libris Historiarum subiicere.

In hoc monumento sunt nonnulla, in quibus diligens lector haereat. Primum illud est, quod, quum apud Tacitum l. c. in senatu de imperio Vespasiani actum dicatur, tamen haec *lex* vocatur (n. 9) eaque *rogata* (n. 8). Atqui satis constat, illis temporibus leges, quae proprie dicerentur, factas non esse, sed omnia in senatu acta, et senatusconsultis sancita esse, sublatis populi plebisque comitiis per Tiberium. Sed contra doceri potest, etiamsi in principis senatusque potestate omnia fuerint, tamen in nonnullis rebus comitiorum quaedam sollennia, dicis caussa, esse servata, veluti in consulibus creandis. Vid. Suetonium, Calig. 16, Vespas. 5, Domit. 10, et ibi dicta; in adoptionibus, Tacit. H. I, 15, ubi legis curiatae mentio. Ergo etiam post SC. de imperio principis, videtur de eadem re lex curiata, usurpandae veteris memoriae et sollennitatis caussa, rogata et facta esse: de qoo infra plura dicemus.

Sed alia difficoltas exoritur de comitiis, ex capite quarto legis, quo cavetur, ut *quibuscunque comitiis* eorum extra ordinem ratio habeatur, qui *senatui populoque romano* commendati sint a principe, quibusque *suffragationem dederit, promiserit.* Nou quaeram, quam bene dicatur *suffragationem dare suam*, qui sciam, *suffragium dare*, esse potestatem suffragii alicui dare, non suffragio suo creare quem; nec cur additum sit, *promiserit*; cur dicit legislator, *quibuscunque comitiis*, quum non, ut ante, centuriata, tributa essent, quibus vel maiores, vel minores honores peterentur? cur *populoque romano*, quum populi in creando, honoribusque mandandis, nulla tum pars esset. Eis rebus sic occurri potest. Primo, etsi comitia ea, quae olim foere, sublata erant, tamen nomen comitiorum mansit; unde eorum etiam apud Plinium, in Paneg. c. 64, mentio, et apud Tacitum; vid. A. I, 81, II, 36, etc.: hoc tamen modo, ut non amplius epitheta vetera haberent, centuriataque et tributa dicerentur, sed *magistratuum comitia*, A. II, 36; *consularia*, I, 81,

etc. Ergo *quibuscunque comitiis* esse potest, in omnibus magistratibus creandis, quicunque creandi erunt magistratus. Quod deinde *populi* mentio additur, id fit e vetere formula, *S. P. Q. R.*, quae et in aliis rebus est servata, etiamsi ad solum senatum, nihil ad populum pertinerent, sicut apud Ciceronem, de Leg. III, 16, dicuntur *iudicia populi* ea quae apud praetores exercentur, quod ea olim ab ipso populo exercita fuerant, ante quaestiones perpetuas. Sed cetera ex ordine capitum persequemur.

Cap. 1 ergo aliquid insolentiae habet, quod Tiberius imp. vocatur *Tib. Iul. Caesar*, quum alias in monumentis antiquis vocetur *Tiberius Aug. F.* Neque Ryckius, quum ad breviarium lib. I Annalium, pro vulgato *Nerone Claudio Druso Caesare*, rescripsisset *C. Iulio Druso Caesare* (quod quare non imitatus sim, ibi docui), laboraretque, ut huic suae correctioni colorem aliquem induceret, ullum antiquum monumentum afferre potuit, ubi ille Drusus, Tiberii filius, *C. Iulius* diceretur. Nam, quod ex indice consulum l. LVII Dionis profert, Δροῦσος Ἰούλιος Τιβ. υἱός, satis hodie constat, illos indices non esse a Dione, sed additos, incertum a quo, nec eorum auctoritatem hanc esse, ut talem controversiam dirimere possint. Atque, si ratio Ryckiana recta esset, sequeretur, ut multo magis pater Drusi *C. Iulius*, non *Tib. Iulius* diceretur. Neque tamen ea re nimis offendar. *Iulii* quidem nomen Tiberio convenire, dubitari non potest. Tiberii autem praenomen videtur assumptum esse pro *C.*, ut discerni a dictatore posset. Neque ipse Augustus eo, eadem de caussa, videtur usus esse; quippe saepe in monumentis antiquis *D. Caii filius* dicitur. Eamdem ob caussam credo, Drusum, ubi Iulii nomen usurpavit, aut eo appellatus est, praenominis loco *Drusum* dictum, etsi id proprie cognomen Liviae gentis esset, non *Caium*. Omnem mihi dubitationem eximit hoc, quod et libertos Tiberii reperio sic vocatos in inscriptionibus antiquis, ap. Murat. p. 928, 929, in quibus est: TIB. IVLIVS AVG. LIB. Et video quidem, Maffeum in Critic. Lapid. p. 435, hanc inscriptionem spuriam iudicare; sed, si maxime sit, tamen Cannegieterus, de Nomin. Rom. mut., c. 4, p. 16, alias inscriptiones attulit, in quibus liberti Tiberii appellantur *Iulii*. Enimvero, an poterant sic appellari, nisi patronus ita appellaretur pleno nomine?

Cap. 2, Vespasiano permittitur primo *relationem facere et remittere*: quod ius ex h. l. laudat Zamosc. de Senat. R. II, 9, extr., non explicat. Id videtur fieri, quum iubet, a consulibus relationem fieri; nam hoc quoque iuris impp. habuere. Plin. Ep. IX, 13, et *relationem quidem de eo Caesar ad senatum non remisit*, h. e. non iussit referri de ea re ad senatum, ut bene explicat Cortius. Deinde permittitur Vespasiano, *SCta facere per relationem discessionemque*. Ex relatione fiunt omnia SCta, vel sententiis rogandis, vel per discessionem. Nam in quibusdam caussis discessionem non factam, sed omnes sententiam rogatos, certus auctor Cic. Phil. III, 9; idque frustra negavit Ateius, ap. Gell. XIV, 7. Sed ratio faciendi SCti conquisitis sententiis, dicitur etiam *per relationem*, ut praeter h. l. patet e Gellio l. c. Caussa videtur esse haec; quod in hoc genere consul nihil aliud, quam refert ad senatum, in ille

altero etiam iubet discedere in partes. Hoc loco quaerit Spanius V. D. an Caesar, non consul, relationem habuerit? Habuit utique, per tribuniciam potestatem.

Cap. 5 datur *potestas proferendi pomoerii, uti habuit imp. Claudius.* Cur non additur, ut in aliis, *uti habuit D. Augustus?* Nam et hunc pomoerium protulisse, diserte tradit Tacitus A. XII, 23. Et quorsum haec potestas decernitur, quam sua sponte erat habiturus, eum potestate proferendi fines imperii bellis fortiter ac feliciter gerendis?

Cap. 8 non ad vivum resecanda sunt verba, *ac si populi plebisve iussu acta essent:* nec sic intelligenda, quasi tum aliquid populi plebisve iussu fieri solitum esset, quorum illud de comitiis centuriatis, hoc de tributis dicitur; quum omnia per senatum, secundum principem, gererentur: sed ut dicta e more vetere; quo firma erant, quae populus plebsve comitiis centuriatis tributisve iussisset.

Ultimum caput habet hanc inscriptionem: *Sanctio.* Enimvero caput legis potius videtur, quam sanctio legis. Nam in sanctione est constitutio poenae, aut aliud, quo lex stabilitur; quod hic non est: sed potius tribuitur Vespasiano potestas alios legibus solvendi, ut possint eius iussu impune facere, quae alii per leges facere non possunt.

Ceterum, quoniam hoc fragmentum putatur esse *legis* eius, quae a Iustiniano *Regia* vocatur, nec male, de ea breviter dicendum videtur.

De ea quam varie existimatum sit a doctis viris non ignorant, qui in hoc genere literarum versati sunt accuratius. Nam alii *Regiam* vocari putarunt, quod ab regibus orta esset, ut *leges Regias* Livius, Cicero, aliique commemorant; alii intellexerunt eam, qua sub primordiis urbis Romae populus Romulo summam regiamque potestatem permisit, ut Manutius, Cuiacius, Hotomanus, aliique; alii a lege decemvirali repetivere, quae *regio imperio duos esse* voluerit, quaeque potestas a duobus ad unum translata sit; alii a Sullana dominatione et lege Valeria derivarunt, quae in Caesare, Augusto, ceterisque instaurata esset; alii ab Augusto subortam, qui talem legem ferret; alii sub Vespasiano demum latam statuerunt; alii plane ignorari illam legem, nihilque ex ea, praeter nomen, restare; alii, denique, totam rem commentitiam et merum sine re nomen esse legem Regiam putavere.

Quae omnia falsa esse, recte iudicavit vir summus, I. F. Gronovius, in Or. de lege Regia, ed. Lugd. Bat. 1678, et meliora docuit. Primum igitur tenendum, non uno eodemque tempore scriptum fuisse legem hoc nomine, et hac formula, quae iam tum *Regia* diceretur, qua populus omne ius suum, imperiumque summum in principem transtulerit, minimeque omnium initio conversae reipublicae romanae in monarchiam; quo adeo invisum adhoc nomen regium erat, ut id sibi tribui nullo modo paterentur principes, regiae potestatis alias appetentissimi, atque etiam potentiam suam occultare verbis factisque mirifice studebant.

Sed illo ipso tamen tempore res paullatim coepit obrepere ignorantibus hominibus, donec eo crevisset, ita adsueti essent ei rei homines, ut iam non vererentur, ei rei legis Regiae nomen imponere; praesertim quum regium nomen invidia sua paullatim liberatum esset, idque variis in rebus vulgo sine offensione diceretur, in *funere*, quod olim censorium appel-

latum esset, in *domo principis*, et sexcentis aliis, quae frequentia satis apud scriptores inprimis tertii et quarti seculi, Historiaeque Augustae auctores, occurrunt, ut vel lexica docent. Gradus ipsos, per quos ista lex Regia orta, breviter tradit Gronovius a p. 47—75, facileque e Suetonii, Dionis, Taciti, aliorumque locis, cognosci poterunt, quibus honores et iura, diversis temporibus decreta, C. Caesari, Augusto, Tiberio, etc. commemorantur.

Haec verissime a Gronovio disputari, nemo inficias iverit; sed, ubi ad illum ipsum monumentum, quod ab initio proposuimus, defertur, non omni ex parte satisfecisse virum magnum nobis, fatemur. Non dubitat primum, hoc esse exemplum illustre potestatis, plus quam civilis, atque ipsa dictatoria maioris, similique modo omnibus impp. summam potestatem, admixtis forte paucis, permissam: deinde genuinum hoc monumentum indicat, eosque ieiuni et diluti iudicii arguit, qui id pro spurio repudient: neque offenditur, quod *lex* in monumento vocatur, quod senatusconsultum Tacitus A. IV, 6 appellat, quia illis temporibus discrimen inter leges et SCta desierit, sublatis comitiis populi, et SCta quoque leges vocatae sint. Quae diligentius consideranda videntur.

Genuinum esse monumentum romanum, non praefracte negem, etiamsi quasdam dubitandi caussas esse non abnuerim, quas vidisse eos puto, qui pro spurio repudiavere. Atque etiamsi ipse antea in difficultatibus diluendis laboraverim, tamen non ad omnes mihi paratam responsionem fuisse, res ipsa docet. Verum erunt fortasse alii acutiores, qui et his occurrere possint. Magnum etiam in utramque partem momentum ac prope maximum fecerit, tabulam inspicere ipsam, et videre, an notas certas antiquitatis tantae habeat; quod quidem affirmare non dubitarunt F. Blanchinus, et Raph. Fabrettus, diligentissimi talium rerum iudices. V. Ep. Fabretti ad I. V. Gravinam, ad calcem libri I, de Orig. Iur.; item post Maffeus in Critica lapidaria, p. 161; Metastasius Italus, qui tractatum ad hoc SCtum edidit Romae, 1757, quem contra disputavit Spanius, libello proprio.

Secundo, non ignoro, Caesarum temporibus *SCta* legum nomine comprehendi, et subinde in iure populari que loquendi ratione *leges* vocari. Ipse in Taciti libris locum talem reperi, ad quem notavi, legis nomine SCtum intelligi debere. Sed in ipso senatusconsulti contextu legem pro SCto dici solitam, et quidem *legem rogatam*, id quidem nec credo, nec doceri posse arbitror. Itaque ei difficultati alia ratione occurrendum puto, qua simul universae huic rei aliqua lux affundatur.

Scilicet, prima lex illa, qua Romulo imperium datum est, fuit curiata. Idque institutum mansit sub regibus non modo, sed etiam libera republica. Consules centuriatis illi quidem comitiis statim ab initio creati sunt, auctore Livio I, 60; sed imperium iisdem datum est lege curiata, quae modum potestatis consularis definiit. Auctor rei est Tacitus, A. XI, 22: *Quaestores, regibus etiam tum imperantibus, instituti sunt; quod lex curiata ostendit, ab L. Bruto repetita; mansitque consulibus potestas deligendi*, etc. Lex curiata nulla alia est, nisi lex de imperio et potestate regum, quae repetita est a L. Bruto, ut eadem coss. potestas esset, quae regum fuit; atque eius pars fuit quaestores creare. Idque sexcentis locis doceri

potest, mansisse, ut honos comitiis centuriatis daretur, imperium curiatis sive lege curiata: neque hodie attinet id docere, posquam locus de lege curiata tot doctissimorum hominum accuratis disputationibus explicatus et illustratus est.

Crediderim igitur, ab eo tempore, quo Caesarum potestas certam formam acceperat, hoc quoque servatum esse, ut honoribus decretis, qui adsolerant (v. H. 4, 3, et ibi dicta), senatusqueconsulto post facto de imperio (v. ibid. 6), senatus decretum dicis caussa sanciretur lege curiata, ad eum modum, quo, extremis reipublicae temporibus, triginta lictoribus pro curiis suffragia ferentibus. Nam, si in adoptionibus mansit lex curiata, ut ex Hist. I, 15, patet, quidni etiam manserit in imperio tribuendo? Neque obest, quod ap. Tacitum H. IV, 6, aliisque locis nulla eius diserta mentio exstat. Satis constat, apud scriptores veteres in rebus, quibus SCtum et lex intercessit, tamen raro utrumque, sed modo SCtum solum, modo legem solam commemorari, alterum intelligi debere. Atque talem legem curiatam licet intelligere, ut supra dixi, hanc de imperio Vespasiani, diversam illam quidem a SCto, quod de imperio Vespasiani factum est auctore Tacito, sed forma, non materia et argumento. Nam imperatores et in Urbe imperium militare habuere, ut primum imperatores sunt appellati.

Atque hinc etiam confirmatur id, quod ad H. IV, 3, 6, dixi, diversa esse decreta senatus, quorum istis in locis mentio fiat: loco priori decreta tradi facta de honoribus et nominibus honoris insignibus; posteriori, de imperio; eaque diversis temporibus ac diebus facta. Semper ista in rep. R. et bonis temporibus divisim et per intervallum data, etiam ipsi imperatores per intervalla sibi dari voluerunt, per speciem alicuius modestiae. Extremae adulationis fuit, omnia simul decernere. Nihil dicam de Augusto ac Tiberio; etiam mali ominis habitum in Pertinace, quod omnia simul et ἀθρόως consecutus esset: v. Capitolin. in Pertinace, c. 5, et ibi Casaub.

Ernestus.

N.° 3. Cap. XL. *Signo ultionis in accusatores dato, petit a Caesare Iunius Mauricus, « ut commentariorum principalium potestatem senatui faceret, per quos nosceret, quem quisque accusandum poposcisset. »*

Latini *Commentaria* dixere libros, in quibus non fuse lateque res, sed tantum quasi per capita describerentur. Cicero in Bruto: *Non est oratio, sed quasi capita rerum, et orationis commentarium.* Paullo plenius Seneca lib. III Declamat.: *Sine commentario nunquam dixit Severus Cassius, nec hoc commentario contentus erat, in quo nudae res ponuntur.* Hunc diurnum, *ephemeridem*, *regestum* a verbo *regero*, quo usus est Quintilianus, unde vulgo *registrum*, et latine vocari posse docet Budaeus, in Annot. in Pand. in l. *abesse*, XXXII, *D. ex quibus caussis maior*. Ita Plutarchus Iulii Caesaris Commentarios *ephemerides* appellavit, inquiens: Καῖσαρ ἐν ταῖς ἐφημέρισι γέγραφεν. Huiusmodi autem commentariis omnes fere magistratus, qui reipublicae romanae munia obibant, usos fuisse comperimus. De

consulibus inquit Cic. ad Att. *Commentarium consulatus graece scriptum ad te misi.* De praetoribus idem in Verr.: *Audire decretum mercenarii praetoris ex ipsius commentario.* De regibus in orat. pro Rabirio: *Ex annalium monumentis et regum commentariis aliquid conquirere.* Et Titus Livius, lib. I, cap. 32: *Omnia ea ex commentariis regis in album relata*; et in fine eiusdem libri: *Duo coss. inde comitiis centuriatis a praefecto Urbis ex commentariis Servii Tulli creati sunt*; et lib. LXII, c. 6: *Eumenes rex commentarium ferens secum, quod de apparatibus belli omnia inquirens fecerat, Romam venit*; et lib. XLV: *Quod ex aliis gentibus principum literas deprehensas in commentariis regis habebant.* De pontif. Cicero de Claris Orat. ait: *Quod ex pontificum commentariis longe plurimum ingenio valuisse videatur*; et Livius, lib. IV, c. 3: *Si non ad fastos, non ad commentarios pontificum admittimur.* Quod vero et imperatores propria haberent commentaria patet ex Cicer. in Antonium: *Nihil tum, nisi quod erat notum, in C. Caesaris commentariis reperiebatur.* Tranquillus in Tiberio: *Commentario*, inquit, *quod de vita sua summatim breviterque composuit, ausus est scribere Seianum se punisse, quod comperisset furere adversus Germanici liberos filii sui*; idem in Caligula: *Commentarios ad matris fratrumque suorum caussas pertinentes confectos in forum concremavit, ut inde delatorum nomina exciperentur*; et Traianus ad Plinium: *Dedisse me ius trium liberorum Suetonio Tranquillo, et conditione qua assuevi, referri in commentarios iussi.* Quod etiam *publica scriberentur*, et *urbana commentaria*, patet ex Cicer. in libro de Oratoribus: *Pater publicis commentariis consignatus*; et in epistolis: *Quam quisque sententiam dixerit, in commentario est rerum urbanarum*; et iterum: *Commentarium rerum urbanarum primum dedi L. Castrinio.* Ex his patet, qualium Tacitus dixerit Iunium Mauricum *commentariorum senatui potestatem fieri petiisse a Caesare*, principalium, inquam; hoc est, superiorum principum, quorum sub imperio delationes frequentes exercitae, puta Claudii et Neronis. *Ita commentarium principis* legimus apud Modestinum, *in l. abesse*, XXII, *D. ex quibus caussis maior*, unde et qui principis commentaria perscribebant, *commentarienses* dicti; et in castris *commentarienses* appellati, ex Vegetio, lib. I, qui militum *munia*, uti excubias commeatusque et alia huiusmodi in commentarios referebant; et apud iuristas, lib. IV, *de Cust. reo*, observamus, *commentarienses* vocatos qui detractorum nomina in commentariis describebant, ac veluti custoditorum diarium conficiebant; sic accepi in l. *in fraudem*, XLIII, parag. *quoties*, *D. de iure fisci*, *commentarienses*, quorum manu acta subnotantur, quoties apud fiscum agitur. Illud sane postremo minime praetereundum videtur, quod admiratione haud carere credo, explanationes scilicet in Virgilium, Horatium aliosque auctores *commentaria* inscribi: quum *commentaria*, ut diximus, brevia sint, ac veluti per capita scripta, haec autem fluxiore oratione fuseque sint literis mandata. Scio quidem, Gellium dixisse, lib. II, c. 6: *Qui commentaria in Virgilium composuerunt*; et alibi, lib. XVII, c. 9: *Probi grammatici commentarius*; et iterum lib. VI, c. 14: *Taurus in primo commentariorum, quos in Gorgiam Platonis conscripsit.* Scio quoque in scholis ab expositionis excellentia Averroem communissima appellatione *commentatorem* vocari. Attamen apud alios probatos ac classicos

auctores *commentarium* in hac significatione me legisse minime recordor, ob idque hasce expositiones potius et rectius *commentationes* dicendas, semper censui. Siquidem *commentatio* passim Ciceroni meditatio est, et praesertim lib. de Orat. ubi habet: *Subitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit*; et iterum: *Quos locos multa commentatione ac meditatione paratos atque expeditos habere debetis.*

MARCELLVS DONATVS.

N.° 4. CAP. XLVIII. *Aequatus inter proconsulem et legatum beneficiorum numerus.*

Quid olim fuerint in militia Romanorum beneficia et beneficiarii, paucis explicandum.

DE BENEFICIIS ET BENEFICIARIIS.

Beneficia gradus erant militiae, ad quos milites beneficio imperatoris, praefecti praetorio, proconsulis, praetoris, propraetorisve, aut tribuni promovebantur. Promoti autem dicebantur *beneficiarii*. Si privilegiis muniebantur, *principales beneficiarii* nominati sunt. Haec satis innuit Vegetius, II, 7: *Beneficiarii, ab eo appellati, quod promoventur beneficio tribunorum....*; et paullo infra: *Hi sunt milites principales, qui privilegiis muniuntur. Reliqui munifices, quia munia facere coguntur.* Aliter Festus: *Beneficiarii dicebantur, qui vacabant muneris beneficio; e contrario munifices vocabantur, qui non vacabant, sed munus reipublicae faciebant.* Porro non tribunorum tantum, sed aliorum quoque magistratuum erant beneficia. Atque ut antiquioribus exemplis supersedeam, ipse Tacitus, Hist. I, 25, et IV, 48, beneficia praefecti praetorio, proconsulis, legati memorat; et apud Suetonium in Tiber. c. 12, videre est Tiberium in suspicionem venisse *per quosdam beneficii sui centuriones, a commeatu castra repetentes*. Sic quoque in inscriptionibus veteribus passim occurrunt non modo beneficia, sed spes etiam beneficiorum. Insignis hac de re inscriptio exstat apud Gruterum, p. 393, n. 5:

C. COELIO. ANICETO. MIL. COH. II. PR. SING.
TRIB. SPE. BENEFICIAR. DVIC. ORDO.
SSNCTISSIMVS. DECVR. OB. SPEM.
PROCSSSVS. EIVS. HONOREM. DECV
RIONATVS. GRATVITVM. OSTVLIT.
QVI. VIXIT. ANN. XXIIII. M. V. D. II.
COELIA. PRIMA. MATER. FILIO.
DVLCISSIMO. SIMVL. NYMPHICVS. VOL.
SEAN. ST. SIBI. FECERVNT.

Errant autem, qui existimant beneficiarios dictos fuisse, quod obtenta prius militiae vacatione, ad camdem honestis conditionibus invitati redirent. Immo inter ipsa militiae stipendia conferebantur beneficia, ut patet ex multis inscriptionibus, ac maxime ex veteri lapide, apud eruditum Gori, Inscript. Antiq. vol. II, p. 358, n. 1:

D. M.
Q. VOLCACIO. Q. F.
CELERI. MILITI.
COH. VIIII. PR.
BENEFICIARIO.
TRIBVNI. ATTICI.
MILITAVIT. ANNIS. VII.
VIXIT. ANNIS. XXV.

Si *principalium beneficiariorum* monumenta cognoscere volueris, adi Gruterum, p. 551, n. 3, et Fabrettum, cap. 3, n. 114.

Splendidum fuisse beneficiarum militiam innuit tum Tacitus, quum Hist. I, 25, *primores militum per beneficia Nymphidii suspectos* refert; tum expresse Valerius Maximus, IV, 7, n. 5, de L. Petronio, qui, *admodum humili loco natus, ad equestrem ordinem et splendidae militiae stipendia P. Caelii beneficio pervenerat.* Adde Plinium, Ep. X, 32, quo teste, Traianus praeceperat, ut Gabius Bassus, praefectus orae Ponticae, *contentus esset beneficiariis decem, equitibus duobus, centurione uno.*

BROTIER.

N.º 5. CAP. LIII. *Vespasianus curam restituendi Capitolii in L. Vestinum confert.... prioris templi magnificentiae unum defuit.*

De Capitolio, eiusque magnificentia, antequam civilibus Flavisnorum Vitellianorumque bellis conflagraret, diximus supra, in excursu n.º 2 ad Hist. III, 72. De eius restitutione hic agendum.

DE CAPITOLIO A VESPASIANO ET DOMITIANO

PRINCIPIBVS RESTITVTO.

Ubi deferbuit bellorum civilium aestus, resque publica, Vespasiano principe, acquievit, praecipua omnium cura fuit ut restitueretur Capitolium. Consultum religioni, ut iisdem tertium vestigiis reponeretur: sed, quod unum veteri magnificentiae defuit, adiecta aedibus altitudo. Id quoque factum ob grandes columnas, quas memorat Suetonius in Vespas. c. 18. In hoc imperii splendore, et quum Vespasianus in religiosos publicosque usus foret munificentissimus, quam magnificus fuerit in aedificando Capitolio facile iudicari potest. Ut annuis reditibus templum locupletaretur,

iussit Iudaeos, ubicumque degerent, Iovi Capitolino quotannis solvere didrachma, quod templo Hierosolymitano, antequam everteretur, pendere erant soliti: Ioseph. Bell. Iud. VII, 6, n. 6. Fuisse in imperio romano plus quam vicies centena millia, seu 2,000,000 Iudaeorum, qui tributum illud solverent, nemo sane diffitebitur. Fuit ergo vel ex hac una tantum parte annuus templi Capitolini reditus circa francorum 2,864,198. Paucis annis stetit Capitolium a Vespasiano restitutum; statim post eius mortem incendio haustum est: Plutarch. in Poplicola, p. 105.

Titus in Capitolii restitutionem confestim incubuit, ut videtur ex monumento fratrum Arvalium, apud eruditum Philippum a Turre, *Monumenta veteris Antii*, p. 95. At, quum praepropera morte fuisset raptus, opus aggressus est frater eius Domitianus, quartumque Capitolium aedificavit. Nihil aedium magnitudini, nihil altitudini addi poterat. Princeps, quo nemo fuit in aedificando sumptuosior, vertit curas, ut regum, reipublicae, Caesarumque opera multitudine pretioque ornamentorum superaret. Non modo columnas marmoris Pentelici Athenis advexit; sed in inauratis operibus, quod vel maximas privati unius hominis opes superat, plus quam duodecim millia talentorum, gallicae monetae 64,555,556 fr. impendit. *Τούτου δὲ τοῦ καθ' ἡμᾶς τὸν μέγιστον ἐν Ῥώμῃ τῶν ἰδιωτικῶν πλοῦτον ἐκλογισθέντα, τὸ τῆς χρυσώσεως μὴ τελέσαι ἀνάλωμα, πλέον ἢ δισχιλίων καὶ μυρίων ταλάντων γενόμενον.* Plutarch. loc. cit.

Novi equidem Radero aliisque nonnullis eruditis viris hanc pecuniae summam visam esse immanem. At pace doctorum illorum virorum dixerim, eos neque luxum huius aetatis, neque prodigentiam Domitiani, neque multitudinem, magnitudinem, pretium inauratorum operum Capitolinorum satis attendisse. Is erat huius aetatis luxus, ut in privatis domibus non *laquearia* tantum, sed et *camerae* et *parietes* ipsi *tamquam vasa* inaurarentur, teste Plinio, XXXIII, 3. Talis prodigentia Domitiani, ut omnia aurea gemmeaque vellet, teste Plutarcho, loc. cit. Quae autem multitudo operum, quum templi Capitolini *aditus omnes*, *omnes gradus totaque area hinc auro*, *hinc argento* relucerent, teste Plinio in Panegyric. 52! Quae magnitudo, quum cogitas templum ducentos pedes longum, totidem ferme latum, tectum fuisse inauratis tegulis aereis, quarum postea partem maximam Gizerichus, Vandalorum rex, in Africam asportavit: eius fastigia quadrigis, colosseis statuis, aliisque plurimis inauratis ornamentis effulsisse, uti adhuc videre est in Domitiani nummis! Quid nunc porticus, quid vestibulum loquar, quum vel ipsae portae crassissimis et ponderosissimis obductae essent laminis aureis, quas a Stilichone, Honorii duce, ablatas memorat Zosimus, lib. V: *Οὗτος γὰρ, Στελίχων, θύρας ἐν τῷ τῆς Ῥώμης Καπιτωλίῳ, χρυσίῳ πολὺν ἕλκοντι σταθμὸν ἠμφιεσμένας, ἀπολεπίσαι προστάξαι.* Haec templi extera: maiores intus opes. Si, vel in primo templo Capitolino, fictilis Iupiter aureum teneret fulmen quinquaginta pondo, gallicae monetae 46,667 fr., quanto plus auri impendit Domitianus, ut Iupiter non modo aureum haberet fulmen, sed ut tota eius effigies, eius sceptrum, eius solium, auro renideret! Quantae impensae in Iunonis Minervaeque cellis! Adde nunc innumera Deorum simulacra: adde inaurata laquearia: adde cetera parietum totiusque templi aurea decora. Haec si animo comprehenderis, simulque reputaveris quantum in urbe maxima, maximo luxu

exquisitissimisque artibus foret manipretium, nihil esse nimium in pecuniae summa, quam Plutarchus adsignavit, facile deprehendes.

Neque quis dixerit aurum esse sequax ac ductile, Romanosque artem illud dilatandi novisse. Id certe Romani novere, siquidem auri unciam *in septingenas et quinquagenas, pluresve bracteas, quaternum utroque digiturum* dividebant, teste Plinio, XXXIII, 3. At in praecipuis perennibusque operibus, crassioribus utebantur bracteis. Sic inauratum fuerat Fortunae Praenestinae simulacrum. Unde Plinius, loc. cit.: *Crassissimae ex his bracteis Praenestinae vocantur, etiamnum retinentes nomen, Fortunae inaurato ibi fidelissime simulacro.* Et sane, si Domitianus crassiores illas bracteas non induxisset, nunquam viluisset secundum templum Capitolinum, cuius et tegulae et laquearia, et alia quamplurima ornamenta erant inaurata, insuper ab Augusto, magnificentissimo principe, refectum. Viluerat tamen, nec reperti, nisi senes aliquot, qui illud laudarent, non ob opes, sed vel antiquitatis studio, vel, ut opinor, ob symmetriam columnarum: nam Domitianus, quum crassitiem columnarum marmoris Pentelici imminuisset, nonnihil venustatis addiderat, sed aliquid symmetriae detraxerat, teste Plutarcho, loc. cit. Ceterum vilius fuerat secundum templum Capitolinum. Inde Martialis, epigramm. V, 10:

Esse quid hoc dicam, vivis quod fama negatur,
  Et sua quod rarus tempore lector amat!
Hi sunt invidiae nimirum, Regule, mores,
  Praeferat antiquos semper ut illa novis:
Sic veterem ingrati Pompeii quaerimus umbram,
  Et laudant Catuli Iulia templa senes.

Domitiano, qui immensas opes in Capitolio impenderat, ingeniose adulatur idem poëta, epigramm. IX, 4:

Quantum iam superis, Caesar, caeloque dedisti,
  Si repetas, et si creditor esse velis,
Grandis in aetherio licet auctio fiat Olympo,
  Coganturque Dei vendere quidquid habent,
Conturbabit Atlas, et non erit uncia tota,
  Decidat tecum qua pater ipse Deum.
Pro Capitolinis quid enim tibi solvere templis,
  Quid pro Tarpeiae frondis honore potest!
Quid pro culminibus geminis matrona Tonantis!
  Pallada praetereo: res agit illa tuas.
Quid loquar Alciden, Phoebumque, piosque Laconas:
  Addita quid Latio Flavia templa polo!
Expectes et sustineas, Auguste, necesse est:
  Nam tibi quod solvat, non habet arca Iovis.

His impensis suaque luxurie publicam pauperiem fecerat Domitianus. Liberalitate publicae paupertati subvenit Traianus, princeps optimus. Capitolium quoque ornavit, privata Domitiani luxurie Iovi sacrata. Id celebrat Martialis, epigramm. XII, 15:

Quidquid Parrhasia nitebat aula,
Donatum est oculis Deisque nostris.
Miratur Scythicas virentis auri
Flammas Iupiter, et stupet superbas

Regis delicias, gravesque lusus.
Haec sunt pocula, quae decent Tonantem:
Haec sunt, quae Phrygium decent ministrum.
Omnes cum Iove nunc sumus beati;
At nuper, pudet, ah pudet fateri,
Omnes cum Iove pauperes eramus.

Immo Traianus, tertio suo consulatu, videtur auro solido Iovis, Iunonis ac Minervae statuas fecisse. Quod satis innuit Martialis, epigramm. XI, 5:

Sacra, Laresque Phrygum, quos Troiae maluit heres,
Quam rapere arsuras Laomedontis opes:
Scriptus es aeterno nunc primum, Iupiter, auro,
Et soror, et summi filia tota patris:
Et qui purpureis iam tertia nomina fastis,
Iane, refers Nervae, vos precor ore pio.
Hunc omnes servate ducem; servate senatum:
Moribus hic vivat principis, ille suis.

Nunc vero si templum Iovis Capitolini cum celebratissimis olim templis Beli, Babylone; Iovis, Thebis in Aegypto; Dianae, Ephesi; aut etiam cum templo Hierosolymitano conferamus, templa quidem illa omnia auri specie tum interna, tum externa vicit templum Capitolinum: vincebatur autem magnitudine; victum quoque est Hierosolymitani et Babylonici templi opibus. Hierosolymitani satis perspecta omnibus opulentia; de qua adhuc opportunius dicetur in excurs. ad Hist. V, 8. Opes autem templi Babylonici, earumque pondera, quae efficiunt circiter gallicae monetae 395,061,729 fr. singulatim recenset Diodorus Siculus, II, 9, p. 70. Nec mirum tantas fuisse opes in templo Babylonico, quum Cyrus, Persarum rex, capta Babylone, devicta Asia, teste Plinio, XXXIII, 3, *quingenta millia talentorum argenti* reportaverit, *et craterem Semiramidis, cuius pondus quindecim talenta colligebat*: quae duo efficiunt gallicae monetae 2,582,299,689 fr. Hac nostra aetate alter Persarum rex, *Tamas-Kouli-Kan*, Mogolicas opes potitus, reportavit, minima quidem aestimatione, *roupiarum* argenti centum undecim *Kiurours*, ut loquuntur: quod efficit gallicae monetae 2,466,664,198 fr. Immo alii, et ipse cl. *Voulton*, tunc medicus imperatoris Mogolici *Muhammed-cha*, scripsere a *Thamas-Kouli-Kan* reportatos esse trecentos *Kiururos*, gallicae monetae 6,666,666,667 fr. Quod inflatius scriptum puto.

De Iovis Thebani, Ephesiaeque Dianae templorum opibus non ita compertum. Notae vero eorum magnitudo et magnificentia, quibus templo Capitolino antecellebant. De Dianae templo vide Plinium, XXXVI, 14. Thebis autem manent adhuc templi Iovis rudera, quae exhibet cl. *Pococke* (*Description of the East*, vol. I, p. 92, tabul. XXVIII). Ex iis ruderibus constat templum illud habuisse longitudine plus quam mille et quadringentos pedes, latitudine trecentos quinquaginta: ambitum vero fuisse trium millium et quingentorum pedum.

Inter tanta templorum decora, nihil habet aetas nostra quod invideat. Summorum Pontificum studio pietateque factum, ut, religione victores, templi quoque maiestate vinceremus. His omnibus templis praestat divi Petri in Vaticano templum, maximum artis miraculum, omnibus retro

seculis inauditum. Tanta autem est eius amplitudo, ut, cum peristylio aedibus apposito, pateat mille sexcentos pedes longitudine, ambitu quatuor millia pedum colligat.

BROTIER.

N.° 6. CAP. LXXXI. *Per eos menses, quibus Vespasianus Alexandriae statos aestivis flatibus dies, et certa maris opperiebatur, multa miracula evenere, quis caeli favor, et quaedam in Vespasianum inclinatio Numinum ostenderetur.*

Quae mendacia verius, quam miracula dixeris. Quod paucis explicandum.

DE VESPASIANI MIRACVLIS.

Titum Livium, Plutarchum, ceterosque immensae credulitatis scriptores miracula passim obtrudere minime mirum est. At Tacitum, acerrimi iudicii, constantissimae mentis virum, non modo miracula narrare, sed etiam iis fidem facere velle, incredibile videretur, ni satis foret compertum, natura incertum an institutione, omnibus fere Romanis insitum fuisse religionis sensum, quo in credulitatem propenderent. Quae quidem credulitas, ut in humanis, sic quoque divinis in rebus, est bonae animae argumentum, nec nisi in religiosos animus irrepit. Unde magis miror exstitisse nonnullos, qui Tacitum ἀθεότητος insimulaverint. Qui enim ἄθεος haberi potest vir, qui praeter plurima religionis monimenta Annalibus intersita, in his ipsis Historiarum libris *ope divina* mutari animos paullo supra cap. 78, pronuntiaverit; qui nunc *caeli favorem*, et *Numinum in Vespasianum inclinationem* profiteatur; qui demum *miracula* ita bonus enarrat, ut fidem iis facere haud leviter annitatur?

At quam fidem obtinere debent illa Vespasiani miracula? nullam, ut opinor. Atque, ut alios multos sileam, ita quoque sensit illustrissimus Huetius, Demonstrat. Evangelic., proposit. VI, n. 6. Neminem quoque dissensurum reor, qui perpenderit quae fuerint illa miracula, quo in loco, et a quo sint edita. Ac primo quidem in illis Vespasiani miraculis nihil est, quod vim divinum miraculorum effectricem adstruat. Sanatur enim caecitas hominis, cui, teste Tacito, *vis luminis non erat exesa*. Curatur manus debilitas, quae, eodem auctore, in pravum elapsa, poterat integrari. Quod adhuc argumentum est incertam fuisse illorum miraculorum famam, quem *manu* debilem facit Tacitus, eum claudum dicit Suetonius in Vespasian. c. 7; ea quoque patrata miracula Tacitus, *medicis*, Suetonius, *amicis hortantibus*, narrat. Ut ut est, haecne miracula? Curationes vix dixeris. Ubi enim in rebus levissimis fallacibusque operosa est miraculorum ostentatio, non est miraculum, sed histrionum circulatorumve fraus ac mendacium.

Adde haec miracula evenisse Alexandriae, in urbe vanissima, ad omne superstitionum genus proiectissima, Serapidis religionibus insana, suis

in principes adulationibus veferrima, uti testis est oculatus Philo, in *Legat. ad Caium*, p. 1017.

Nunc vero quis haec miracula ausus est? Vespasianus, novus et inopinatus princeps, cui *auctoritas et quasi maiestas* concilianda, ut fatetur Suetonius, loc. cit.; Vespasianus, qui in omnes firmandae dominationis artes intentus, religione maxime abutebatur. Inde acceptissimus ei fuit Iosephus, quod mendax ille Iudaeus oracula, quae Christum regem eiusque imperium praenuntiaverant, in eum traxisset: Ioseph. Bell. Iudaico, III, 8. Omnes quoque, qui se Davidica stirpe oriundos ferrent, inquiri necarique iussit: Euseb. Hist. ecclesiast. III, 11. Vespasianus demum, qui, tunc temporis, Apollonii Tyanensis, hominum quotquot unquam exstitere fraudulentissimi, familiaritate consiliisque utebatur, ut videre est apud Philostratum, Vit. Apollon. V, 27 et seq.

Haec satis superque sunt, ut constet Vespasiani miracula fuisse in Aegyptiis artes fraudesque, in Vespasiano politicae artis instrumenta, quibus quaesita novo principatui auctoritas ac reverentia. Addit quidem Tacitus *utrumque* istud miraculum ab iis *qui interfuere nunc quoque* memorari, *postquam nullum mendacio pretium*. Neque id mirum. Excisa fuerat Flavia domus; ac proinde nullum tunc erat a principibus mendacio pretium: sed semper manebat Aegyptiis superstitio; eadem Romanos quoque et Romam, quo pessima omnia confluebant, pervaserat: in dies invalescebat Serapidis veneratio. Quomodo ergo obrueretur rumor, quem servari intererat? Si quid mirum videri debet, id profecto quod, quum nullum sit mendaciis pretium, nulla Serapidis religio, reperiantur tamen qui haec miracula tueantur. At haec est fabularum natura, ut vel sua vanitate multis placeant.

Haec quum tractarem, omisi, talia miracula posthac de Hadriano fuisse vulgata, quae tamen *per simulationem* fuerant facta, teste Mario Maximo apud Spartianum, in Hadriano, cap. 25.

BROTIER.

N.° 7. CAP. LXXXIV. « *Deum ipsum appulsas litori naves sponte conscendisse.* » *Mirum inde dictu, tertium die, tantum maris emensi, Alexandriam appelluntur. Templum pro magnitudine urbis exstructum loco, cui nomen Rhacotis: fuerat illic sacellum, Serapidi atque Isidi antiquitus sacratum. Haec de origine et advectu Dei celeberrima. Nec sum ignarus, esse quosdam, qui « Seleucia, urbe Syriae, accitum, regnante Ptolemaeo, quem tertia aetas tulit; » alii « auctorem eundem Ptolemaeum, sedem, ex qua transierit, Memphim » perhibent, inclytam olim et veteris Aegypti columen. Deum ipsum multi « Aesculapium, quod medeatur aegris corporibus; » quidam « Osirin, antiquissimum illis gentibus Numen; » plerique « Iovem, ut rerum omnium potentem; » plurimi « Ditem patrem, insignibus, quae in ipso manifesta, » aut per ambages coniectant.*

Serapidem fuisse Deum hunc patet, de quo necesse est Taciti exemplo paullo fusius disserere.

Serapis, apud Aegyptios Deus maximus, plures praecipuosque refere-

bat Deos. Inde in aversa parte nummi Antonini Pii, quem publicavit eruditus Oiselius, *Thesaurus Selectorum Numismatum*, tab. XLIII, n. 1, videre est Serapidis caput barbatum, cornutum, radiatum, cum modio in vertice: adest et tridens cui serpens circumvolvitur. Quibus insignibus patet Serapidem esse Iovem, Solem, Osirim, Neptunum et Aesculapium. Vide quae ad id confirmandum congessit Oiselius, loc. cit. p. 218. At naturam cultumque Serapidis nemo accuratius expressit, quam Macrobius, Saturnal. I, 20: Alexandria « eidem Aegypto adiacens civitas, quae conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur, Sarapin atque Isin cultu pene attonitae venerationis observat: omnem tamen illam venerationem Soli se sub illius nomine testatur impendere, vel dum calathum capiti eius infigunt, vel dum simulacro signum tricipitis animantis adiungunt; quod exprimit medio eodemque maximo capite leonis effigiem; dextera parte caput canis exoritur mansueta specie blandientis; pars vero laeva cervicis rapacis lupi capite finitur: easque formas animalium draco connectit volumine suo capite redeunte ad Dei dexteram, qua compescitur monstrum. Ergo leonis capite monstratur praesens tempus; quia conditio eius inter praeteritum futurumque actu praesenti valida fervensque est. Sed et praeteritum tempus lupi capite signatur; quod memoria rerum transactarum rapitur, et aufertur. Item canis blandientis effigies futuri temporis designat eventum; de quo nobis spes, licet incerta, blanditur. Tempora autem cui nisi proprio famularentur auctori? cuius vertex, insignitus calatho, et altitudinem sideris monstrat, et potentiam capacitatis ostentat: quia in eum omnia terrena redeunt, dum immisso calore rapiuntur. Accipe nunc quid de Sole, vel Sarapi, pronuntietur oraculo. Nam Sarapis, quem Aegyptii Deum maximum prodiderunt, oratus a Nicocreonte, Cypriorum rege, quis Deorum haberetur, his versibus sollicitam religionem regis instruxit:

Εἰμὶ θεὸς τοιόσδε μαθεῖν, οἷον κ' ἐγὼ εἴπω·
Οὐράνιος κόσμος κεφαλὴ, γαστὴρ δὲ θάλασσα,
Γαῖα δέ μοι πόδες εἰσί, τὰ δ' οὔατ' ἐν αἰθέρι κεῖται,
Ὄμμα τε τηλαυγὲς, λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

Ex his apparet Sarapis et Solis unam et individuam esse naturam. Isis iuncta religione celebratur, quae est vel terra, vel natura rerum, subiacens soli. Hinc est quod continuatis uberibus corpus Deae omne densetur, quia terrae, vel rerum naturae, altu nutritur universitas. »

Hunc Macrobii locum Tacitumque egregie illustrant praestantissimi duo nummi Vespasiani et Domitiani, quos edidit cl. *Pellerin* (*Mélange de diverses Médailles*, vol. I, p. 224). In nummo Vespasiani, ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑΣ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ., id est, *Imperatoris Caesaris Augusti Vespasiani*; caput Vespasiani laureatum. In aversa parte, ΖΕΥΣ. ΣΑΡΑΠΙΣ. L. ΕΝΑΤ., id est, *Iupiter Serapis, anno nono* imperii Vespasiani. Stat Serapis, sinistra hastae innixus, extenta dextra, qua monstrum triceps, de quo Macrobius, compescere videtur. In vertice calathum, modiumve, habet. In nummo Domitiani, ΑΥΤ. ΚΑΙΣΑΡ. ΔΟ. . . ΤΙΑΝΟΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡΜ., id est, *Imperator Caesar Domitianus Augustus Germanicus*; caput Domitiani laureatum. In aversa parte, ΗΛΙΟΣ. ΣΑΡΑΠΙΣ. Λ. ΙΓ., id est,

Sol Serapis, anno tertiodecimo imperii Domitiani. Serapis stans hastam sinistra tenet, dextra elata. In vetere autem inscriptione, quae exstat Ancyrae, nunc *Angora*, teste cl. *Tournefort* (*Voyage du Levant*, vol. II, p. 449): ΔΙΙ ΗΛΙΩ ΜΕΓΑΛΩ ΣΑΡΑΠΙΔΙ, id est, *Iovi Soli Magno Serapidi.* Porro quum Christiani ethnicae religionis Deos horrerent, seque Deum unum, rerum omnium conditorem, venerari profiterentur; hinc, ut videtur, Hadrianus, religionum conciliator, *eos* inter Serapidis, seu Dei Panthei, cultores annumeravit, teste eius epistola apud Vopiscum, in Saturnin. cap. 8: *Illi qui Serapin colunt, Christiani sunt: et devoti sunt Serapi, qui se Christi episcopos dicunt.... Unus illis*, Aegyptiis ac maxime Alexandrinis, *Deus est: hunc Christiani, hunc Iudaei, hunc omnes venerantur et gentes.*

Si quis autem plura voluerit de urbe Sinope et Deo Serapide, adeat cl. *de Fontenu* (*Mémoires de l'Académie royale des Inscriptions*, vol. X, p. 465 et seq.).

Brotier.

EXCVRSVS

Gabr. BROTERII

AD OPERA C. CORNELII TACITI.

HISTORIARVM LIBER QVINTVS.

N.° 1. Cap. II. « Ivdaeos, *Creta insula profugos, novissima Libyae insedisse,* » *memorant,* « *qua tempestate Saturnus, vi Iovis pulsus, cesserit regnis; argumentum e nomine petitur*; etc.

(Egregie ista illostravit *Brotier*, ut affirmat Ernestus; ergo ista lectori subiicienda curavimus.)

Mirum plerisque videri solet Tacitum, literarum studiis clarissimum; adeo portentosa da Iudaeorum origine fuisse commentum, ea potissimum aetate, qua Iudaicae res, capta Iudaea, in Urbe pernotuerant. Quod tamen forte haud ita mirabuntur, si attenderint, Tacitum historias scripsisse, quum florentissimum fuit imperium romanum, vix suarum religionum, nedum exterarum, curiosum; Iudaeorum originem historiamque multorum scripturum mendaeiis iampridem fuisse obseuratas; Iudaeos demum, ob caerimonias sacraque a eeterarum gentium ritibus alienissima, Romanis iamdudum invisos, tum ob eladem suam fuisse despicatissimos. Igitur Tacitus, iudaieis traditionibus neque eredulus, neque penitus ineredulus, partim Iudaeorum, partim exterorum seriptorum e memoria, quae sibi probabilia videbantur, selegit, ut gentis primordia aperiret. Inde vera falsis, falsa veris admixta, quae singillatim explieare operae pretium est, quod in iis plurima adhuc lateant primaevae veritatis argumenta.

DE CRETENSI IVDAEORVM ORIGINE.

Gens Crethim, vel Cerethim, גוי כרתים, I Reg. XXX, 14; Ezechiel, XXV, 16; Sophonias, II, 5, Iudaeam inter et Phoenicism babitasse memoratur; utrique ita contermina, ut Palaestini nonnunquam Crethim nomine designentur, et pars fuerint Phoenieiae, quae in his oris late olim dominata est. Phoeniees autem colonias in Cretam insulam misisse testantur tum Stephanus, de Urbibus, voce 'Ιτανὸς, tum ipse portas Cre-

tae, *Phoenice*, cuius mentio exstat in Act. Apostol. XXVII, 12. Adde ex Strabone, X, p. 481, Spartiatas, seu Lacedaemonios, plurimas urbes in Creta insula condidisse: Spartiatae autem Iudaeos fratres suos esse gloriabantur, ut videre est I Machab. XII, 21. Antiqua ergo fuit Iudaeorum et Cretensium consanguinitas; iudaicaque progenies fuere Cretenses. At praeterquam quod Cretenses *semper mendaces*, ut constat ex eorum vate, apud D. Paulum, Ep. ad Tit. I, 12, gentili adhuc aemulatione se ipsi Iudaeorum auctores esse inctitavere. Quod ita obtinuit, ut LXX Interpretes in Ezechiele et Sophonia, loc. cit. כרתים et גרי כרתים, Κρῆτας et Πάροικοι Κρητῶν, id est, *Cretenses* et *advenae Cretensium*, verterint; indeque Theodoretus, hunc Sophoniae locum illustraturus, quosdam e Creta in maritima Palaestinae loca venisse, ibique consedisse enarret. Manifestum ergo cur cretensem originem Iudaeis adscripserit Tacitus. Contra vero Cretenses iudaico genere prognatos, praeter cetera argumenta, probant usus plurimi Cretensibus familiares, ut suilla carne abstinere, etc. Praeterea, quae de Minoe Cretenses prodidere, adeo similia sunt iis, quae Mosi evenerunt, ut Mosem ac Minoem unum atque eundem esse hominem opinentur illustr. Huetius, *Demonstratio Evangelica*, proposit. IV, n. 9 et seq., eumque secutus Christianus Wormius, *de corruptis Antiquitatum Hebraearum apud Tacitum et Martialem vestigiis*, lib. I, p. 43 et seq. Adde praecipuam fuisse apud Iudaeos sabbati celebritatem: sabbatum autem quum Graeci diem Saturni nuncuparent, inde Iudaeos Saturno devotissimos, Cretaque insula profugos, crediderunt.

Hierosolymo ac Iuda.

Ficto Hierosolymi, vero Iudae nomine abusi sunt Aegyptii, ut aegyptiacam Iudaeorum originem assererent.

DE AEGYPTIACA IVDAEORVM ORIGINE.

Aegyptii, splendore imperii, artium inventionibus, maximam nominis sui famam excitavere. Hac gloria superbi se primos hominum esse contendebant, ut testantur Diodorus Siculus, I, 10, p. 6, aliique plurimi. Inde se Iudaeorum progenitores dixere. Recentis mendacii vanitatem retegit novum Hierosolymi nomen, nec nisi conditis Hierosolymis repertum: ipseque Iuda Isidis regno, vel fabulis, minime aequalis: neque unquam, ut gentis suae conditorem, Iudam coluere Iudaei, quod tradit Iustinus, XXXVI, 2. Antiquissima autem fuit Aegyptiorum gens, et in opulentissimum imperium adsurrexerat, quum res Iudaeorum adhuc essent tenuissimae. Aegyptii tamen Iudaeis, Semi posteris, origine posteriores: Aegyptiorum enim parens Mesraim, secundus Chami filius; unde apud Orientales populos ipsosque Aegyptios et Coptas pervulgata Aegypti nomina, *Mesra*, *Mesraim*, et *Chemia*. Vide eruditum Kirkerum, Oedipus Aegyptiacus, vol. I, p. 2 et seq.

Aethiopum prolem.

Aethiopicae huius originis caussas aperire facile est.

DE AETHIOPICA IVDAEORVM ORIGINE.

Aethiopes rerum olim potiti sunt, iisque serviit Aegyptus: illos quoque *Syriae imperitasse*, *aetate regis Cephei* tradit Plinius, VI, 29. Victoriis elati, se Aegyptiis vetustiores esse professi sunt: quod naturali etiam ratione confirmabant. Nam Meridianarum plagarum incolae, ubi quanto acrior sol, tanto fecundior, se primos terra editos, ἰζωογονηθῆναι, gloriabantur, teste Diodoro Siculo, lib. III, 2, p. 143. Ideo Iudaei, ut et ceteri populi, ab Aethiopibus prognati dicebantur.

Alia adhuc erat, et magis propria huius originis caussa. In Phoenicio mari, Ioppe, nunc *Ioppa*, urbs fuit antiquissima, in qua *obiectam beluae Andromedam*, Cephei filiam, ferebant: Plin. V, 31. Immo Plinii, Iosephi, ac proinde Taciti aetate, in saxo, quod Ioppe urbi praeiacebat, *vinculorum Andromedae vestigia* ostendebantur; colebaturque *illic fabulosa ceto*: Plin. V, 13; vide et Iosephum, Bell. Iud. III, 15. Non mirum ergo, ob haec aethiopica monumenta, quae tot post saeculis in Palaestina non modo servabantur, sed et colebantur, *plerisque*, ut scribit Tacitus, *Aethiopum prolem* visos fuisse Iudaeos. At non solum Iudaeis, verum ipsis quoque Aegyptiis recentiores fuere Aethiopes, utpote Lud, Mesraim filio, oriundi: quod erudite demonstrat *Bochart*, Geographia Sacra, part. I, lib. IV, cap. 26. Omitto, quae Iosephus, Antiq. Iud. II, 10, memorat: Mosem, adhuc iuvenem in Aethiopia bellasse, ibi regis Aethiopum filiae nupsisse, et, ut volunt rabbini, imperasse. Haec iudaica sint commenta, certum est Iudaeos, ob commercia, Aethiopiam antiquitus adiisse, ibique plurimos degisse, adhuecque degere, ut constat viatorum testimoniis, quae vide apud eruditum Ludolfum, Comment. Aethiopic., lib. I, n. 101 et seq. Error de illa aethiopica origine inde oriri adhuc potuit, quod Arabia, sicut et Aethiopia, *Chus* כוש diceretur. Porro quum ex Arabia in Palaestinam venissent Iudaei, id coniecturarum inania sectantibus forte visum est satis, ut originem aethiopicam confingerent.

Assyrios convenas.

Nihil est in hac assyria Iudaeorum origine, quod antiquitatem et veritatem non redoleat.

DE ASSYRIA IVDAEORVM ORIGINE.

Ut pateat haec Taciti verba, *Sunt qui tradant*, *Assyrios convenas*, *indigam agrorum populum*, *parte Aegypti potitos*, *mox proprias urbes*, *Hebraeasque terras*, *et propiora Syriae coluisse*, ipsissimam esse Iudaeorum traditionem, ea paucis explanare sufficit.

Abram, dictus postea Abraham, parens auctorque gentis Iudaicae, *As-*

syrius fuit *convena*, egressos de Ur Chaldaeorum: Genes. XI, 31. Indigus agrorum, factaque fame, descendit in Aegyptum: Genes. XII, 12. Ipse, eiusque posteri Isaac et Iacob, *Assyrii* quoque *convenae*, errantes vixere, donec, orta adhuc fame, Iacob eiusque filii ac nepotes in Aegyptum, ubi Ioseph, filius Iacob, secundus a rege agebat, iterom venere: Genes. XLI, 55, et XLVI, 1 et seq. *Parte Aegypti*, nempe terra Gessen et Ramesses in inferiore Aegypto, *potiti* sunt, Genes. XLVII, 4 et 11. *Mox*, ducentis quindecim post annis ex Aegypto egressi, Exod. 1 et seq., *proprias urbes*, urbes scilicet Chanaan, *Hebraeasque terras, et propiora Syriae coluere*, ut omnibus compertum, fuseque narratur in libro Iosue. Hebraeae autem dictae sunt terrae ab אברם דעברי, id est, *Abramo Hebraeo*, Genes. XIV, 13; eiusque posteris pariter העברים, seu *Hebraeis*, quod עבר, id est, *trans* Euphratem ex Assyria in has terras venissent. Omnia ergo in hac traditione cum sacris Scripturis accurate concordant.

Carminibus Homeri.

Falsa haec Solymaea Iudaeorom origo: expendenda tamen, ut erroris caussa aperiatur.

DE SOLYMEA IVDAEORVM ORIGINE.

Apud Graecos Romanosque fons claritatis fuere Homeri carmina. Ideo clara videbantur Iudaeorum initia, si originem repeterent a Solymis, carminibus Homeri celebrata gente, quae Hierosolymae urbi e suo nomen fecisse credebatur. Verom haec fabula sola linguae hebraicae ignorantia nititur. Urbs Ierusalem dicta est primum *Salem*, שלם, id est, *pax*, a Melchisedech, ut fertur, condita. Deinde, quum Hebraei terras illas occupassent, pacemque ibi firmassent, appellata est *Ierusalem*, ירושלם id est, *possessio pacis*. Urbi Ierusalem novam urbem Sion addidit David; tunc non mutato nomine, sed in duale inflexo, vocata est *Ierusalaim*, ירושלים vel ירושלם; diversa quidem scriptura, sed eadem pronuntiatione. Graeci autem vocem interpretati sunt Ἱεροσόλυμα; et, quum vim hebraicae linguae ignorarent, finxere Hierosolyma dici ab Ἱερῷ *templo*, et *Solymis montibus*, ἐκ Σολύμων ὀρέων, quorum meminit Homer. Odiss. V, 283. De pugnacibus Solymis, Σολύμοισι κυδαλίμοισι, agit adhuc in Iliad. VI, 184. Verum quum Solymos Homerus memorat, ii non populi sunt Iudaeae, sed Aethiopiae; quos appellat *Solymos*, quod eumdem ferme situm haberent in Aethiopia, quem Solymi in Pisidia. Vide Strabonem, lib. I, p. 35.

N.° 2. Cap. III. *Plurimi auctores consentiunt.*

Quum varias de Iudaeorum origine sententias retulisset Tacitus, promiscue de eorom institutis ac moribus ex plurimorum auctorum consensu agit. Qua de re quum multa iam supra disseruous, pauca supersunt explananda.

DE IVDAEIS,

EORVMQVE INSTITVTIS AC MORIBVS.

Orta per Aegyptum tabe, quam *scabiem et vitiliginem*, id est, lepram, appellat Iustinus, XXXVI, 2, Iudaeos Aegypto pulsos fuisse tradit Tacitus, secutus Chaeremonem, ac maxime Lysimachum, qui eadem omnino mentitus est, ut videre est apud Iosephum, *contra Apionem*, lib. I, 33 et seq.

Quod autem mirificam Hebraeorum per mare Rubrum transmissionem silucrit Tacitus, mirum videri non debet, quum ipse Iosephus, cuius scripta tum inclaruerant, prodigium illud ita narraverit, ut id magis everteret, quam adstrueret. Simile enim portentum in Pamphylio mari, quum Alexander Magnus Persas bello peteret, contigisse adseveravit Iosephus, Antiq. Iud. II, cap. ult.

At, vel in ipsis Chaeremonis et Lisymachi mendaciis, latet sexta, quam Deus Aegyptiis intulit, plaga, quum foedis purulentisque ulceribus infecti sunt, ut narrat Moses Exod. IX, 10. Iter autem patuisse olim per mare Rubrum indicat vetustissima apud Ichthyophagos, huius maris accolas, et a patribus accepta fama, quam refert Diodorus Siculus, lib. III, c. 39, p. 122: *Ingenti* scilicet *aestu*, *aquas quondam in oppositas partes ita fuisse revolutas, ut fundus maris non tantum appareret, sed etiam exsiccaretur, deinde relabentibus fluctibus in pristinum ordinem fuisse restitutas*: Παρὰ δὲ τοῖς πλησίον κατοικοῦσιν Ἰχθυοφάγοις παραδέδοται λόγος, ἐκ προγόνων ἔχων φυλαττομένην τὴν φήμην, ὅτι μεγάλης τινὸς γενομένης ἀμπώτεως ἐγενήθη τοῦ κόλπου ξηρὸς πᾶς ὁ τόπος, ὁ τὴν χλωρὰν ἔχων τοῦ τόπου πρόσοψιν, μεταπεσούσης τῆς θαλάττης εἰς τἀναντία μέρη, φανείσης δὲ τῆς ἐπὶ τῷ βυθῷ χέρσου, πάλιν ἐπανελθοῦσαν ἐξαίσιον πλήμμυραν ἀποκαταστῆσαι τὸν πόρον εἰς τὴν προϋπάρξασαν τάξιν.

Hebraeos, Aegypto egressos, et per vasta Arabiae loca vagantes, fatigavit aquae inopia; idque fatetur ipse Moses, Exod. XV, 23, sed eorum sitis, tum miraculis, tum loci opportunitate levata. Nam in Elim duodecim fontes aquarum et septuaginta palmas reperere: Exod. XV, 26 et 27. Neglecta quidem fuere ob gentis contemtum miracula: ab aquis vero in Elim repertis nata videtur fabula, qua Moses, coniectura herbidi soli, et gregem asinorum agrestium secutus, largas aquarum venas aperuisse dicitur.

Quod autem addit Tacitus, Iudaeos continuum sex dierum iter emensos, septimo, pulsis cultoribus, obtinuisse terras, in quibus urbs et templum dicata sunt, locorum notitia et eventuum serie satis refellitur. Ibi tamen agnoscas haud obscurum antiquae veritatis monumentum. Nam quum Hebraei sex diebus continuis urbem Iericho circuissent, septimo die, quod sabbatum erat, eam expugnavere; pulsisque Chananaeis, Palaestinam obtinuere, in qua postea a Davide urbs Ierusalem, a Salomone templum dicata sunt.

Errat autem Tacitus, quum vitam Mosis produxit, iudaicosque ritus, occupata Palaestina, inditos existimavit. Verius dixit apud Iudaeos profana omnia esse, quae apud Romanos sacra, et rursum concessa apud illos, quae

his incesta; Iudacis enim concessa plurima nuptiarum genera, quae apud Romanos incesta habebantur.

Brotier.

N.° 3. Cap. IV. *Effigiem animalis penetrali sacravere* Iudaci.

Non nnos Tacitus, sed Diodorus quoque Siculus, Plutarchus, Apion aliisque asininum Iudaeorum numen memoravere. Iudeque salse adversos Iodaeum quemdam poëtam Martialis, Epigr. XI, 95:

Ecce negas, iurasque mihi per templa Tonantis:
Non credo; iura, Verpe, per Anchialum.

Vel potius per *Ancharium*, ot habebat vetostissimns MS. Codex Thuaoaeus; asinus enim Romanis dictus est *ancharius*. De hac fabula eiusque origine paucis dicendum.

DE FABVLA ASINI A IVDAEIS CVLTI.

Asinnm a Iudacis cultum fabulam esse omnibos compertnm est; nec inter se conseotiunt, qui meudacium prodidere: alii asioum, alii asini caput, alii hominem asino insidentem, in Iudaeorum templo fuisse sacratum volunt: haec omoia absurda esse patet ex ipso Tacito, qui mox cap. 5 profitetur, Iudaeos mente sola nnum numen, summum, aeternum, neque mutabile, neque ioteriturum intelligere; nulla simulacra eorum urbibus, nedum templis, esse. Obiiciebat tamen Apion, calumniator audacissimus, asininum illud caput aureum ab Aotiocbo Epiphane in templo fuisse repertum. Cui respondet Iosephus, contra Apionem, II, 7, neque ab Antiocho, neque a Pompeio Magno, neque a Licinio Crasso, neque a Tito, qui omnes templum obtinnere, tale qnidpiam fuisse inventum: eos nihil reperisse, nisi purissimam pietatem; de qua nihil Iodaeis apud alios effabile; ob sacram scilicet et ineffabilem Dei Iehovah, יהוה, religionem. Addit Iosephus, veteres gravissimosque scriptores Polybium, Strabonem, Nicolaum Damascenum, Timageocm et Castorem prodidisse, tantum templum ab Antiocho, qui iniqua et insatiabili opum cupidine flagrabat, fuisse expilatum.

At uode huius fabulae origo? Plurimi cruditas, sed non ita probabiles, ex hebraicorum graecorumve nominum similitudine originationes repetunt, quas videre est apud cl. Ioan. Iac. Huldricom: Geotilis Obtrectator, part. I, c. 4, p. 56 et seq. Verius crediderim fabulam ortam esse ex Aegyptiorum malignitate. Natura procaces, se solos sapientes rerumque peritus iactitare soliti, asinisque infensissimi, hoc commento vel Iudaeorum ignorantiam, religiosamve tacitornitatem despiciebant, vel frequentem in Iudaeorum libris asinorum memoriam, victoriasque Samsonis, et fusas ex asini maxilla aquas ridebant. Forte quoque asininum fuit aliquod ludibrium. Sic hodieque in Aegypto tanta est Turcarum superbia, ut eqnos, nobilissimum animal, sibi seponant, asioos tantum, vile pecus, Christianis, Iudaeis, Arabibus, maurisque, a mahumetica religione alienis, permittant. Vide el. *Hasselquist*, *Voyages dans le Levant*, vol. I, p. 80. Ut ut est, a Iudaeis

ad Christianos manavit calumnia. Christianorum Deos appellatus est Ὀνοκοίτης; Christiani dicti sout *Asinarii*, teste Tertulliano in Apologetic. 16. Recte breviterque Minucius Felix, in Octavio, c. 28: *Audire te dicis caput Asini rem nobis esse divinam. Quis tam stultus, ut hoc colat? Quis stultior, ut hoc coli credat?*

BROTIER.

N.° 4. CAP. V. *Pessimus quisque Iudaeorum, spretis religionibus patriis, tributa et stipes illuc congerebant.*

Legibus romanis permissum erat Iodaeis, non modo in Iudaea, sed in Asia, Lybia, et ubique terrarum, suis legibus vivere, et donaria, primitias, pecunias, quas uousquisque sponte sua ex pietate in Deum solvebat, Hierosolymam mittere; ut constat ex edicto Augusti imperatoris, literisque Marci Agrippae, et proconsulum Norbani Flacci et Iulii Antonii apud Iosephum, Antiq. Iud. XVI, 6. Nihil est ergo, cur Tacitus queratur quod, spretis religionibos patriis, tributa et stipes Hierusolymam congererent. At quod curiosum magis et observatioue dignum, hic inquiremus quae fuerint illa tributa, quae stipes, et quantum inde auctas Iudaeorum res.

QVAE TRIBVTA ET STIPES A IVDAEIS VNDEQVAQVE TERRARVM HIEROSOLYMAM MITTERENTVR,

ET QVANTVM INDE OPVM EXSVRGERE POTVERIT.

Primitiae, decimae, vota, votorumque redemptio, census capitis, ea potissimum fuere tributa, quibus augebantur Iudaeorum res. Adde donaria; quae quam magnifica quandoque fuerint, aestimari potest ex munificentia Tiberii Alexandri, qui altissimas latissimasque novem portas templi, de quibus dicetur infra cap. 8, argento auroque vestivit, teste Iosepho, Bell. Iud. V, 5, n. 3. Stipes quoque, ubique collectae, Hierosolyma in pauperum sustentationem mittebantur.

Verum antequam, quantum opum inde exsurgere potuerit, expendamus, inquirendum quis tum fuerit Iudaeorum extra Palaestinam incolentium numerus. Ad hanc inquisitionem plurimum conferet Philo. Aperte enim docet tantam fuisse in Aegypto Iudaeorum multitudinem, ut non minus quam decies centena millia 1,000,000, Alexandriam totamque regionem, quanta patet a Catabathmo Libyae, nunc *Akabet-Assolom*, usque ad terminos Aethiopiae habitaverint: Οὐκ ἀποδέουσι μυριάδων ἑκατὸν τὴν Ἀλεξάνδρειαν καὶ τὴν χώραν Ἰουδαῖοι κατοικοῦντες ἀπὸ τοῦ πρὸς Λιβύην καταβαθμοῦ μέχρι τῶν ὁρίων Αἰθιοπίας· Philo in Flaccum, p. 971. Certe multo plures fuere in Asia, maxime quum constet Iudaeos per totam Asiam ob commercia fuisse diffusos, et in Babylonia, quo olim fuerant translati, tantam eorum multitudinem exstitisse, ut Petronius, apud Philonem, testetur Babylonem multasque satrapias a Iudaeis teneri, et Caium Caligulam a bello Iudaico

metu copiarum transeuphratensium deterreat. Id enim Petronio non auribus tantum, sed et oculis erat compertum: Ἐφόβουν δὲ αὐτὸν καὶ αἱ πέραν Εὐφράτου δυνάμεις· ᾔδει γὰρ Βαβυλῶνα καὶ πολλὰς ἄλλας τῶν σατραπειῶν ὑπὸ Ἰουδαίων κατεχομένας, οὐκ ἀκοῇ μόνον, ἀλλὰ καὶ πείρᾳ. Philo, de Legatione ad Caium, p. 1023. Et certe Iudaeorum numerum imminuam potius, quam exaggerabo, si eos in Asia fuisse non minus quam vicies centena millia, 2,000,000 dixero. Quot autem in Aegypto, tot saltem fuere in Europa et Africa. Haud immerito ergo pronuntiaverim non pauciores tunc fuisse extra Palaestinam Iudaeos, quam quadragies centena millia 4,000,000. Inde Philo eos non multo pauciores indigenis tradit: Ὡς τῶν αὐθιγενῶν μὴ πολλῷ τινι δοκεῖν ἐλαττοῦσθαι; Philo, loc. cit.

Ex iis autem omnibus regionibus Iudaei singulis annis aurum argentumque in templum mittebant, ut videre est apud Philonem, loc. cit. Aurum quoque, *Iudaeorum nomine, quotannis ex Italia et omnibus* romani imperii *provinciis Hierosolymam exportari* solitum testatur Cicero in oratione pro Flacco, cap. 38. Quod quidem vetuit Flaccus, Asiae rector; et sanxit edicto ne aurum ex Asia exportari liceret: sed id illi datum crimini; permissumque Iudaeis moribus suis vivere, aurumque exportare. Idem postea multis Augusti ceterorumque Caesarum legibus firmatum.

At quantum auri exportarent Iudaei nunc expendendum. Novimus quidem ex Cicerone loc. cit., post L. Flacci edictum Apameae comprehensum *auri pondo centum paullo minus*, quae circiter sunt gallice 93,334 fr.; *Laodiceae viginti pondo paullo amplius*, circiter gallice 18,667 fr. Quantum Adramyttii, quantum Pergami, quantum in aliis urbibus, comprehensum non declaratur. Alia ergo ineunda est via, ut, quantum opum ex his collationibus exsurgere potuerit, cognoscatur. Ducem Iosephum sequamur. Is, auctoritatem Strabonis laudans, docet Mithridatem ad se mitti iussisse ex sacra pecunia, quam Iudaei ex Asia in insulam Co, nunc *Stan-Co*, transtulerant, octingenta talenta, gallicae monetae 6,874,075 fr. Ioseph. Antiq. Iud. XIV, 7, n. 2: Τὰ τῶν Ἰουδαίων ὀκτακόσια τάλαντα.

Sit quidem, per me licet, tota haec pecuniae summa a Iudaeis Asiaticis mitti solita. Certe non minorem summam ex Europa, ex Aegypto, ex Africa, mittebant ceteri Iudaei. Ergo modica potius, quam magna, aestimatione, Iudaei extra Palaestinam incolentes singulis annis Hierosolyma mittebant, gallicae monetae 13,748,149 fr. Iidem centum annis mittebant, gall. mon. 1,374,814,815 fr. Sic augebantur Iudaeorum res, ut recte observavit Tacitus.

BROTIER.

N.° 5. CAP. idem. *Iudaeorum sacerdotes hedera vinciebantur, vitisque aurea templo reperta, « Liberum patrem coli, domitorem Orientis, » quidam arbitrati sunt.*

Ut illustri exemplo pateat quomodo apud Graecos et Romanos fabulae de Iudaeis sint adornatae, de his coronis hederaceis et Bacchi cultu paullo fusius dicendum.

DE FABVLA IVDAEOS, HEDERA VINCTOS, BACCHVM COLVISSE.

Fabulae origiuem docet monstratque Plutarchus in Symposiac. IV, 5, p. 671: Τῆς μεγίστης καὶ τελειοτάτης ἑορτῆς παρ' αὐτοῖς (Ἰουδαίοις) ὁ καιρός ἐστι καὶ ὁ τρόπος Διονύσῳ προσήκων· τὴν γὰρ λεγομένην νηστείαν, ἀκμάζοντι τρυγητῷ, τραπέζας τε προτίθενται παντοδαπῆς ὀπώρας, ὑπὸ σκηναῖς, καὶ καλιάσιν ἐκ κλημάτων μάλιστα καὶ κιττοῦ διαπεπλεγμέναις, καὶ τὴν προτέραν τῆς ἑορτῆς Σκηνὴν ὀνομάζουσιν· ὀλίγαις δὲ ὕστερον ἡμέραις ἄλλην ἑορτὴν οὐκ ἂν δι' αἰνιγμάτων, ἀλλὰ ἄντικρυς Βάκχου καλουμένου τελοῦσιν. Ἔστι δὲ καὶ Κρατηροφορία τις ἑορτὴ καὶ Θυρσοφορία παρ' αὐτοῖς, ἐν ᾗ θύρσους ἔχοντες εἰς τὸ ἱερὸν εἰσίασιν· εἰσελθόντες δὲ ὅ, τι δρῶσιν οὐκ ἴσμεν. Εἰκὸς δὲ Βακχείαν εἶναι τὰ ποιούμενα· καὶ γὰρ σάλπιγξι μικραῖς, ὥσπερ Ἀργεῖοι τοῖς Διονυσίοις, ἀνακαλούμενοι τὸν θεὸν χρῶνται· καὶ κιθαρίζοντες ἕτεροι προΐασιν, οὓς αὐτοὶ Λευΐτας προσονομάζουσιν, εἴτε παρὰ τὸν Λύσιον, εἴτε μᾶλλον παρὰ τὸν Εὔιον τῆς ἐπικλήσεως γεγενημένης. Οἶμαι δὲ καὶ τὴν τῶν σαββάτων ἑορτὴν μὴ παντάπασιν ἀπροσδιόνυσον εἶναι. Σάββους γὰρ καὶ νῦν ἔτι πολλοὶ τοὺς Βάκχους καλοῦσι, καὶ ταύτην ἀφιᾶσι τὴν φωνὴν ὅταν ὀργιάζωσι τῷ Θεῷ. « Maximae et perfectissimae Iodacorum sollennitatis et tempus et modus cum Bacchi sacris congruit. Quod enim ipsi vocant ieiunium, id sic celebrant, at maxime fervente vindemia proponant mensas, in quibus expositae sint omnis generis fruges, et sub tabernaculis desideant, quae potissimum e palmitibus et hedera contexuntur: et primam sollennitatis diem *Tabernacula* nominant. Paucis vero post diebus aliam festivitatem non obscure, sed omnino aperte Baccho nuncupatam celebrant. Est etiam sollenne apud eos festum Craterophoria et Thyrsophoria, in quo thyrsos gestantes in templum intrant: quid intus faciant ignoro. Credibile est ab iis Bacchi sacra peragi: nam et tubis exiguis, sicut Argivi Bacchanalibus, utuntur ad evocationem numinis; et alii progrediuntur citharis ludentes, quos ipsi Levitas appellant, sive a Lysio, sive ab Evio (utraque vox Baccho congruit) ita dictos. Opinor etiam sabbatorum ferias non plane a Baccho esse alienas. Sabbas enim etiamnum multi Bacchas appellant, eamque edunt vocem, dum argia Bacchi celebrant. » Alias deinde rationes subdit Plutarchus, quibus suam sententiam demonstratam credit: nempe festis diebus summum pontificem Iudacorum mitratum incedere, tintinnabulis e veste dependentibus; quod, inquit, nulli alii Deo, quam Baccho convenit: Iudaeos in sacrificiis mel non adhibere; quia adversa vino mellis natura: denique inter multas poenarum formas, hanc apud Iudaeos maxime odiosam esse, qua ad certum tempus vino interdicitur damnatus. Quae retulisse sit satis, nec refutatione indigent. Manifestum enim est haec omnia niti absurdis rituum iudaicorum interpretationibus, et sollennitate Tabernaculorum in pravam detorta. Nempe quod post collectas fruges, Iudaei in tabernaculis, arborum fronde contextis, diversantes, summa cum laetitia festum Tabernaculorum die quintodecimo mensis Tisri, iuxta legem Levitici, XXIII, 40 et seq. septem diebus celebrabant; quod praecipua quoque festivitate diem alterum et vicesimam eiusdem mensis Tisri observabant, ramos, seu thyrsos, salicis aliarumque arborum gestantes, et Deum *servatorem* plurimum invocantes, ideaque dies ille in kalendariis iudaicis appellatur הושענה רבה: inde

confica sunt illa omnia Bacchanalia; a quibus ita abhorrebant Iudaei, ut quum illos ad id impietatis compellere vellet Antiochus Epiphanes, mori potius, quam foedari maluerint. Vide II Machab. VI, 7 et seq. Confer quoque, si volueris, cum Plutarcho Athenaeum, lib. VII, p. 276. Inde evidenter perspicies cur festum illud Plutarchus dixerit Craterophoria. Σάββους autem memorat, quod Iudaei Deum Sabaoth, יהוה צבאות, seu *Deum exercituum* invocabant.

Vitisque aurea.

Quae fuerit illa vitis aurea, in templo reperta, explicandum.

DE VITE AVREA.

Quum in templo interiore omnia auro coruscarent, ut eius porta ornaretur, vitis aurea supra columnarum caput, et sub corona muri, expansa est, tanta amplitudine, *ut ex ea botri statura humana dependerent.* Ioseph. Bell. Iud. V, 5, n. 4: *Εἶχε δὲ καὶ τὰς χρυσᾶς ὑπὲρ αὐτῆς (πύλης) ἀμπέλους, ἀφ' ὧν βότρυες ἀνδρομήκεις κατεκρέμαντο.* At expressius de hac vite Ioseph. Gorionides, V, 26: Herodes rex *vitem ex auro puro confectam columnarum capiti imposuit*, *cuius pondus mille talenta auri puri aequabat:* יעש גפן זהב מחור ויתן על ראש העמודים מלמעלה גפן ואלף ככרי זהב טהור משקלה: Mox prosequitur Gorionides: *Vitis autem ipsa affabre facta erat; eiusque rami, folia ac germina rutilante auro conspicua erant; botri eius ex auro subviridi, illiusque uvae atque acini et folliculi ex lapidibus pretiosis constabant.* Mille talenta auri puri efficiunt gallicae monetae 124,074,075.

At tantum auri pondus, maxime in his locis angustiis, est omnino absurdum. Itaque vel crediderim verba Gorionidis ita mollienda esse, ut significent vitem illam aestimatam fuisse mille talentis (gallicae monetae...); vel si quis ea de pondere mille talentorum auri accipere voluerit, saltem fateatur summam illam esse totius vitis gemmarumque pretium. Quod quidem vix probabile adhuc videretur, ni sciremus, hanc vitem, non unius Herodis, sed totius gentis Iudaicae, per omnem terrarum orbem diffusae, et ad eam magnificentiam per nonaginta ferme annos pronae, monumentum fuisse. Quicumque enim aurum templo vovebat, folium, aut uvam, botrumve, ex hac vite suspendebat, ut videre est in Misna, tit. *Middoth*, cap. 3, n. 8. Haud mirum ergo in maximas opes excrevisse vitem illam, quae, oculato teste Iosepho, Antiq. Iud. lib. XV, 11, n. 3, intuentibus, *tum magnitudine*, *tum arte*, *in tanta pretiosae materiae copia*, *miraculum videbatur* : Ὑπὸ τοῖς θριγκώμασιν ἄμπελος διετέτατο χρυσῆ, τοὺς βότρυς ἀπηωρημένους ἔχουσα· θαῦμα καὶ τοῦ μεγέθους καὶ τῆς τέχνης τοῖς ἰδοῦσιν, οἷον ἐν πολυτελείᾳ τῆς ὕλης τὸ κατασκευασθὲν ἦν.

Videtur autem Iudaeos in hoc aureae vitis ornatu imitatos esse regum Persarum magnificentiam, quam luculenter testatur Charea, Mitylenaeus, apud Athenaeum, lib. XII, p. 514: Εἰς τοῦτο, φησίν, ἧκον οἱ τῶν Περσῶν βασιλεῖς, ὥστε ἔχεσθαι τῆς βασιλικῆς κλίνης ὑπὲρ κεφαλῆς οἴκημά τε πεντάκλινον, ἐν

DE FABVLA IVDAEOS, HEDERA VINCTOS, BACCHVM COLVISSE.

Fabulae originem docet monstratque Plutarchus in Symposiac. IV, 5, p. 671: Τῆς μεγίστης καὶ τελειοτάτης ἑορτῆς παρ' αὐτοῖς (Ἰουδαίοις) ὁ καιρός ἐστι καὶ ὁ τρόπος Διονύσῳ προσήκων· τὴν γὰρ λεγομένην νηστείαν, ἀκμάζοντι τρυγητῷ, τραπέζας τε προτίθενται παντοδαπῆς ὀπώρας, ὑπὸ σκηναῖς, καὶ καλιάσιν ἐκ κλημάτων μάλιστα καὶ κιττοῦ διαπεπλεγμέναις, καὶ τὴν προτέραν τῆς ἑορτῆς Σκηνὴν ὀνομάζουσιν· ὀλίγαις δὲ ὕστερον ἡμέραις ἄλλην ἑορτὴν οὐκ ἂν δι' αἰνιγμάτων, ἀλλὰ ἄντικρυς Βάκχου καλουμένου τελοῦσιν. Ἔστι δὲ καὶ Κρατηροφορία τις ἑορτὴ καὶ Θυρσοφορία παρ' αὐτοῖς, ἐν ᾗ θύρσους ἔχοντες εἰς τὸ ἱερὸν εἰσίασιν· εἰσελθόντες δὲ ὅ, τι δρῶσιν οὐκ ἴσμεν. Εἰκὸς δὲ Βακχείαν εἶναι τὰ ποιούμενα· καὶ γὰρ σάλπιγξι μικραῖς, ὥσπερ Ἀργεῖοι τοῖς Διονυσίοις, ἀνακαλούμενοι τὸν θεὸν χρῶνται· καὶ κιθαρίζοντες ἕτεροι προσίασιν, οὓς αὐτοὶ Λευΐτας προσονομάζουσιν, εἴτε παρὰ τὸν Λύσιον, εἴτε μᾶλλον παρὰ τὸν Εὔιον τῆς ἐπικλήσεως γεγενημένης. Οἶμαι δὲ καὶ τὴν τῶν σαββάτων ἑορτὴν μὴ παντάπασιν ἀπροσδιόνυσον εἶναι. Σάββους γὰρ καὶ νῦν ἔτι πολλοὶ τοὺς Βάκχους καλοῦσι, καὶ ταύτην ἀφιᾶσι τὴν φωνὴν ὅταν ὀργιάζωσι τῷ Θεῷ. « Maximae et perfectissimae Iudaeorum sollenoitatis et tempus et modus cum Bacchi sacris congruit. Quod enim ipsi vocant ieiunium, id sic celebrant, ut maxime fervente vindeuia propouant mensas, iu quibus expositae siut omuis generis fruges, et sub tabernaculis desideant, quae potissimum e palmitibus et hedera cootexuntur: et primam sollennitatis diem *Taberaacula* nominant. Paucis vero post diebus aliam festivitatem non obscure, sed omoino aperte Baccho nuucupatam celebrant. Est etiam sollenne apud eos festum Craterophoria et Thyrsophoria, in quo thyrsos gestantes in templum intraut: quid intus faciant ignoro. Credibile est ab iis Bacchi sacra peragi: nam et tubis exiguis, sicut Argivi Bacchanalibus, utuntur ad evocatiooem numinis; et alii progrediuntur citharis ludentes, quos ipsi Levitas appellaut, sive a Lysio, sive ab Evio (utraque vox Baccho congruit) ita dictos. Opinor etiam sabbatorum ferias non plane a Baccho esse alienas. Sabbos euiio etiamnum multi Bacchos appellant, eamque edunt vocem, dum orgia Bacchi celebrant. » Alias deinde rationes subdit Plutarchus, quibus suam seuteutiam demonstratam credit: nempe festis diebus summum pontificem Iudaeorum mitratum incedere, tintinoabulis e veste dependeutibus; quod, inquit, nulli alii Deo, quam Baccho convenit: Iodaeos in sacrificiis mel non adhibere; quia adversa vino mellis natura: denique inter multas poenarum formas, hanc apud Iudaeos maxime odiosam esse, qua ad certum tempus vino ioterdicitur damnatus. Quae retulisse sit satis, nec refutatiooe indigeot. Maoifestum euim est haec omnia niti absurdis rituum iudaieorum ioterpretationibus, et sollennitate Tabernaculorum in pravom detorta. Nempe quod post collectas fruges, Iudaei in taberuaculis, arborum fronde contextis, diversantes, summa cum laetitia festum Tabernaculorum die quintodecimo mensis Tisri, iuxta legem Levitici, XXIII, 40 et seq. septem diebus celebrabant; quod praecipua quoque festivitate diem alterum et vicesimum eiusdem mensis Tisri observabant, ramos, seu thyrsos, salicis aliarumque arborum gestantes, et Deum *servatorem* plurimum invocaotes, ideoque dies ille in kalendariis iudaicis appellatur הושענא רבה: inde

confleta sunt illa omnia Bacchanalia; a quibus ita abhorrebant Iudaei, ut quum illos ad id impietatis compellere vellet Antiochus Epiphanes, mori potius, quam fuedari maluerint. Vide II Machab. VI, 7 et seq. Confer quoque, si volucris, cum Plutarcho Athenoeum, lib. VII, p. 276. Inde evidenter perspicies cur festum illud Plutarchus dixerit Craterophoria. Σάββους autem memorat, quod Iudaei Deum Sabaoth, יהוה צבאות, seu *Deum exercituum* invocabant.

Vitisque aurea.

Quae fuerit illa vitis aurea, in templo reperta, explicandum.

DE VITE AVREA.

Quum in templo interiore omnia auro coruscarent, ut eius porta ornaretur, vitis aurea supra columnarum caput, et sub corona muri, expansa est, tanta amplitudine, *ut ex ea botri statura humana dependerent.* Ioseph. Bell. Iud. V, 5, n. 4: *Εἶχε δὲ καὶ τὰς χρυσᾶς ὑπὲρ αὐτῆς (πύλης) ἀμπέλους, ἀφ' ὧν βότρυες ἀνδρομήκεις κατεκρέμαντο.* At expressius de hac vite Ioseph. Gorionides, V, 26: Herodes rex *vitem ex auro puro confectam columnarum capiti imposuit*, cuius *pondus mille talenta auri puri aequabat:* יעש גפן זהב מהור ויתן על ראש העמודים מלמעלה גפן ואלף ככרי זהב טהור משקלה: Mox prosequitur Gorionides: *Vitis autem ipsa affabre facta erat; eiusque rami, folia ac germina rutilante auro conspicua erant; botri eius ex auro subviridi, illiusque uvae atque acini et folliculi ex lapidibus pretiosis constabant.* Mille talenta auri puri efficiunt gallicae monetae 124,074,075.

At tantum auri pondus, maxime in his locis angustiis, est omnino absurdum. Itaque vel crediderim verba Gorionidis ita mollienda esse, ut significent vitem illam aestimatam fuisse mille talentis (gallicae monetae...); vel si quis ea de pondere mille talentorum auri accipere voluerit, saltem fateatur summam illam esse totius vitis gemmarumque pretium. Quod quidem vix probabile adhuc videretur, ni sciremus, hanc vitem, non unius Herodis, sed totius gentis Iudaicae, per omnem terrarum orbem diffusae, et ad eam magnificentiam per nonaginta ferme annos pronae, monumentum fuisse. Quicumque enim aurum templo vovebat, folium, aut uvam, botrumve, ex hac vite suspendebat, ut videre est in Misna, tit. *Middoth*, cap. 3, n. 8. Haud mirum ergo in maximas opes excrevisse vitem illam, quae, oculato teste Iosepho, Antiq. Iud. lib. XV, 11, n. 3, intuentibus, *tum magnitudine, tum arte, in tanta pretiosae materiae copia, miraculum videbatur:* Ὑπὸ τοῖς θριγκώμασιν ἄμπελος διετέτατο χρυσῆ, τοὺς βότρυας ἀπῃωρημένους ἔχουσα· θαῦμα καὶ τοῦ μεγέθους καὶ τῆς τέχνης τοῖς ἰδοῦσιν, οἷον ἐν πολυτελείᾳ τῆς ὕλης τὸ κατασκευασθὲν ἦν.

Videtur autem Iudaeos in hoc aureae vitis ornatu imitatos esse regum Persarum magnificentiam, quam luculenter testatur Chares, Mitylenaeus, apud Athenaeum, lib. XII, p. 514: Εἰς τοῦτο, φησίν, ἧκον οἱ τῶν Περσῶν βασιλεῖς, ὥστε ἔχεσθαι τῆς βασιλικῆς κλίνης ὑπὲρ κεφαλῆς οἴκημά τε πεντάκλινον, ἐν

ᾗ χρυσίου πεντακισχίλια διὰ παντὸς ἔκειτο τάλαντα, καὶ τοῦτο ἐκαλεῖτο προσκεφάλαιον βασιλικόν· καὶ πρὸς ποδῶν ἕτερον οἴκημα τρίκλινον, οὗ τάλαντα τρισχίλια ἔκειτο ἀργυρίου, καὶ προσηγορεύετο βασιλικὸν ὑποπόδιον· ἦν δὲ ἐν τῷ κοιτῶνι καὶ λιθοκόλλητος ἄμπελος χρυσῆ ὑπὲρ τῆς κλίνης· τὴν δὲ ἄμπελον ταύτην Ἀμύντας φησὶν ἐν τοῖς Σταθμοῖς καὶ βότρυας ἔχειν ἐκ τῶν πολυτελεστάτων ψήφων συντιθεμένους. *Eo usque luxus*, inquit Chares, *processerunt Persarum reges, ut ad verticem regii cubilis superne esset caenaculum cum quinque lectis, in quo talenta auri quinques mille* (gallicae monetae 333,333,334 fr.) *semper adservabantur; id cervical regium appellabant : cubilis vero pedibus alterum erat caenaculum cum tribus lectis, ubi reposita talentorum argenti tria millia* (gall. mon. 13,537,038 fr.) *quod scabellum regis nuncupabant: in eius cubiculo fuit quoque vitis aurea, gemmis ornata, super lectum distenta, euius uvas Amyntas, in libro de Panderibus, ait ex pretiosissimis gemmis compositas fuisse.*

Tantas opes in Oriente unquam exstitisse vix crederemus, ni iis fidem fecisset nostra aetas, quum audivimus, et multi ipsi viderunt, regem Persarum *Thamas-Kouli-Kan*, subito occupata, anno 1739, urbe *Dely*, Mogoliei imperii sede, abstulisse e thesauro regio:

Moneta quindecim *Kiurouros* (gallicae monetae 333,333,334 fr.) *Kiurour* vulgo nuncupamus *Carol*;

Gemmea suppellectile octo *Kiurouros* (gallicae monetae 177,777,778 fr.);

Lectum regium, aestimatum septem *Kiurouris* (gall. m. 155,555,556 f.);

Thronum regium, aestimatum novem *Kiurouris* (gall. m. 200,000,000 f.).

Cetera in tam recenti memoria omnibus comperta omittam; satis sit observasse universa spolia fuisse, minima aestimatione, centum undecim *Kiurourorum* (gallicae monetae 2,466,666,667 fr.). Quae opum commemoratio haud erit supervacanea, ut ex nostris temporibus vetera tempora aestimare discamus.

Nunc vero, ut ad Iudaeos revertar, monuerim, antequam Herodes vitem auream in templo dicasset, aliam iam olim fuisse in eimelio domus Hasamoneae a rege Iudaeorum Alexandro Iannaeo factam. Aristobulus, eius filius, eam dono dedit Pompeio Magno, qui eam Romae in templo Iovis Capitolini dicavit. Exstat hac de re luculentum Strabonis testimonium apud Iosephum, Antiq. Iud. XIV, 3, n. 1: Ἔπεμψε γὰρ αὐτῷ (Πομπηΐῳ) μέγα δῶρον Ἀριστόβουλος, ἄμπελον χρυσῆν ἐκ πεντακοσίων ταλάντων· μέμνηται δὲ τοῦ δώρου καὶ Στράβων ὁ Καππάδοξ, λέγων οὕτως. « Ἦλθε δὲ καὶ ἐξ Αἰγύπτου πρεσβεία, καὶ στέφανος ἐκ χρυσῶν τετρακισχιλίων, καὶ ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας εἴτε ἄμπελος, εἴτε κῆπος. τερπωλὴν ὠνόμαζον τὸ δημιούργημα ». Τοῦτο μέντοι τὸ δῶρον ἱστορήκαμεν καὶ ἡμεῖς ἀνακείμενον ἐν Ῥώμῃ, ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Διὸς τοῦ Καπετωλίου, ἐπιγραφὴν ἔχον ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΤΟΥ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Ἐτιμήθη δὲ εἶναι πεντακοσίων ταλάντων. Ἀριστοβούλου μὲν οὖν τοῦτο λέγεται πέμψαι τῶν Ἰουδαίων δυνάστην· *Misit Pompeio ingens donum Aristabulus, vitem auream ex quingentis talentis* (gallicae monetae 000,000 fr.). *Meminit autem huius muneris etiam Strabo Cappadox, his verbis*: « *Venit et ex Aegypto legatio, cum corona aureorum quatuor mille* (circiter gallicae monetae 0,000 fr.), *et ex Iudaea sive vitis, sive hortus: quod opus delectationem* (inde vitis illa aurea hortusque aureus dictus est *Terpian* a Iosepho Gorionide, IV, 20: מזהב הנקר טרפין גן) *nominabant* ». *Hoc donum vidimus etiam nos Romae in templo Iovis*

Capitolini dedicatum, cum inscriptione Alexandri ivdaeorvm regis. *Aestimabatur autem quingentis talentis; et quidem fertur Aristobulum Iudaeorum dynasten hoc misisse.*

Hic est sane mons aureus, haec vitis aurea, quam Pompeius transtulit in triumpho, quem de Iudaeis victaque Asia egit a. U. c. 693. Insignis annus, quo, auctore Plinio, XXXVII, 2, *victoria illa Pompeii primum ad margaritas gemmasque romanos mores inclinavit.* Hoc enim *triumpho transtulit alveum cum tesseris lusorium e gemmis duabus latum pedes tres, longum pedes quatuor (et ne quis de ea re dubitet, nulla gemmarum magnitudine hodie prope ad hanc amplitudinem accedente, in ea fuit Luna aurea pondo XXX*, id est, trigiuta librarum romanarum); *lectos tricliniares tres; vasa ex auro et gemmis abacorum novem; signa aurea tria, Minervae, Martis et Apollinis; coronas ex margaritis triginta tres; montem aureum quadratum cum cervis et leonibus, et pomis omnis generis circumdata vite aurea; museum ex margaritis, in cuius fastigio horologium erat.* De hoc triumpho confer et Plinium, VII, 26. Aurea autem haec vitis Hasamonaeorum nunquam fuit in templo Hierosolymitano, ut videre est apud eruditum Seldenum, de Iure Natur. et Gentium, II, 8, p. 235.

Brotier.

N.° 6. Cap. VI. *Balsamum modica arbor.*

Ut olim Pompeius Magnus in Mithridatico triumpho ebenum, ita Vespasianus Titusque in Iudaico balsamum ostendere. De arbore tantae olim celebritatis, hodieque magni nominis, pauca disserendum.

DE BALSAMO.

Balsamo patria est Arabia Felix. Illud, ut videtur, a regina Saba Salomon accepit; idque vulgo apud Iudaeos ferebatur, teste Iosepho, Antiq. Iud. VIII, 6, n. 6: *Λέγουσι δ' ὅτι καὶ τὴν τοῦ ὀποβαλσάμου ῥίζαν, ἣν ἔτι νῦν ἡμῶν ἡ χώρα φέρει, δούσης ταύτης τῆς γυναικὸς ἔχομεν. Aiunt etiam, quod opobalsami radicem, quam nostra etiamnum terra edit, huic mulieri acceptam ferimus.* Postea ita a Iudaeis excultum est balsamum, ut inter eorum opes annumeraretur. Unde Iustinus, XXXVI, 3: *Opes genti ex vectigalibus opobalsami crevere, quod in his tantum regionibus gignitur.*

Capta Iudaea, balsamum sibi vindicavit fiscus; et sane, ut plus lucri perciperetur, in Aegypto quoque satum. Nunc natale solum ac patriam repetiit; nec iam iudaicum aegyptiumve, sed arabicum, celebratur. Plurimum quidem nominis obtinet, sed apud nos fama magis, quam re: verum enim ac genuinum in Turcarum imperatoris optimatumque usus et delicias cedit: ad nos adulterinum defertur. Inde nobis ferme incomperta eximia illa vis, qua pro stomacho et vulneribus praepollet.

Plinius, Vespasiano placendi haud incuriosus, multa habet de balsamo. Sufficiat praecipua seligere, quae Tacitum illustrent. Haec autem Plinius, XII, 25: « Omnibus odoribus praefertur balsamum, uni terrarum Iudaeae concessum, quondam in duobus tantum hortis, utrumque regio, altero

iugerum XX non amplius, altero pauciorum. Ostendere arbusculam hanc Urbi imperatores Vespasiani. Clarumque dictu, a Pompeio Magno in triumpho arbores quoque duximus. Servit nunc haec, et tributa pendit cum sua gente, in totum alia natura, quam nostri externique prodiderant. Quippe viti similior est, quam myrto. Malleolis (gall. *reietons*) seri dicitur, nuper vincta, ut vitis: et implet colles vinearum modo, quae sine adminiculis se ipsae sustineot. Tondetur similiter fruticans, ac rastris nitescit, properatque nasci, intra tertium annum fructifera. Folium proximum rutae, perpetua coma. Saeviere in eam Iudaei, sicut in vitam quoque suam. Contra defendere Romani, et dimicatum pro frutice est. Seritque nunc eum fiscus: nec unquam fuit numerosior aut procerior. Proceritas intra bina cubita subsistit..... Inciditur vitro, lapide, osseisve cultellis. Ferro laedi vitalia odit. Emoritur protinus, eadem amputari supervacua patiens. Incidentis manus libratur artifici temperamento, ne quid ultra corticem violet. Succus e plaga manat, quem opobalsamum vocant, suavitatis eximiae, sed tenui gutta ploratu, lanis parva colligitur in cornua. Ex his novo fictili conditur, crassiori similis oleo, et in musto candida. Rubescit deinde, simulque durescit e translucido. Alexandro Magno res ibi gerente, toto die aestivo unam concham impleri iustum erat. Omni vero fecunditate e maiore horto congios senos, minore singulos, quum duplo rependebatur argentum. Nunc etiam singularum arborum largior vena; ter omnibus percutitur aestatibus, postea deputatur. Et sarmenta quoque in merce sunt DCC II, amputatio ipsa surculusque veniit intra quintum devictae annum. Xylobalsamum vocatur, et coquitur in unguentis.... Summa probatio *balsami* est, ut lac coagulet, in veste maculas non faciat. Nec manifestior alibi fraus: quippe millibus denarium, sextarii emti vendente fisco trecentis denariis, veneunt: in tantum expedit augere liquorem. Xylobalsamo pretium in libras X, V. »

Pauca nunc addiderim, quae Plinium expliceant. Ex iis enim, quae retulimus, patet aetate Alexandri Magni exiguam fuisse balsami copiam, siquidem ex duobus hortis annua balsami fecunditas fuit tontum septem congiorum. Quod, quum duplo rependeretur, venibat circiter gallicae monetae 50 fr. Si ex balsami vectigalibus creverint Iudaeorum opes, ut docet Iustinus, tunc sane vel Iudaei maiorem balsami copiam excoluere, vel largior fuit arborum vena. Certe, Romanis Iudaea potientibus, et numerosiores et proceriores fuisse arbores testatur Plinius. Nec tamen imminutum balsami pretium: nam, teste eodem Plinio, sextarius venibat trecentis denariis, seu gall. mon. 230 fr. Ergo tunc quoque duplo rependebatur. Mercatores autem, qui vendente fisco sextarium trecentis denariis emerant, ita balsamum oleo, resina, galbano, aliisque id genus adulterabant atque augebant, ut quod emerant trecentis denariis, ipsi millibus denarium, gallicae monetae 769 fr. venderent. Ligno autem minima erat gratia. Inde a. U. c. 828, qui fuit a devicta Iudaea quintus annus, sarmenta veniere, DCC II, seu *septingentis sestertiis*, id est, gallicae monetae 135 fr. Xylobalsamo autem pretium in libras X, V, id est *denarii quinque*, seu gallicae monetae 4 fr.

BROTIER.

N.° 7. Cap. VIII. *Immensae opulentiae templum* Hierosolymitanum.

Primum, ot quae dicenda sunt intelligantur, abducendus est animus a nostris ecclesiis, quae nihil habent cum Hierosolymitani templi magoitudine et magnificentia commune: intimi tantum penetralis similitudinem aliquam referont, ac maxime Graecorum ecclesiae. Grandia ergo cogitanda sunt spatia; circumductae undequaque porticus marmoreae, cedrinis laquearibus tectae; areae variis pretiosisque lapidibus discriminatae; ara sob dio; iu recessu intimum penetrale.

Itaque duplex fuit templum Hierosolymitanum: interius alterum, alterum oxterius. Interioris templi figura quadrata, et singula latera quingentorum cubitorum: Ezechiel, XLII, 20 (cubitus autem vulgo uno pede at octo pollicibus, mensura parisiensi, definitur). Exterius templum, quo interius contioebatur, quadratum quoque fuit, licet ob iunctam turrim Antoniam quadratum non haberetur. Eius maguitudo haud ita comperta, quod manifesta errat Iosephus, quum templi exterioris et turris Antoniae ambitum sex stadiis comprehendit: Ὁ δὲ πᾶς κύκλος αὐτῶν εἰς ἓξ σταδίους συνεμετρεῖτο, περιλαμβανομένης καὶ τῆς Ἀντωνίας· Ioseph. Bell. Iud. V, 5; n. 2. Unde cl. *d'Anville* (*Dissertation sur l'ancienne Iérusalem*, p. 54) existimat pro ἓξ olim forte scriptom fuisso δέκα; ita ut exterioris templi et turris Antoniae ambitus fuerit septingentarum sexaginta hexapedarum, (4,289 *pieds*). Quod ob torris Autoniae, quatuor aliis turribus munitae, amplitudinem, minus potius, quam maius crediderim. At haec de templi magnificentia et amplitudine quas multi eruditi viri eximiis operibus illustravere, sint satis. Eius opulentia nobis potissimum exploranda.

In ipso templi exterioris aditu occurrebat, Orientem versus, porta triginta cubitos alta, et viginti lata, cuius fores aere corinthio foribus argento auroque obductis erant multo praestantiores: Ioseph. Bell. Iud. V, 5, n. 3.

A templo exteriore, ubi atrium erat gentium, ad interius templum adeuntibus alia obversabatur porta, Orientem quoque versus, quinquaginta cubitos alta, et qoadraginta lata. Eios fores crassissimis auri argentique laminis vestitae. In meridionali septemtrionalique eiusdem templi lateribus octo aliae erant portae, eadem, qua modo dicta exterioris templi porta, magnitudine: earum quoque fores aoro argentoquo onustae: Ioseph. loc. cit.

In interiore hoc templo erat atrium Iudaeorum, ara, et penetrale, quod *Sanctum* et *Sanctum Sanctorum* dicebatur. Illud penetrale, ut sanctitate, ita apparatu et opulentia erat praecipuum. Eius frons, Orienti obversa, lata cubitos centum, totidem alta, tota auro refulgebat. Ipsum quoque totius penetralis fastigium, aureis, sed acutissimis, verubus horrebat, ne ab insidentibus avibus inquinaretur. Eius porta orat septoaginta cubitos alta, quinque at viginti lata, cui nullae tamen fores, ut caeli semper patentis imaginem referret. Inde erat prospectus iu primam penetralis partem (tres enim in partes dividebatur penetrale) altam intus cubitos nonagiota, luugam quinquagiuta, vigiuti latam. Porta et prima illa pars interior penetralis undique auro coruscabat; et supra portam expansa erat vitis illa aurea, unde botri statura humana dependebant: Ioseph. An-

tiq. Iud. XV, 11, n. 3; et Bell. Iud. V, 5, n. 4. De hac vite dietom satis supra cap. 5.

Primam hanc penetralis partem excipiebat pars altera sanctior, alta cubitos sexaginta, quadraginta longa, et viginti lata. Aureae erant eius fores altae cubitos quinque et quinquaginta, latae sexdecim: ante has fores expansum erat aulaeum babylonicum, hyacintho, bysso, cocco, et porpura, mirabili arte, contextum. In ipso penetrali, aureis quoque ornamentis fulgido, erat mensa aurea, aureum candelabrum, thuribulum aureum, praecipua iudaicae religionis monumenta, de quibus dictum in Appendice ad librum Historiar. V, 51. Vide et Iosephum, Bell. Iud. V, 5, n. 5.

Post alteram hanc penetralis partem, pone sequebatur pars tertia et sanctissima, qoae appellabatur *Sanctum Sancti*, seu *Sanctum Sanctorinm*. Ante aureas quoque eius, ut supra, fores, expansum erat velum (illud est velum, quod in morte Iesu Christi scissum est). Tertia illa pars penetralis, alta cubitos sexaginta, longa cubitos viginti, totidem lata, auro tecta et strata, nullo lumine, praecipuaque veneratione. Ibi enim in templo Salomonico fuerat arca foederis, duo Cherubim. et propitiatorium. Quae quum in templo Zorobabelico deessent, crediderim in hac tertia penetralis parte fuisse tantum librum Legis. Existimat tamen eruditos *Prideaux* (*Histoire des Juifs*), ad annum 534 a. C. Iudaeus aliam arcam ad veteris exemplar, Cherubim atque propitiatorium fecisse et in Sancto Sanctorum reposuisse. At, si ibi haec fuerint, quumodo Iosephus ait nihil omnino in hoc penetrali fuisse? Ἔκειτο δ' οὐδὲν ὅλως ἐν αὐτῷ Ioseph. Bell. Iud. lib. V, cap. 5, n. 5. Tacitus quoque cap. 9, memorat *vacuam sedem et inania arcana.*

Hactenus templi apparatum, in quo quidem multum opulentiae, vidimus: nunc vero adeunda templi gazophylacia, alia argenteis aureisque pateris, vasis, instrumentis referta; alia aromatibus plena; alia bysso, porpura, babylonicis onusta. Quanta autem essent hac aetate babylonicis pretia, aestimari potest ex luxu Neronis, cui triclinaria babylonis, quadragies sestertio, gallicae monetae 768,707 fr. constitere, ut diximus inter Anecdota de Nerone; vide infra h. locum. Adde nunc gazophylacia, in quibus sacra pecunia adservabatur. Quanta tunc fuerit, nemo expressit: infinitam eam, ἄπειρον μὲν τῶν χρημάτων πλῆθος, generatim dixit Iosephus, Bell. Iud. VI, 5, n. 2. Maximam certe fuisse patet, quum post excidium Hierosolymitanum auri pretium dimidia parte in Syria sit imminutum, ut diximus in Appendice ad librum Hist. V, 39.

Ut tamen ex vetustioribus temporibus praesens opulentia aliquatenus aestimetur, animadvertendum fuisse in templi gazophylacio duo millia talentorum, gall. mon. 16,790,124 fr. quum Pompeius Magnus Hierosolyma cepit a. U. c. 691. Octo post annis, Crassus illa duo millia talentorum rapuit: praeterea templum auro spoliavit ad octo millia talentorum, gall. mon. 88,493,828 fr. trabem quoque, ex qua suspendebatur velum, solido auro factam ex trecentis minis, gall. mon. 745,038 fr. abstulit: Ioseph. Antiq. Iud. XIV, 7, n. 1. Ac proinde tum Crassus rapuit e templo Hierosolymitano gall. mon. 106,028,988 fr. Nondum tamen templum Hierosolymitanum, inter assiduos bellorum motus, ad eam opulentiam adornatum fuerat, quo postea evectum est Herodis Magni muni-

ficentia, et certantibus undique Iudaeorum studiis, imperiique romani pace. Tum enim primum ad Salomonici templi magnificentiam accedere visum est. Insuper locupletissimus quisque Iudaeorum domos in templo exstruxerat, in quibus opes suas condiderat, ita ut tunc ibi essent totius gentis thesauri, teste Iosepho, Bell. Iud. VI, 5, n. 2: Πᾶς ὁ Ἰουδαίων σεσώρευτο πλοῦτος. Non immerito ergo Tacitus *immensae opulentiae templum* dixit.

Haeremus autem, quum illas templi Hierosolymitani opes legimus, et nostrorum templorum pauperiem contemplamur. At reputemus unicum fuisse non modo urbis Hierosolymorum, sed totius Iudaicae gentis templum. Si unicum quoque nobis foret, et quidquid in tot templa eorumque apparatum fuit expensum in uno templo collectum haberemus, quanto maiores opes miraremur!

BROTIER.

N.° 8. CAP. XIII. *Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Iudaea rerum potirentur: quae ambages Vespasianum ac Titum praedixerant. Sed vulgus, more humanae cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur.*

Hanc persuasionem testatur quoque Sueton. in Vespasiano, 4: *Percrebuerat Oriente toto vetus et constans opinio: esse in fatis, ut eo tempore Iudaea profecti rerum potirentur. Id de imperatore romano, quantum eventu postea patuit, praedictum Iudaei ad se trahentes rebellarunt.* Significantius adhuc Iosephus, Bell. Iud. VI, 5, n. 4: Τὸ δὲ ἐπᾶραν αὐτοὺς (Ἰουδαίους) μάλιστα πρὸς τὸν πόλεμον, ἦν χρησμὸς ἀμφίβολος ὁμοίως ἐν τοῖς ἱεροῖς εὑρημένος γράμμασιν, ὡς κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον, ἀπὸ τῆς χώρας τις αὐτῶν ἄρξει τῆς οἰκουμένης. Τοῦτο οἱ μὲν ὡς οἰκεῖον ἐξέλαβον, καὶ πολλοὶ τῶν σοφῶν ἐπλανήθησαν περὶ τὴν κρίσιν· ἐδήλου δ' ἄρα περὶ τὴν Οὐεσπασιανοῦ τὸ λόγιον ἡγεμονίαν, ἀποδειχθέντος ἐπὶ Ἰουδαίας αὐτοκράτορος· *Sed quod maxime Iudaeos ad bellum excitaverat, vaticinium erat ambiguum in sacris libris repertum, illis temporibus quemdam ex ipsorum finibus orbis terrarum imperio potiturum. Id enim illi quasi sibi proprium acceperunt, multique sapientes interpretatione decepti sunt. Significabat nempe oraculum Vespasiani principatum, qui in Iudaea declaratus est imperator.*

Oraculum quidem Tacitus ac Suetonius veri ignorantia, Iosephus adulatione, in Vespasiani fortunam traxere. At altiora et diviniora praenuntiari demonstrant antiquae illae literae, quae adhuc exstant apud Daniel, II, 44: Καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις τῶν βασιλέων ἐκείνων, ἀναστήσει ὁ Θεὸς τοῦ οὐρανοῦ βασιλείαν, ἥτις εἰς τοὺς αἰῶνας οὐ διαφθαρήσεται, καὶ ἡ βασιλεία αὐτοῦ λαῷ ἑτέρῳ οὐχ ὑπολειφθήσεται, λεπτυνεῖ καὶ λικμήσει πάσας τὰς βασιλείας, καὶ αὕτη ἀναστήσεται εἰς τοὺς αἰῶνας· *In diebus autem regnorum* (vel *regum*, מלביא) *illorum, suscitabit Deus caeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem et consumet universa regna haec; et ipsum stabit in aeternum.* Illud est regnum, quod Apostoli, Iudaea profecti, non opum fulgore, non armorum vi, ne *in persuasibilibus* quidem *humanae sapientiae verbis*, *sed in*

ostensione spiritus et virtutis fundaverunt, teste Paulo, I ad Corinth, II, 4. Babyloniorum, Persarum, Graecorum, Romanorumque regnis maius, statim per terrarum orbem late diffusum est, ut videre est apud eundem Paulum in ep. ad Romanos, X, 18. Sub ipso Neronis principatu, iam nonnulli e domo Caesaris christianae militiae nomen dederant. Inde Paolus in epistola ad Philippenses, IV, 22: Ἀσπάζονται ὑμᾶς πάντες οἱ ἅγιοι, μάλιστα δὲ οἱ ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας· *Salutant vos, qui mecum sunt, fratres. Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Caesaris domo sunt.*

Vespasianus quidem, ad imperium postea evectus, ausus est divina oracula in suae dignitatis omen ac firmamentum divertere. At Deus, vanis mortalium consiliis illudens, brevem fecit Vespasiani, breviorem Titi, nec longam, et improsperam Domitiani potestatem; paucisque annis Flavia domus evanuit. Immo ut illustrius exstaret argumentum divina oracula ad Flaviam domum non pertinuisse, illius ipsius domus pars magna, Flavia Domitilla, Vespasiani neptis, Titus Flavius Clemens eius fratris filius, Plautilla fratris quoque filia, altera Flavia Domitilla, idem sanguis, christianam religionem professi, ideoque exsilia et mortem passi, regnum Christi sanguine suo firmavere. Vide stemma Flaviorum in Excurs. ad Hist. I, 46, pag. 22, n. 11, 12, 13 et 14. Regnum illud, ut nihil humani in eius propagatione esse manifesto videretur, cum imperio romano et exteris principatibus diu luctatum est. Interfecti, excarnificati sunt Christi milites. At tandem orbis, eorum patientia victus, Christo credidit; exemplumque ultro dedere principes et imperatores. Tum in signis vexillisque romanis, quae tot abhinc seculis ut numina habebantur, resplenduit Christi nomen, XP., in quo SPES et SALVS AVGustorum: tum in iis affulsit ipsa Christi crux, cum inscriptione IN HOC SIGNO VICTOR ERIS. Adi Constantini Magni et Constantii nummos. Variis deinde linguis et monumentis celebratus est IC XC BASILEVS BASILE et IHS XPS REX REGNANTIVM, ut passim videre est in imperatorum nummis. Idem nos quoque aureis nostris nummis continuo profitemur: CHRS. REGN. VINC. IMPER., id est, *Christus regnat, vincit, imperat.* Sic valuit Oriens; et iuxta antiquas prophetarum literas fundatum a Iudaea profectis Iesu Christi regnum, *quod in aeternum non dissipabitur.*

BROTIER.

N.° 9. CAP. idem. *Multitudinem obsessorum sexcenta millia fuisse accepimus.*

Ita MSS. Flor. Bud. Agr. editio princeps, Rhenanus et recentiores. Male Puteolanus, *ducenta*; forte quod in MSS. repererit *d.ta*, ut habent MSS. Harl. Bodl. Ies. Guelf. *Sexcenta* quoque habet Orosius, VII, 9, quem vide inter Testimonia Veterum. Nondum tamen accuratus est ille numerus. Nam, teste Iosepho, intra paucos obsidionis menses elata sunt sexcenta millia, 600,000, fame pesteve enectorum, totoque obsidio periere undecies centena millia, 1,100,000. Adde captivorum multitudinem. Quae si quis reputet, haud diffitebitur multitudinem obsessorum saltem fuisse duodecies centena millia. Ne tamen incredibilis hic numerus esse videatur, de eo distinctius dicendum, simulque quantum iudaici sanguinis hoc bello

haustum sit declarandum, ut quam horrenda fuerit iudaica clades summatim pateat.

QVIS OBSESSORVM NVMERVS?

QVOT TOTO BELLO IVDAICO INTERFECTI?

Apud Eusebium, de Praeparat. Evangelic. IX, 4, Hecataeus, Alexandri Magni expeditionum comes, Hierosolyma a centum viginti millibus hominum habitata prodit. Crevit postea, eum populi iudaici fortuna, in urbe principe incolarum numerus; ac Plinii aetate evaserat in *longe clarissimam urbium Orientis, non Iudaeae modo*: Plin. V, 14. Minime tamen compertum quis tum fuerit eius incolarum numerus. Forte fuere sexcenta millia; huncque numerum, proclivi errore, pro obsessorum numero usurpavit Tacitus: pari errato sexcenta illa millia de interfectis Orosius accepit, quae de obsessis fuerant dicta. Ut ut est, aucta adhuc erat urbs *magna colluvie* Iudaeorum, et Idumaeorum, *et ceterarum urbium* iudaicarum *clade*: Tacit. Hist. V, 12. Praeterea obsidione clausi sunt Iudaei, quum, ob Paschatis celebritatem, in urbem undique convenissent. Quanta autem multitudine convenirent, Cestius cognoverat paucis ante annis, sub finem Neroniani principatus, vigentibusque iudaicis rebus: compertum enim ex hostiarum numero tum ibi fuisse vicies septies centena millia, 2,700,000, purorum sanctorumque, ut loquuntur, Iudaeorum, qui agnum Paschalem comedere; minime computatis menstrualibus mulieribus, lepra aliave impuritate laborantibus, et alienigenis, qui huc quoque religionis caussa confluebant: Γίνονται δ' ἀνδρῶν.... μυριάδες ἑβδομήκοντα καὶ διακόσιαι, καθαρῶν ἁπάντων καὶ ἁγίων· οὔτε γὰρ λεπροῖς, οὔτε γονορροίοις, οὔτε γυναιξὶν ἐπιμηνίοις, οὔτε τοῖς ἄλλως μεμιασμένοις ἐξῆν τῆσδε τῆς θυσίας μεταλαμβάνειν· ἀλλ' οὐδὲ τοῖς ἀλλοφύλοις, ὅσοι κατὰ θρησκείαν παρῆσαν. Ioseph. Bell. Iud. VI, 9, n. 3. In huius ergo Paschatis celebritate convenere circiter tricies centena millia, 3,000,000 hominum.

In supremo autem Paschate, quod Iudaei a. I. C. 70, stante templo, celebravere, multo minor multitudo maxime e longinquis regionibus convenit, attrita iam bellis Iudaea, et imminente Hierosolymitana obsidione. Verumtamen quum in ea obsidione perierint undecies centena millia, 1,100,000 hominum, certissimum est non fuisse sexcenta millia obsessorum, sed potius duodecies centena millia, 1,200,000, aut etiam amplius. Tantam autem tum incolarum, tum advenarum multitudinem in urbe Hierosolymis, quorum ambitus fuit tantum XXXIII stadiorum, nemo mirabitur, quum attenderit huic urbi fuisse pulcherrima suburbana, τὰ περικαλλῆ προάστεια τῆς πόλεως, quae memorat Iosephus, Bell. Iud. VI, 1, n. 1. Insuper cogitandum, in Oriente unum cubiculum non uni tantum homini, sed toti familiae suffecisse. Unde tam frequens pestis, ut recte observat eruditus *Shaw* (*Voyages dans la Barbarie et le Levant*, vol. I, p. 354). Ideo quoque in obsidione Hierosolymitana, eversis suburbanis, et omnibus in urbe confertim agglomeratis, ex loci angustia atrox pestis grassata est; ut habet Iosephus, Bell. Iud. VI, 9, n. 3: Ὥς τε τὸ μὲν πρῶτον αὐτοῖς τὴν στενοχωρίαν γενέσθαι λοιμώδη φθοράν.

Nunc vero quum obsessorum numerum satis expenderimus, toto bello interfectus summatim recensebimus, ut iudaicae cladis atrocitas cognoscatur, et quanto sanguine occisi Christi sanguis, ulciscente Deo, sit expiatus, innotescat.

CAEDES IVDAEORVM AB A. V. C. 819,

I. C. 66, AD A. V. C. 823, I. C. 70.

Inter ipsa belli initia Hierosolymis (Ioseph. Bell. Iud. II, 14) caesi sunt Iudaei ad tria millia et sexcentos, περὶ τρισχιλίους καὶ ἑξακοσίους.... 3,600.

Hierosolymis aliae duae caedes: Ioseph. Bell. Iud. II, 15, n. 5, et II, 17, n. 5.

Caesareae (Ioseph. Bell. Iud. II, 18, n. 1) caeduntur supra viginti millia, ὑπὲρ δισμυρίους.. 20,000.

Per totam ferme Syriam magna Iudaeorum strages: Ioseph. Bell. Iud. II, 18, n. 2 et 5.

Scytbopoli (Ioseph. Bell. Iud. II, 18, n. 3) caesa tredecim millia, ὑπὲρ μυρίους καὶ τρισχιλίους.. 13,000.

Ascalone (Ioseph. ibid. n. 5) duo millia et quingenti, πεντακοσίους ἐπὶ δισχιλίους.. 2,500.

Ptolemaide (Ioseph. ibid.) duo millia, δισχιλίους............. 2,000.

Alexandriae (Ioseph. ibid. n. 8) quinquaginta millia, πέντε μυριάδας .... 50,000.

Cestius Zabulonem, urbem Galilaeae, et circumiectos vicos diripit incendit: Ioseph. ibid. n. 9.

Ioppe (Ioseph. ibid. n. 10) caesi ad octo millia et quadringentos, τετρακόσιοι πρὸς ὀκτακισχιλίους.. 8,400.

In Narbatene toparchia, Caesareae vicina, caedes plurimae, et vici incendio consumpti: Ioseph. ibid.

In monte Asamone, prope urbem Sepphorin (Ioseph. ibid. n. 11) caesi super duo millia, ὑπὲρ δισχιλίους........................ 2,000.

Lydda urbe (Ioseph. Bell. Iud. II, 19, n. 1), ferme vacua, quod omnis fere multitudo Hierosolyma ob festum Tabernaculorum ascenderat, incensa, caesi quinquaginta, πεντήκοντα........................... 50.

Damasci (Ioseph. Bell. Iud. II, 20, n. 2) caesi ad decem millia, μυρίους. .... 10,000.

Ascalone (Ioseph. Bell. Iud. III, 2, n. 2) decem millia, μύριοι. 10,000.

Ascalone iterum (Ioseph. ibid. n. 3) octo millia et amplius, ὑπὲρ ὀκτακισχιλίους.. 8,000.

Gadara capta, puberes omnes Vespasianus interficit, urbem, viciorque oppida, vicosque incendit: Ioseph. Bell. Iud. III, 7, n. 1.

Iaphae, in vico Galilaeae maximo (Ioseph. ibid. n. 31), caesa quindecim millia, μύριοι πρὸς τοῖς πεντακισχιλίοις..................... 15,000.

In monte Garizim (Ioseph. ibid. n. 32) undecim millia et sexcenti, χιλίους ἑξακοσίους ἐπὶ μυρίοις........................ 11,600.

Iotapatae (Ioseph. ibid. n. 36) quadraginta millia, τετρακισμύριοι.. 40,000.

Eversa urbs Ioppe, quum prius submersa fuissent (Ioseph. Bell. Iud. III, 9, n. 3) Iudaeorum quatuor millia et ducenti, τετρακισχίλιοι πρὸς τοῖς διακοσίοις .... 4,200.

Tarichaeis, et in pugna navali lacuque Genesar (Ioseph. Bell. Iud. III, 10, n. 9), periere sex millia et quingenti, ἑξακισχίλιοι πεντακόσιοι. 6,500.

Tarichaeis (Ioseph. ibid. n. 10) iterum caesi mille ducenti, διακοσίους ἐπὶ χιλίοις .... 1,200.

Gamalae (Ioseph. Bell. Iud. IV, 1, n. 10) perempti quater mille, τετρακισχίλιοι .... 4,000.

Ibidem (Ioseph. ibid.) sponte praecipites, enecti quinquies mille et amplius, ὑπὲρ πεντακισχιλίους .... 5,000.

Gischalae (Ioseph. Bell. Iud. IV, 2, n. 5) fugitivorum caesa sex millia, εἰς ἑξακισχιλίους .... 6,000.

Hierosolymis (Ioseph. Bell. Iud. IV, 5, n. 1) ab Idumaeis caeduntur octo millia et quingenti, ὀκτακισχιλίους καὶ πεντακοσίους .... 8,500.

Ibidem (Ioseph. ibid. n. 3) caesa nobilium duodecim millia, μύριοι καὶ δισχίλιοι τῶν εὐγενῶν .... 12,000.

Ibidem caedes plurimae a Zelotis editae: Ioseph. Bell. Iud. IV, 6, 7 et 3.

In castello Masada, Hierosolymis vicino (Ioseph. Bell. Iud. IV, 7, n. 2), a sicariis caesi Iudaei septingenti et amplius, ὑπὲρ ἑπτακοσίους..... 700.

Ab iisdem sicariis per totam Iudaeam caedes editae: Ioseph. ibid.

Gadarensium (Ioseph. ibid. n. 4) a Romanis caesa quindecim millia, μύριοι πεντακισχίλιοι .... 15,000.

Infiniti alii, πλῆθος ἄπειρον, in Iordanem praecipites desiliere. Vastitas et internecio a Gadaris usque ad lacum Asphaltitin; plurimi quoque in ipso luco caesi: Ioseph. ibid.

In vicis Idumaeae, Betari et Cephartoba (Ioseph. Bell. Iud. IV, 8, n. 1) caesa decem millia et amplius, ὑπὲρ μυρίους 10,000

Alii vici plurimi eversi et incensi: Ioseph. ibid.

Gerasis (Ioseph. Bell. Iud. IV, 9, n. 1) caesi iuvenes mille, χιλίους τῶν νέων 1,000

Ibidem loca plurima flammis et caedibus foedata: Ioseph. ibid.

Proelia multa, quibus se ipsi et Idumaeos conficiunt Iudaei: Ioseph. ibid. n. 5 et 7.

Toparchias Gophniticam et Arabatenam, indeque Hierosolyma usque loca omnia occidione depopulatur Vespasianus: Ioseph. ibid. n. 9.

Pariter Cerealis Idumaeam superiorem vastat, et Chebronem urbem, haud procul Hierosolymis, incendio et incolarum internecione delet: Ioseph. ibid.

Hierosolymis Iudaei, factionibus odiisque efferati, in se ipsi saeviunt. Proelia, caedes plurimae: templum quoque cruore respersum: Ioseph. Bell. Iud. IV, 9, n. 10, et V, 1 et 3.

Hierosolymorum obsidio: fames, pestis, tanta demum necessitas, ut in hac unica obsidione (Ioseph. Bell. Iud. VI, 9, n. 3) perierint Iudaeorum undecies centena millia, τῶν δὲ ἀπολουμένων κατὰ πᾶσαν τὴν πολιορκίαν μυριάδες ἑκατὸν καὶ δέκα 1,100,000

Captis excisisque Hierosolymis, duo adhuc manebant Iudaeis praesidia, Machaerus et Masada: Machaerunte (Ioseph. Bell. Iud. VII, 6, n. 4) caesi Iudaei mille et septingenti, ἐπὶ τοῖς χιλίοις ἑπτακόσιοι............. 1,700.

In saltu Iardes (Ioseph. ibid. n. 5) Hierosolymis et Machaerunte fugitivorum caesa tria millia, τρισχιλίων............................ 3,000

Masadae (Ioseph. VII, 9, n. 1) Iudaei omnes, ne in manus Romanorum venirent, se ipsi perimunt nongenti numero et sexaginta, ἑξήκοντα πρὸς τοῖς ἐνακοσίοις.. 960.

Cyrenen usque (Ioseph. Bell. Iud. VII, 11, n. 2) iudaici belli furor pervasit; ibique caesa Iudaeorum tria millia, τρισχιλίους......... 3,000.

Nunc vero si summas, a Iosepho singulatim expressas, collegerimus, interfectorum erit numerus............................... 1,378,910.

Si, quae Iosephus generatim dixit, aestimaverimus, sane haud pauciores Iudaei toto bello periere, quam vicies centena millia.. 2,000,000.

Denique reputemus (quod iam monuimus in Appendice ad Historiarum librum V, 42 et 43) captivorum nonaginta septem millia, venditum terram, Iudaeos, ubicunque in romano imperio degerent, Iovi Capitolino tributum solvere iussos, ac tandem, quales praedixerat Osee, III, 4; οὐκ ὄντος βασιλέως, οὐδὲ ὄντος ἄρχοντος, οὐδὲ οὔσης θυσίας, οὐδὲ ὄντος θυσιαστηρίου, οὐδὲ ἱερατείας, οὐδὲ δήλων· *sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim.* Eventa illa, quibus nulla unquam exstitere illustriora et testatiora, immo quorum nosmetipsi testes sumus, cum vaticiniis Danielis, IX, 26 et 27, ipsiusque Moysis, qui in Deuteronom. XXVIII, 46 et seq., iudaicam hanc calamitatem non tam praedixit, quam descripsit, conferamus; atque nihil esse religione divinius fateamur.

BROTIER.

FINIS EXCVRSVVM AD HISTORIAS.

EXCVRSVS ET NOTAE

BROTERII, HEINECCII,

ET VARIORVM,

AD OPERA C. CORNELII TACITI.

LIBER DE MORIBVS GERMANORVM.

N.° 1. Librvm C. Cornelii Taciti de situ, moribus et populis Germaniae, meditandum potius, quam legendom, paullo fusius sum expositurus, quod in eo iuris nostri politici fontes lateant. Vere enim dixit cl. *de Montesquieu, Esprit des Lois*, XXX, 19: *Il est impossible d'entrer un peu avant dans notre droit politique, si l'on ne connait parfaitement les lois et les moeurs des peuples Germains.* Brevis quidem est libellus, sed alto Taciti ingenio et immensa rerum copia plenus; quem paucis, sed egregie, laudavit idem cl. *de Montesquieu*, loc. cit. c. 2: *Tacite fait un ouvrage exprès sur les moeurs des Germains: il est court, cet ouvrage; mais c'est l'ouvrage de Tacite qui abrégeait tout, parcequ'il voyait tout.*

Brotier.

N.° 2. Cap. II. *Mox a seipsis invento nomine....*

Vexatissimus sane locus, quem sic enucleare tentem, omissa omni con- iectura verborumque mutatione. Nomen primum unius *nationis*, scilicet qui *nunc Tungri* vocantur, non *gentis*, i. e. non commune omnium po- pulorum qui civitatibus divisi, genere coniuncti, inter Rhenum et Scy- thicam regionem siti erant, deinde in omnes illos populos diffusum est hocce modo: primum *victores*, puta natio Tungrorum, illod nomen *ob metum* hostibus iniiciendum *invenerant*; mox *omnes*, sc. gens Germanica, ideo et ipsi invenerunt, ut priores, et a se ipsis inventum adsumpserunt vocabulum, quod videbatur decorum. Itaque omnes *Germani* vocati sunt, et nomen in gentem evaluit.

Haec est, ut opinor, Taciti sententia: quam tamen paullo errare a vero crediderim; siquidem *Germaniae* vocabulum censet appellativum gentis, quod conditionis civilis apud illam gentem insigne fuisse testantur barba- rarum instituta gentium, quae romanum imperium quinto seculo occu- paverunt.

Nemo nescit vocem *Germanus*, ductam a *ger* vel *here* exercitus, et *man* homo per aspirationem, pronuntiari *Hermannus* solitum veteribus septentrionis populis. *Hermannus*, *Herimannus*, *Heremannus*, *Arimannus* (quae vocabula idem significant, in medii aevi glossemata), est vir liber, vir bellicosus, qui bannum publicum vel militiam aliasque publicas functiones implere potest. Apud barbaros vir bellicosus et civis unus et idem erat. At qui rem familiarem non habebant, qua sumptus militiae tolerarent, in inferiorem ordinem redacti seu *lidorum*, dimidio minoris quam illi viri vel *barones* aestimabantur. Nempe apud eam gentem dignitatem ordinum pretio capitis (*weregeldo*) taxatam fuisse et distinctam, quis ignorat ?

(Vid. Cang. Gloss. Inf. Latinit. voc. *Heremannus*; Heinecc. Antiquit. Germ. I, c. 1, parag. 9; Lex Salic. tit. XLIV; Marculf. form. I, 18.)

Vocem Ἀριμάνιος etiam apud Graecos medii aevi significasse virum bellicosum me admonuit illust. *I. Fr. Boissonade*, ut videre est in partit. grammat. Herodian. p. 185, quas edidit *Lond.* 1819, in-8.°

I. N.

N.° 3. Cap. V. *Possessione et usu haud perinde afficiuntur.*

Gronovius haec verba, subaudito comparationis ad libitum affictae argumento, interpretatur: quam longe liberiorem commentationem neque recipiendam existimo: et requiro in hoc loco Broterii, Ernesti, ceterorumque quos perlegi, industriam. Itaque non evagatus extra ipsius Taciti verba, comparationem institutam inter duas res hic nuncupatas expedire tentabo. Dixit res Germanis placere non aeque ob possessionem quam ob utilitatem, sc licet *argentum magis quam aurum sequi eos, quia numerus argenteorum facilior usui esset*; et vasa argentea apud illos non magis curae atque pretio quam quae humo finguntur; quippe quos possidere inutilia non perinde juvaret quam uti vilibus; ideoque afficiuntur, moventur, in aestimandis rebus, haud perinde voluptate possidendi quam utendi fructu.

I. N.

N.° 4. Cap. VI. *Mixti proeliantur....* centeni *ex singulis pagis sunt.*

Huc elegantem Caesaris locum, in quo mos ille bellandi egregie describitur, affert *Brotier*. At eo Caesar a Tacito differre videtur, quod prior *totidem numero pedites quot equites fuisse, singulos a singulis lectos* narrat, posterior autem *definitos numero*, scilicet, *centenos ex singulis pagis fuisse pedites*, non pares numero cum equitibus ostendit.

Neque adeo felicem crediderim Broterii alteram interpretationem, quum has voces *centeni ex singulis pagis* explicat, quasi ita nominati essent, quod ex pagis in centenas divisis essent electi, *die hunderte*, auctore Dithmaro. At satis per se patet sensus Taciti, eos ita nominatos, quod centum essent ex singulis pagis, non quod ex centenis.

Hunc quidem fuisse Taciti sensum procul dubio est: Tacitum vero non

errasse, quom numero fuisse illos nominatos, non regionis nomine unde eligerentur, asserat, nolim affirmare. Cave ne hos centenos pugnantes cum centenis iudicum comitibus, infra c. 12, confundas, quos *Rachinburgos* lex Salica nominat. Postea et *centenarii* fuere, singuli cuiusque centenae iudices.

I. N.

N.° 5. Cap. idem. *Rari gladiis, aut maioribus lanceis utuntur.*

DE MILITIA GERMANORVM.

Quamvis autem in tot civitates ac respublicas secreti viverent Germani, variaque inter eos esset, ut inter gentes bellicosas, concordia; idem tamen propemodum tot civitatibus ac rebuspublicis finis erat propositus. Potentiam enim bellicam intendebant, si a paucis discesseris, omnes, eoque omnes eorum mores omniaque instituta erant comparata. Recte iam Iul. Caesar, de Bell. Gall. VI, 21, de maioribus nostris prodidit: *Vita omnis in venationibus atque in studiis rei militaris consistit.* Et paucis interiectis, ibid. cap. 23: *Hoc proprium virtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere, neque quemquam audere prope se consistere.* Sed et Pomponius Mela, de Situ urbis, III, 3: *Ius in viribus habent, adeo ut ne latrocinii quidem pudeat, tantum hospitibus boni, mitesque supplicibus.* Quum vero aliae gentes bella ideo suscipiant, ut fines imperii longe lateque proferant, Germani vastorum imperiorum non admodum cupidi, regiones quas devicerant, vel, relicta patria, insidebant ipsi (unde tot gentium germanicarum migrationes 1), vel eas longe lateque vastabant 2. *Caussae* ergo *bellorum*, teste eodem Pomponio Mela, III, 3, *ex libidine arcessebant, neque imperitandi prolatandique fines (quod enixe non volebant), sed ut circa ipsa quae iacent, vasta essent.* Paucissimae ergo gentes faciebant provincias victisque imperabant, veluti Eburones Condrusiis, Nervii Centronibus, Grudiis, Levacis, Pleumosiis, Gerduris, ceu refert Caesar de Bell. Gall. IV, 6, et V, 39.

Omnia ergo ad militarem gloriam referebant Germani, nihilque, ut iam ab Hermanno Conringio, de Republ. Germ. parag. 10 seq., demonstratum est, apud eos vel lege, vel consuetudine fuerat receptum, quod non ad virtutem militarem potentiamque bellicam pertineret. A pueris Germani adsuefacti sunt cibo simplicissimo, agrestibus pomis, recenti ferae et lacti concreto 3, qualem victum permultum contulisse ad robur et magnitudinem corporum Germanicorum, singulari eoque pereruditio opusculo demonstravit Herm. Cooring. (Dissert. de habitu corp. veterum Germ.) Deinde inprimis dabant operam, ut frigora atque inediam, frequentissimas militiae comites, quam facillime perferrent 4. Iuvenes non literis,

1 Tacit. Hist. lib. IV, c. 73.

2 Caes. de Bell. Gall. lib. VI, c. 23.

3 Caes. de Bell. Gall. lib. IV, c. 1; Tacit. de Morib. Germ. a. 23.

4 Tacit. ibid. c. 7. Seneca, de Ira, lib. I, a. 11.

musica, artibus sellulariis, sed armis, venationibus, latrociniis, quae extra fines civitatis ne turpia quidem habebant [1], aliisque belli praeludiis; delectabantur. Genus spectaculorum iis unum, atque in omni coetu idem; idque non ad pompam et lasciviam, quales ludos vix spectare sustinebant [2], sed ad fortitudinem, usumque armorum comparatum. *Nudi enim iuvenes, quibus id ludicrum erat, inter gladios se infestasque frameas saltu iaciebant* [3]. Quod porro sera iis Venus, adeoque inexhausta pubertas esset [4]; quod non urbes atque aedes splendidiores, sed tuguria et casas incolerent [5]; quod nandi [6], cursusque velocissimi [7] summam sibi adquirerent peritiam: illud omne eo pertinebat, ut ad quaevis munera militaria dextre obeunda eo essent expeditiores.

Ita domi Germani administrabant rempublicam: dispiciendum nunc porro, quo pacto bella gesserint. Militia illis non conductitia erat (quamvis ipsi Germani facile ab aliis gentibus stipendia mererentur), sed lecta; et maximam quidem partem pedestris. *In universum enim aestimanti*, inquit Tacitus, de Mor. Germ. 6, *plus penes peditem roboris.* Alio loco, 30, de Cattis idem auctor ait: *Omne robur in pedite, quem super arma ferramentis quoque et copiis onerant.* Ipsa sane ratio eis pedestrem suadebat militiam: quum enim universa Germania paludibus, montibus, silvisque horreret, non multum profecto profecisset equitatus, quantumlibet copiosus. Neque tamen plane deerant equestres copiae, quibus Tencteri potissimum valebant [8]. Iumentis non utebantur importatis, sed quae apud eos erant nata, parvis ac deformibus, quae tamen quotidiana exercitatione, summi ut essent laboris efficiebant [9]. Medio tamen aevo thuringicis cimbricisque equis magnum statutum esse pretium, alio loco docebimus. Ephippiis insidere, turpe videbatur [10]: sed tanto magis delectabantur fraenis ac phaleris, quae etiam inter finitimarum gentium dona maximi faciebant [11]. Illud notatu dignissimum, quod et dimachorum quoddam genus (novum plerisque visum [12]) iam Caesaris aevo in exercitu habuerint Germani. Diserte enim Caesar, de Bell. Gall. IV, 2: *Equestribus*, inquit, *proeliis, saepe ex equis desiliunt, ac pedibus proeliantur, equosque eodem manere vestigio adsuefaciunt, ad quos se celeriter, quum usus poscit, recipiunt.* Solebant etiam equites selectiores, mixti peditatui proeliari, ea utrimque arte ac sagacitate, ut ipsis Romanis vel eo potissimum nomine essent admirationi. Qua de re denuo Caesar, ibid. I, 48: *Equitum millia erant sex, totidem numero pedites velocissimi ac fortissimi, quos*

1 Caesar l. c.; Pompon. Mela, ibid.; Tacit. Annal. lib. XII, c. 27.
2 Tacit. Annal. lib. XIII, c. 54.
3 Idem, de Morib. Germ. c. 24.
4 Idem, ibid. c. 20.
5 Idem, ibid. c. 16; Strabo, lib. VII, p. 291.
6 Tacit. Hist. lib. IV, c. 14; Herodian. lib. VII, c. 2; Pompon. Mela, lib. III, c. 3.
7 Caesar. de Bell. Gall. lib. I, c. 48.
8 Idem, ibid.
9 Idem, ibid. lib. IV, c. 2.
10 Idem, ibid.
11 Tacit. de Morib. Germ. c. 15.
12 Hert. Elem. prud. civil. part. I, s. 9, parag. 12.

ex omni copia singuli singulos, suae salutis caussa delegerant. Cum his in proeliis versabantur, ad has se equites recipiebant. Hi, si quid erat durius, concurrebant; si qui, graviore vulnere accepto, equo deciderant, circumsistebant; si qua erat longius prodeundum, aut celerius recipiendum, tanta erat horum exercitatione celeritas, ut iubis equorum sublevati, cursum adaequarent. Eiusdem moris hunc in modum meminit Tacitus, de Mor. Germ. c. 6: *Eoque mixti proeliantur, apta et congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni iuventute delectos ante aciem locant. Definitur et numerus, centeni ex singulis pagis sunt, idque ipsum inter suos vocantur; et quod primum numerus fuit, iam nomen et honor est.* Videntur ergo hi pedites, quos centenos vocabant, apud Germanos eodem loco fuisse, quo apud Romanos triarii, apud Macedones phalanx. Proeliis etiam intererant principes, qui non nisi magna clientum turba stipati adversus hostem proficiscebantur [1].

Ceterum quod ad ipsam bellum gerendi rationem attinet, armis non adeo exquisitis utebantur Germani: paucis gladii erant, aut maiores lanceae [2]. Quamvis enim Cimbris *μεγάλας καὶ βαρείας μαχαίρας, praelongos et graves gladios* [3]; reliquis etiam Germanis *ingentes, enormes, praelongas hastas* tribuant veteres [4]: rem tamen ita explicat Tacitus, Annal. XIV, 2, ut *primam aciem hastatam, ceteris praeusta aut brevia tela fuisse* dicat. Plerique ergo breviores hastas, vel, ipsorum vocabulo, *frameas* (*pfriemen*), ferebant, angusto et brevi ferro praemunitas, sed ita acri, et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscebat, vel cominus vel eminus pugnarent. Et equites quidem scuto frameaque erant contenti: pedites et missilia spargebant, pluraque singuli atque in immensum vibrabant [5]. De vestibus et sagis parum erant solliciti, Dione, XXXVIII, p. 89, enim et Tacit. Ann. II, 14, testibus, vel maiore sui parte nudi incedebant, vel pelle ferina tegebant artus: paucis loricae; vix uni alterive cassis et galea [6], quae belluarum saevissimarum rictus, et insitatas figuras et alatas cristas praeferebat, ut tanto eminentiores viderentur [7]. Scutis tegebantur maximis, et ad staturam hominum porrectis, coloribusque lectissimis [8], vel etiam bestiarum imaginibus distinctis [9], nisi quod Gothorum, Rugiorum et Lemoviorum insignia essent *rotunda scuta, brevesque gladii* [10]. Ubi ad manus ventum, aciem componebant per cuneos [11], ita quidem, ut singulas, quae simul militarent, gentes propriis cuneis [12], singulas vero familias ac propinquitates propriis turmis componerent; id quod non abs re praeci-

1 Tacit. de Mor. Germ. c. 14.
2 Idem, ibid. cap. 6.
3 Plutarch. in Mario, p. 425.
4 Tacit. Annal. lib. I, c. 64; lib. II, c. 14 et 21; Hist. lib. V, c. 18.
6 Tacit. de Morib. Germ. c. 6.
6 Dio Cass. lib. XXXVIII, p. 91.
7 Plutarch. in Mario, p. 420.
8 Tacit. de Morib. Germ. c. 6.
9 Diodor. Sic Biblioth. p. 307.
10 Tacit. de Morib. Germ. c. 43.
11 Idem, ibid. c. 6.
12 Idem, Hist. lib. IV, c. 16.

pnum virtutis incitamentum fuisse, ait Tacitus, de Morib. Germ. 7. Ante proelium duces adloquebantur exercitum 1. Hinc ubi sonu armorum et tripudiis adplausissent, cornuaque sonuissent 2, cantu truci et incondito clamore in hostem ferebantur 3. Augebat tumultum mulierum ululatus. Nam et hae partim auspiciorum caussa 4, partim ad inflammandos suorum animos, partim ob vulneratorum curationem castra sequebantur 5. Antequam cum Romanis committerentur, vagis incursibus et disiecti per catervas, saxis, glandibus et ceteris missilibus proelia inchoabant. Postea longa adversus eos militia insueverant signa sequi, subsidiis firmari, dicta imperatorum accipere, qui manu, voce, vulnere pugnam sustentabant 6. Scythicae memores originis, etiam fuga quaerebant victoriam. Qua de re Tacitus, de Morib. Germ. c. 6: *Cedere loco, dummodo rursus instes, consilii potius, quam formidinis arbitrantur.* Saepe fugam simulantes, in planitiem saltibus cinctam hostes trahebant, dein coorti et effusi trudebant adversus, instabant cedentibus, collectosque in orbem pars congressi, quidem eminus proturbabant 7. Reliqua quae ad veterum Germanorum militiam pertinent, iam a Cluvero, Germ. Antiq. I, 44 et seq.; Conringio, de Vet. Rep. Germ. parag. 25 et seq.; Strauchio, Diss. III, de Arm. Roman. aliisque sunt occupata, ut adeo actum agere nihil attineat.

Et haec quidem est veteris illius ac liberae Germaniae facies, quam nec Romanorum potentia, nec conglobata vis hostium evertere potuisset unquam, si manus animosque maturius iunxisset. Enim vero erat hoc e libertate vitium, quod tot gentes non consultarent in unum, nec foedere quodam συμμαχικῷ sese adversus communes hostes munirent. Potius aeterna fere erant inter finitimos bella. Sic Tacitus, Annal. XII, 28, *Cattos cum Cheruscis perpetue fere* ait *discordare*; et Caesar, de Bell. Gall. VI, 23: eos *id proprium virtutis existimasse* tradit, *expulsos agris finitimos cedere, neque quemquam prope se audere consistere*, (Vid. eund. IV, 3, et Pomp. Mel. III, 3). Et hae quidem Germanorum simultates tam erant perpetuae, ut eas Romanis suis inprimis gratularetur Tacitus, de Mor. Germ. 33, et Annal. XII, existimans id, quod res erat, non posse non perire Germanos, quos aeterna discordia in certissimam ipsorummet perniciem armaret. Et sane quamvis vix quidquam, quod ad bene beateque vivendum pertinebat, in tanta frugalitate deesset Germanis, natioque ipsa esset populosa, fortis ac valida, regio amplissima et ferax, libertas summa, iudicia severa, leges aequissimae: eorum tamen omnium fructum interceperunt civiles discordiae, quibus demum fiebat, ut Germani initio multis cladibus a Romanis attriti, postea a Francis tristissima servitute sensim opprimerentur.

HEINECCIVS, Antiq. German. Iurispr. I, c. 1, parag. 14, 15, 26, 27, 28.

1 Idem, ibid. lib. V, c. 17.

2 Diod. Sic. lib. V, p. 307.

3 Dio Cass. lib. XXXVIII, p. 89; Tacit. Hist. lib. II, n. 22, et lib. IV, c. 18.

4 Caes. de Bell. Gall. lib. I, c. 50; Plutarch. in Mario, p. 416; Strabo, lib. VII, p. 291; Tacit. de Mor. Germ. c. 8.

5 Tacit. de Mor. Germ. c. 7 et 8.

6 Idem, Annal. lib. II, c. 17 et 45.

7 Idem, ibid. c. 11.

N.° 6. Cap. VI. *Scutum reliquisse.*

Iam Taciti aevo Germani, gens bello adsueta, nihil sanctius armis, ac inprimis scuto, habuerunt. Ait enim historicus laudatissimus [1]: *Scutum reliquisse, praecipuum flagitium. Nec aut sacris adesse, aut concilia inire ignominioso fas: multique superstites bellorum infamiam laqueo finierunt.* Eamdem religionem et Francos quodammodo retinuisse, ex lege Salica, tit. XXXII, parag. 6, patet, in qua ita sancitum est: *Si quis alteri imputaverit, quod scutum suum proiecisset in hoste, vel fugiendo prae timore, CXX den., qui faciunt sol. III, culpabilis iudicetur.* Quin et exstincto Francorum imperio bellica haec disciplina tamdiu mansit integra, quamdiu penes solos nobiles fuit ius armorum, et telis gladiisque in bello res acta est. Scuto enim in hostium potestate relicto, nobilitas quoque perdita videbatur, si vera est Spangenb., Spec. Nobilit. p. 301, observatio. Certissimam vero esse, vel exemplo Guilielmi, comitis Ostrevaudiae, patet, qui, quod scutum apud Frisios amisisset, teste Guil. Heda, Hist. Ultrai. ad ann. 1395, et Ioan. a Leyd. Chron. XXXI, 60, indignus ideo habitus est, qui regis Francorum mensae adsideret, adeoque a feciali, lacerato mantili, contumeliose tractatus. Hinc ex sigillis comitum Flandriae, ab Oliv. Uredio, Sigill. comit. Flandr. p. 51, delineatis, discimus, armatos scuta gladiosque catenis ferreis iunxisse thoraci, ne adeo facile avelli aut abscindi possent: ceu iam pridem frater mei amantissimus in luculento de sigillis veterum syntagmate observavit [2].

Quum ergo tanti scuta aestimarent veteres Germani, operam etiam dederunt, ut illa essent quam ornatissima. Sane iam Taciti (de Morib. Germ. 6) aevo ea coeperunt *lectissimis coloribus distinguere.* Quos colores ego non alios esse existimo, quam quos deinde in arte heraldica semper retinuere Germani, *album* puta, *nigrum*, *caeruleum*, *purpureum*, ac postremo *viridem*, quibus et aurum addiderunt posteri, ex quo illud noscere coeperunt [3]. Nec variegata tantum, coloribusque lectissimis illita fuerunt veterum scuta, verum etiam animalium aliisve imaginibus insignita. Id quod non abs re colligere mihi videor ex testimonio Diodori Siculi, V, p. 307, qui Gallis id usitatum fuisse ait: Ὅπλοις δέ, inquit, χρῶνται θυρεοῖς μὲν ἀνδρομήκεσι πεποικιλμένοις ἰδιοτρόπως· τινὲς δὲ καὶ ζώων χαλκῶν ἐξοχὰς ἔχουσιν, οὐ μόνον πρὸς κόσμον, ἀλλὰ καὶ πρὸς ἀσφάλειαν εὖ δεδημιουργημένας· *Arma illis sunt scuta, ad staturam hominis porrecta, et insigni proprio variegata. Quidam aeneas bestiarum imagines, tam ad defensionem, quam ornatum affabre factas praeferunt.* Quo loco quidem de Gallis loquitur Diodorus: sed hos ac Germanos iisdem prope moribus usos esse, nemo ignorat.

Praeter scuta et galeas maximi faciebant Germani, quas ipsas quoque non solum cristis, verum etiam alis, cornubus, aliisque figuris compluribus condecorabant, ut tanto augustiore forma conspicui adversus hostem prodirent. Testis eius ritus denuo est Diodorus Siculus, V, p. 307, qui

1 Tacit. de Mor. Germ. c. 6.

2 Heinecc. de Sigill. lib. I, c. 10, parag. 30, p. 130.

3 Schubarth. de Comit. Palatin. Caesar. p. 304. sq.

Gallos, Germanorum consanguineos, galeis aeneis imposuisse ait μεγάλας ἐξοχάς, magnas adpendices, quae spectantibus prolixam dederint ostentationem. Aliis enim cornua fuisse adfixa, alias avium vel quadrupedum formas habuisse expressas. Et ne solos Gallus genio hac in re indulsisse existimemus, idem de Cimbris memoriae prodidit Plutarchus, in Mario, p. 420, dum ait: Οἱ δὲ ἱππεῖς, μύριοι καὶ πεντακισχίλιοι τὸ πλῆθος ὄντες, ἐξήλασαν λαμπροί, κράνη μὲν εἰκασμένα θηρίων φοβερῶν χάσμασι καὶ προτομαῖς ἰδιομόρφοις ἔχοντες, ἃ ἐπαιρόμενοι λόφοις πτερωτοῖς εἰς ὕψος ἐφαίνοντο μείζους· *Equitum XV millia numero effuderunt se splendide, galeas gerebant, quae repraesentabant saevarum belluarum rictus, et inusitatas figuras, quas alatis fastigiantes cristis, adparebant eminentiores.* Iam vero Cimbros germanicae fuisse originis, nemo ignorat. Utrum vero suo quisque arbitrio sibi tesseram huiusmodi sumpserit, an gentium familiarumque ea in re habuerint rationem, ex Tacito aliisque vetustis auctoribus vix colligas. Neque tamen infitior, me in posteriorem sententiam paullo esse procliviorem. Quum enim ex alio Taciti, de Morib. Germ. 7, loco observarim, *praecipuum iis fuisse fortitudinis incitamentum, quod non casus nec fortuita conglobatio, turmam aut cuneum facerent, sed familiae et propinquitates:* opus sane fuisse videtur signo quodam vel tessera, qua se internoscerent in acie, et dispersi ad cuneum suum vel turmam quisque sese commode reciperent. Id quod ex scuti galeaeque insignibus facillime addisci potuisse existimaverim. Verumtamen quum hic veterum auctoritate destituar, ipse huic quidem divinationi huic meae plus iusto tribuere nolim.

Saxones, Alamannos, Boioarios, et si quae aliae gentes medio aevo Germaniam insederant, eundem maiorum suorum morem retinuisse, compluribus argumentis evinci poterit. Alamannis scutorum insignia tribuit Ammianus Marcellinus, Hist. XVI, 12. Quod ad Saxones attinet, ut iam non dicam de Witichindi insignibus, quae tanquam fictitia dudum proscripsit eruditorum omnium suffragium: Henrici Aucupis [1] et Ottonum [2] sigilla ostendunt scuta imperatorum, striis quibusdam distincta. Qualia etiam ad seculum usque undecimum in landgraviorum Thuringiae [3], Adelberti Ballenstedensis [4] et comitum Flandriae [5] sigillis aeque ac nummis conspiciuntur. Videntur ergo et toto hoc aevo scutis pictis usi Germani, sed paullo simplicioribus, ut coloribus potius, et eorum varietate, quam figuris atque imaginibus artificiosius expressis ea distinguerent. Unde nec falli videntur, qui antiquissimas quasque gentes et familias scutis quam simplicissimis uti, animadvertunt.

Ad seculum ergo undecimum usque armis eiusmodi variegatis magis ad terrorem hostium, quam familiarum discrimen, usi sunt Germani. Ast ab eo demum tempore invaluit gentilitiarum tesserarum usus, quibus hodiedum discernuntur illustriores familiae. Cuius rei initium factum videtur

1 Heinecc. de Sigill. lib. I, c. 9, parag. 30; Kettn. Dipl. Quedlinb. tab. Sigill. I, n. 1.
2. Heinecc. l. c. n. 32 sq.; Kettn. l. c.
3 Tenzel. Suppl. II, Hist. Goth. parag. 220, p. 481 sq.; Schlegel. Dissert. de Nummis Isenac.
4 Knaut. Diss. de Pagis Anhaltin. n. 22, p. 8.
5 Oliv. Ured. Sigill. com. Flandr. p. 2, 12 sq.

in bellis istis sacris, ad quae tum pontifices universam Europam concitabant; idque vel inde acute coniecit acutissimus Schefferus, quod uno eodemque propemodum tempore omnes gentes Christianae harum tesserarum usum adoptarint, quod sane argumento esse existimat, institutum istud non casui, sed consilio et veluti communibus tot gentium suffragiis debere originem [1]. Huius vero rei non magis idoneam reperias occasionem, quam expeditiones sacras. Quum enim iis temporibus numerosissimi confluerent exercitus, diversissimis e nationibus regnisque collecti, opus videbatur tesseris quibusdam, quibus principes diversi eorumque copiae dignoscerentur. Hinc alii his, alii aliis insignibus ornabant arma, quae deinde posteri religiose retinuerunt. Sane ex eo tempore frequentissima in sigillis notamus eiusmodi insignia. Iam anno 1072, leonem in scuto praefert Robertus Friso, Flandriae comes, apud Oliv. Uredium, Sigill. com. Flandr. pag. 6. Simile χάραγμα in Henrici Leonis sigillo occurrit, quod ex publicis tabulariis extulit frater [2]. Immo ab eo quidem tempore vix ullum occurrit sigillum principis vel comitis, quod non eiusmodi insignibus gentilitiis sit exornatum. Iisdem seculis et galeas variis cimmeriis veterum Germanorum ritu exornare coeperunt. Iam anno 1115, *Heydenricus quidam insigne suum abbae Corbeiensi dedisse dicitur, de argento, ex quo capite detracto commode biberit.* [3]. Sic et anno 1164, Philippus, comes Flandriae, galea utitur fastigiata, cui leo insculptus [4]. In sequentium comitum sigillis modo draco [5], modo cornua bubula, modo leo [6], modo ala [7], modo lilium [8] galeae vertici adhaeret, pro diversis, quas possidere coeperunt, provinciis. Talia cimmeria permulta etiam in principum comitumque Germaniae sigillis deprehendit frater [9]. Quin aden universam Germaniam hic mos persuasit, ut in bellis caesorum captorumque conditio ex galearum adpendicibus aestimaretur. Unde de Gualthero, comite Bononiensi, Guil. Brito, Philippid. IX, p. 291, et XI, pag. 330:

Cuius equum, cuius clypeum galeamque nitentem
Balaenaequa iubas seu cornua bina gerentem,
Dum iam victores post pugnam in castra redissent,
Vidit et agnovit rex atque exercitus omnis.

His porro galeis et cimmeriis alligare solebant vittas, vel involucra, quibus pluvio inprimis caelo ornatum istum tegerent: qualium vittarum expressissima vestigia in sigillis comitum Flandriae apud Oliv. Uredium, de Sigill. com. Flandr. p. 51, 53, 55 et seq.; p. 87 et seq.; Heinecc. de

1 Sperling. de Numism. bract. orig. p. 44.
2 Heinecc. de Sigill. part. I, c. 12, parag. 22, p. 126.
3 Chron. Corb. apud Paullin. ad ann. 1115.
4 Oliv. Ured. de Sigill. com. Flandr.
5 Idem, ibid. p. 51.
6 Idem, ibid. p. 55.
7 Heinecc. de Sigill. part. II, c. 4, parag. 6, p. 215.
8 Idem, ibid.
9 Idem, ibid.

Sigill. part. II, 4, parag. 8, pag. 216, adparent. Has quoque artis heraldicae magistri paullatim in sigilla traustulerunt, sed artificiose incisas: unde natae sunt *die helmdecken*. Ex his ergo composita arma deinde vestibus, vexillis, equis, aedibus, utensilibus inscripsere veteres: eaque deinde posteri magis magisque expoliverunt, et regulis quibusdam heraldicis superstruxerunt, de quibus iam agere praeter institutum fuisset futurum.

Atque exinde adparet, quae sint variorum iurium, quae circa insignia servantur, origines. Primo iis non utebantur, nisi principes et nobiles, et quidem cingulo militari potiti. Ita enim intelligendi videntur veteres, quando sibi negant sigilla esse, eo quod militiae honorem nondum sint consecuti. Sigillis sane etiam usae sunt feminae et iuventutis principes; sed nulla olim in iis insignium vestigia, qualia in militum et principum adultorum sigillis notantur. Quum enim hi equis insideant galeati, et cristati, sinistra scutum tesseris gentilitiis ornatum; dextra vel gladium evaginatum vel vexillum vibrantes: illi se sistunt vel equitantes vel stantes vel sedentes, togati, et schemate ad preces magis vel ad venationem, quam ad militiam composito [1]. Si etiam aliquando scuta gentilitia addita notamus, ea non sinistro brachio, sed sellis, quibus insident, affixa adparent. Verum haec consuetudo iam a seculo XIII vitium videtur fecisse, a quo tempore non modo omnes illustri gente nati, verum etiam ecclesiae, monasteria, et urbes tesseris eiusmodi ad nobilium imitationem uti coeperunt. Quin hodie vix plebeius est, quin vel hereditaria vel a se inventa iactet insignia. Unde et valde dubito, an hodie obtineat, quod vulgo docent, si quis plebeius vel burgensis nobilitatis affectaverit insignia, cuivis nobili fas esse, ea, quocumque loco picta fictave sint, deturbare, confringere, pedibusque conculcare [2]. Deinde et illud observandum, solis nobilibus tam superioris, quam inferioris ordinis, licuisse, arma gentilitia in funeribus ostentare, eaque non modo feretro alligare, sed et in ipsis templis cum vexillo suspendere. Nihil hodie est huiusmodi exemplis frequentius. Attamen et hunc ritum non heri demum aut nudius tertius inventum, sed antiquum esse, vel ex legibus Henrici I, regis Angl. Reg. Angl. 83, patet, et iam ab aliis [3] est observatum. Tertio et id addimus, inter fratres complures non omnes signo usos esse gentilitio, sed vel illius regionis, quam ex patria hereditate acceperant, tesseram suam fecisse, vel gentilitium scutum aliqua fascia, vel trabe, vel baltheo distinxisse. Notum est, comites Brenenses a Friderico, Conradi Magni marchionis Misniae filio, descendisse, adeoque eiusdem gentis fuisse cum marchionibus Misniae [4], et tamen non Misnico, sed Brenensi scuto semper sunt usi, quod ita describitur in monimentis Doberlucensibus [5]:

1 Oliv. Ured. de Sigill. com. Flandr. p. 48; Tenzel. Biblioth. curios. ann. 1704, repos. I. plut. IV, p. 326.

2 Beyer, Specim. Iurispr. Germ. lib. I, c. 10, parag. 10.

3 Cl. *Menard*, ad Hist. I. *Ioinvill.* p. 300; *Ch. Dufresne*, in Glossar. Lat. tom. I, p. 1011.

4 Schor ?. Dissert. de Vitric. eccles. parag. 8, p. m. 780.

5 Ludewig. Reliq. MSC tom. I, n. 22, p. 38, n. 35, p. 57; n. 69, p. 95; n. 10, p. 158.

Sigillum de cera viridi monstrat imaginem viri stantis armati, circumamicti quasi pallio super arma, habetque vir ille quasi clypeum cum tribus foliis inaequalibus in sinistra; in dextra tenet lanceam, cui infixum est vexillum pendens deorsum: et est talis circumscriptio: SIGILLVM OTTONIS ET THEODERICI COMITVM DE BRENE. Sic et Thuringiae laodgraviorum posteri erant comites Zigenhainenses, quos tamen Thuriogicum scutum nuuquam suum fecisse coostat. De scutis gentilitiis trabe vel baltheo distiuctis, iam alii disseruerunt. Interesse enim videbatur posterorum, ot avita in tessera originis suae servarent memoriam, nec tamen committendum sibi putabant, ut familia cum familia coofuuderetur. Unde insignia patria et avita quidem retinuerunt, sed ad distinctionem diversarum stirpium baltheo vel trabe notata, quod hodienum observari a Gallis novimus. Eius rei praeclarum exemplum exstat iu scuto Saxonico. Quum enim Saxoniae ducatus Henrico Leoni ademptus a Friderico I, imperatore, Bernardo Balleustadensi traderetur, eius posteri quidem Balleostadense scutum, quod hodienum in Anhaldinorum iosignibus adparet, retinuerunt, ei tamen discriminis caussa addiderunt balthenm, qui diversimode, ut sit, exornatus a pictoribus, demum rutae Saxonicae nomeo induit, ut singulari eaque pererudita dissertatione docuit Burch. Gotth. Struvius, Dissert. de Ruta Saxon. 3. Sed hoc quidem sensim exolevit in Germania, in qua et filii priocipum et nobilium natu minores et appanagiati integra iosignia retinent, iisque spem sustinent futurae successionis. Denique observamus, sicuti scuta gentilitia nobilitatis insigne sunt, ita confracta publice abolitae nobilitatis esse argumentum. Hinc et nnvissima tempora non ignorant exempla tristissima, quod eorum arma et scuta a carnifice publice fracta sunt, qui a virtute avita ita desciverunt, ut perduellione vel aliis adversus rempublicam commissis flagitiis famam pollluerent [1]. Verum et hunc ritum tristissimum satis antiquum esse, probant exempla [2], et notissima loquutio, arma reversata, de qua ex instituto a I. Seldeno, de Tit. honor. p. 789, et *Ch. Dufresne*, Glossar. Lat. tom. I, p. 328, actum est.

HEINECCIVS, ibid. II, 4, parag. 2—7.

N.° 7. CAP. VII. *Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt.*

DE FORMA REIPVBLICAE GERMANICAE.

Sic unus plerisque reip. finis; sed non una omnibus reipublicae forma placuit. Plerisque populare erat imperium, tam tenacibus quippe libertatis, ut Lucanus, Pharsal. VII, libertatem

Germanum Scythicumque bonum......

vocare non dubitet. Verum quum omnes illae gentes rudes ac parum sagaces potentiam tamen bellicam affectaverint, fieri non potuit, quin a

1 Theatr. Europ. tom. IX, p. 376; et tom. XI, p. 1083.
2 Thom. Walsingh. p. 192.

pura democratia ad temperamenta quaedam vel aristocratica vel monarchica deflecterent. Populum enim rudem, avidum tamen bellandi, non posse non a pura democratia sua sponte recedere, prudenter observavit ὁ πάνυ Conringius, de Urbib. Germ. num. 45, siquidem tunc ipsa necessitas potestatem quamlibet maiorem solis nobilioribus ac prudentioribus imposuit. Inde ergo est, quod de Celtis memoriae prodidit Strabo, IV, p. 136, ἀριστοκρατικὰς εἶναι τὰς πλείους τῶν πολιτειῶν, *Celtas optimatium fere regimine uti.* Addit praestantissimus auctor, unum quotannis principem, unumque belli ducem a multitudine deligi solitos. Quod fortasse in minoribus civitatibus factum; nam in maioribus plures principes fuisse, qui ius per pagos et vicos dicerent, adeoque rempublicam domi administrarent, ex Tacito, de Mor. Germ. c. 11, patet. Principes porro suos ex plebe adiutores comitesque habebant. *Centeni enim*, ait Tacitus, ibid. c. 12, *singulis ex plebe comites, consilium simul et auctoritas adsunt.* Inde facile patet, qualis eiusmodi rerump. forma fuerit. Penes plebem, id est omnes ingenuos, quos infra describemus, erat τὸ κῦρος, adeoque de bello et pace, de legibus ac iudiciis publicis aliisque rebus maioris momenti statuendi potestas. Ingenui in comitiis congregati eligebant principes, qui non modo iura per pagos vicosque reddebant (Tacit. de Mor. Germ. 22), verum etiam in comitiis ipsis consultationes dirigebant (Tacit. idem, 11). Habebant ergo hi ius προβουλίας, adeoque sine eorum consilio nihil unquam maioris rei suscipiebatur.

Principes hi procul dubio iam eo tempore dicti sunt *graven* quasi viri canitie venerandi. Nam et Caesar, de Bell. Gall. lib. IV, c. 13, eos *maiores natu*; Dio Cassius, Histor. XXXIX, πρεσβυτέρους, id est, *seniores* vocat. Unde nomen ab aetate comitibus inditum esse eo minus dubito, quo notius est, etiamnum iudices in Frisia vocari *grietmoenner* itidem a canitie, alibi *altermoenner* a senectute. Ingruente bello eodem modo ex ingenuis deligebantur duces, quos scuto impositos humeris vibrare solebant, populo interim palmis vocibusque plaudente. Hinc de Brinone, Caninefatum duce, Tacitus, Histor. IV, 15: *Impositus*, inquit, *scuto, more gentis, et sustinentium humeris vibratus, dux deligitur.* Quem morem omnibus Germanis communem fuisse, vel ideo dubitare non licet, quod constat, medio etiam aevo eiusdem ritus tenacissimos fuisse Gothos [1] et Francos [2]. Immo et Romani seculo quarto adversus Germanos bella gerentes, hostes imitati, eodem more duces suos inaugurabantur, uti exemplo Iuliani Apostatae docet Ammianus Marcellinus, Histor. XX, 4. Hi vero Germanorum duces imminente bello agebant delectus, educebant exercitus, instruebant aciem, disciplina sacerdotibus permissa, tanto maiore auctoritate animadversuris in immorigeros, quod veluti Deorum iussu saevire viderentur. Et hae quidem populi, eae magistratuum partes erant in republica, ubi aristocratice erat temperatus status popularis.

Quum ergo in eiusmodi civitatibus pleraque in comitiis decernerentur, Tacitus ea ita describit, ut non multum ab hodiernis Polonorum conventibus videantur discrepasse. Quemadmodum enim in his senatores regni

1 Cassiodor. Variar. lib. X, c. 31.

2 Greg. Turon. lib. VII, c. 10; lib. II, c. 11; lib. IV, c. 46.

de plerisque ante consultant, ae deinde etiam deputatorum, quos vocant, suffragiis rem permittunt: ita et in Germania idem olim factum. *De minoribus rebus*, inquit Tacitus, de Morib. Germ. 11, *principes consultabant, de maioribus omnes; ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes pertractarentur.* Quemadmodum porro mira Polonorum in adveniendo tarditas, mira in discedendo festinatio observatur, libertas vero in dicendis sententiis tanta, ut pene licentiae videatur similis: ita et de Germanis eadem pene refert Tacitus: ibid. *Coëunt*, inquit, *nisi quid fortuitum aut subitum inciderit, certis diebus, quum aut inchoatur luna aut impletur; nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt. Illud ex libertate vitium est, quod non simul ac iussi conveniunt, sed et alter et tertius dies cunctatione coëuntium absumitur. Ut turbae placuit, considunt armati. Silentium per sacerdotes, quibus tum et coërcendi ius est, imperatur. Mox rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis, quam iubendi potestate. Si displicuit sententia, fremitu adspernantur; sin placuit, frameas concutiunt: honoratissimum consensus genus, armis laudare.*

Haec Tacitus, cuius e verbis tota illa comitiorum ratio patet luculentissime. Primo enim inde discimus, comitia alia ordinaria, alia extraordinaria fuisse. Illa quotannis certo die locoque habebantur: haec, si quid subitum aut fortuitum incidisset, extra ordinem indicebantur. Utrumque non temere fiebat, nisi ubi vel nova luna esset, vel eadem implesset orbem, quod tempus rebus omnibus, etiam Dione teste, XXXVIII, p. 90, putabant auspicatissimum; adeo ut saepe rei gerendae occasionem dimittere, quam religionem violare mallent [1]. Sane Germanis comitia inituris semper id placuisse tempus, vel inde adparet, quod et medio aevo idem observarent Gothi et Saxones. De illis enim Sidonius Apollinaris, Paneg. Aviti, canit:

> Luce nova veterum coetus de more Getarum
> Contrahitur.....

De his vero consulendus Eginardus apud Adamum Bremensem, Hist. eccl. I, 4. Deinde ex eodem Taciti loco adparet, Germanos tunc armatos consedisse ad ferenda suffragia. *Sollenne* enim *iis*, teste Tacito, de Morib. Germ. 13, *erat, nihil neque publicae neque privatae rei nisi armatos agere.* Idque tam commune erat omnibus, ut et ad convivia procederent armati (ibid. c. 21). Hunc quoque morem servarunt posteri, inprimis Getae, de quibus Claudianus, de Bell. Get. v. 480 et seq.:

> Consultare iubet bellis annisque verendos,
> Crinigeri sedere patres, pellita Getarum
> Curia, quos cladis decorat numerosa cicatrix:
> Et tremulos regit hasta gradus, et nititur altis
> Pro baculo contis, non exarmata senectus.

Immo hodiernum Helvetios aeque ac Hispanos, Gothorum posteros, nihil

[1] Caes. de Bell. Gall. lib. I, c. 50.

privatae publicaeque rei nisi armatos suscipere, observavit Conringius, de Vetere Germ. Rep. parag. 34. Tertio et id ex Tacito discimus, quod ius coërcendi tum fuerit penes sacerdotes. Quum enim suprema maiestas penes populum esset, et in tanta tamen gentis libertate fieri non posset, quin conglobata ista armatorum multitudo nonnunquam in sua viscera saeviret, principes denique suadendi magis, quam iubendi cogendique facultate pollerent: non videbatur ulli ordini rectius demandari posse disciplinae cura, quam sacerdotibus, quos ipsa muniebat muneris sanctitas et superstitiosa hominum opinio. Usi vero sacerdotes ea in re videntur lictorum ministerio. Ita enim intelligo, quae Strabo, Geogr. IV, p. 136, de Celtis prodidit memoriae: ἴδιον δὲ τὸ ἐν τοῖς συνεδρίοις συμβαῖνον· ἐὰν γάρ τις θορυβῇ τὸν λέγοντα, καὶ ὑποκρούσῃ, προσιὼν ὁ ὑπηρέτης ἐσπασμένος τὸ ξίφος κελεύει σιγᾶν μετ' ἀπειλῆς· μὴ παυομένου δὲ καὶ δεύτερον καὶ τρίτον ποιεῖ τὰ αὐτά· τελευταῖον δὲ ἀφαιρεῖ τοῦ σάγου τοσοῦτον, ὅσον ἄχρηστον ποιῆσαι τὸ λοιπόν· *Peculiare quiddam habent in conciliis. Si quis enim dicenti obstrepat, aut tumultuetur, lictor accedit, stricto cultro; minis adhibitis, tacere eum iubet, idque iterum ac tertio facit. Eo non cessante, tandem a sago eius tantum amputat, ut reliquum sit inutile.* Forsan etiam ad graviores animadversiones ventum, si quis publico egregio adversaretur. Neque enim ignota sacerdotibus Germanis fuisse videtur sacris interdicendi ratio, druidibus per Galliam sollennis, de qua Caesar, de Bell. Gall. VI, 13: *Si quis aut privatus aut publicus eorum decreto non stetisset, sacrificiis interdicebant: haec poena apud eos erat gravissima. Quibus ita esset interdictum, ii numero impiorum et sceleratorum habebantur, iis omnes decedebant, aditum sermonemque defugiebant, ne quid ex contagione incommodi acciperent; neque iis petentibus ius reddebatur, neque ullus honos communicabatur.* Denique ex Tacito adparet, nobiles seu optimates dixisse sententias, reliquos ingenuos vel adsensum concussis frameis, vel dissensum fremitu testatos. Qui ritus denuo per universam Germaniam invaluisse videtur. Diu enim post Taciti tempora etiam Francos isto suffragandi more usos esse, vel inde patet, quod *Pipini ducis orationem acclamationibus simul et armorum concussorum crepitu approbarunt*, ceu loquitur Annalium Franc. auctor, ad annum 687.

Quibus de rebus in his comitiis fuerit actum, facile patet. Consiliis in iis capiebant Germani de bello et pace, forsan et legatos in iis aliquando audiebant. In iisdem conventibus et principes eligebant, per pagos vicosque iura reddituros 1. Porro *et accusare capitisque periculum intendere licebat apud concilium* 2. Ex quo discimus, publicis iudiciis, more rebuspublicis popularibus sollenni, populum ipsum praefuisse. Procul dubio etiam de ferendis abrogandisque legibus actum est in conciliis. Tametsi enim moribus potius, quam legibus scriptis viverent, et praeclare Tacit. ibid. 19, *plus apud eos diceret valere bonos mores, quam alibi bonas leges*: fieri tamen non potuit, quin nova subinde rerum emergentium forma novas leges, novaque instituta exigeret. Quae quidem quin in comitiis communi omnium suffragio prodierint, nullum plane est dubium.

1 Tacit. de Morib. Germ. c. 12.
2 Idem, ibid. c. 11.

Denique idem ego dixerim de vectigalibus ac tributis. Aurum argentumque initio ignorarunt Germani, et sero admodum pecuniam accipere a Romanis didicerunt [1]. Nec tamen bella sine adparatu quodam gerere poterat respublica. Unde non poterant non civibus tributa quaedam imperare. Praeclare Tacitus, ibid., 15: *Mos est civitatibus ultro ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum etiam necessitatibus subvenit.* Ultro conferri dicuntur ista tributa, quod non indicerentur, sed, uti posteriore aevo factum, ab ordinibus decernerentur in comitiis; eoque factum opinor, ut hodienum per Germaniam tributa *munera* (*gaben*) vocentur, quasi quae ultro et per modum donationis cives conferre solerent.

Et haec quidem de civitatibus Germaniae aristocratice temperatis. Praeter has vero non deerant gentes, quae regnabantur. Sic Cheruscos regem Roma petiisse, ex Tacito, Annal. XI, 16, notum est: unde colligo, Arminium etiam eadem inter suos dignitate fuisse, quamvis Cheruscorum princeps a veteribus appelletur [2]. Quam late etiam regnarint Ariovistus et Maroboduus, nemo ignorat [3]. Videntur regium imperium prae reliquis probasse *Cherusci*, *Marcomanni*, *Suevi*, *Batavi*, *Frisii*, *Suiones*, *Gothi*, forsan et aliae gentes de quibus tacent veteres.

Cave vero, inter Germanos tibi fingas *παμβασιλείαν*, regesque suo lubitu dominantes. Reges enim, si qui in Germania erant, ipsius populi suffragiis hanc dignitatem fuerant consecuti. Diserte enim Tacitus, de Morib. Germ. 7: *Reges ex nobilitate sumunt*; et alibi, Annal. II, 44, idem observat auctor luculentissimus, *Maroboduum ob regis nomen invisum apud populares fuisse*; quod non alia de caussa factum arbitror, quam quod regnum moliretur hereditarium, et adductius, quam germanica ferret libertas, imperaret. Quantumvis vero libere sibi eligerent reges, non temere tamen genus regium adspernati videntur. Italum sane Cherusci ideo Roma petebant regem, quia *unus reliquus erat stirpis regiae, paternum genus ex Flavio, fratre Arminii; maternum ex Catumero, principe Cattorum ducens* [4]. Sed et Quadis et Marcomannis reges manserunt, *ex gente ipsorum, nobile Marobodui et Tudri genus*, licet postea et exteros pati coeperint [5]. Nec ignotum est, Classico [6], Claudio Civili, et Iulio Paullo [7] *regium genus* plurimum ad summum imperium profuisse. Sua enim interesse credebant Germani, parentum merita vel in filiis etiam honorari.

Iam si quaeras, quid potestatis Germanorum regibus fuerit, denuo respondebit Tacitus, de Morib. Germ. 7: *Nec regibus libera aut infinita potestas*; et paucis interiectis, cap. 11: Etiam *in comitiis reges auditi sunt, suadendi magis quam iubendi potestate.* Nihil ergo suo lubitu atque

1 Idem, ibid. c. 4 et 15.

2 Velleius Paterculus, lib. II, c. 118; Tacit. Annal. lib. I, c. 55 et 65.

3 Caes. de Bell. Gall. lib. I, c. 31; Dio Cass. lib. XXXVIII, p. 81; Tacit. Annal. lib. II, c. 26 et 46.

4 Tacit. Annal. lib. XI, c. 16.

5 Idem, de Morib. Germ. c. 42.

6 Idem, Hist. lib. IV, c. 55.

7 Idem, Hist. lib. V, c. 13.

arbitrio agebant reges; nec ratum erat quidquam, nisi quod vel populi, vel procerum saltem consilio atque auctoritate decrevissent. Id quod candide apud Iul. Caesarem, de Bell. Gall. V, 27, fatetur Ambiorix, dum ait, *sua esse eiusmodi imperia, ut non minus haberet in se iuris multitudo, quam ipsi in multitudinem.* Sed et Tacitus, Annal. XIII, 54, ubi Frisiorum regum meminit, imperasse eos ait, *in quantum Germani regnantur.* Quem locum quidem, suo more, sollicitat, atque ita emendandum putat Cluverus, ut sine ulla codicum MSS auctoritate rescribi iubeat, *in qua tum Germani rebellabant.* Sed ego nihil mutaverim, et hanc coniecturam iam satis profligarunt Grotius, Adpend. Epist. 11, et Pontanus Orig. Franc. VI, 11. Nihil est iis Taciti verbis clarius, nihil sensu commodius, quippe innuitur, principatum tenuisse illos reges, sed heroicum, et qualem ferre consueverit germanica libertas. Denique et de Gothonibus disserens Tacitus, *eos iam adductius quam ceteras Germanorum gentes regnari* ait, *nondum tamen supra libertatem* 1. Ex quibus omnibus conficitur, Germanorum reges nihil sine populi egisse consilio, vitam aeque ac regnum perdituros, si quid contra civium libertatem molirentur. Tale erat eorum imperium, quale multo post ea tempora fuit Anglorum, Scotorum, Danorum, Norvagorum, Suecorum, gentium germanicae originis, apud quos nihil reges suo arbitrio, omnia optimatium populique sui suffragiis sanciebant, et ex parte etiamnum sanciunt. Paucae tamen germanicae gentes, quod et Tacitus notavit, paullo adductius regnabantur. De Suionibus enim ait 2: *Est apud illos et opibus honos*, *eoque unus imperitat, nullis iam exceptionibus, nullo iam precario iure parendi*; et de Sitonibus 3: *Suionibus Sitonum gentes continuantur. Cetera similes, uno differunt, quod femina dominatur. In tantum non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant.* Denique etiam de Rugiis et Lemoviis agens, inprimis *rotunda eorum scuta, breves gladios, et erga reges obsequium* celebrat 4. Tam variae ac dissimiles inter se erant Germanorum respublicae. Variae inter eos formas deprehendebantur, sed una apud plerosque libertas, quam ipsa vita habebant cariorem.

Heineccivs, ibid. I, 1, parag. 17—24.

Pauca doctissimo ex Heineccio excerptis subiungere aggrediar.

Si Broterio fidem adhibeas, Tacitus *reges regno praeesse, duces bello* significat; atque *ex his Germanorum ducibus originem apud Gallos habuisse maiores domus* (les maires du palais) *merito sensit cl. de Vertot* (*Mém. de l'Acad. des Inscript., tom. II, p.* 627): unde colligendum sit fuisse duces rei bellicae praepositos, dum perpetua regum series rempublicam pace obtineret, atque etiam exercitui imperaret, si quis regum virtute perinde et nobilitate praestans exstitisset. At formam hanc admi-

1 Tacit. de Morib. Germ. c. 45.
2 Idem, ibid. c. 44.
3 Idem, ibid. c. 45.
4 Idem, ibid. c. 43.

nistrandae rei constantem et adamussim compositam fuisse apud gentes barbaras, quibus *nullas urbes habitari satis notum* (G. 16), neque arva propria coli, sed *mutari per annos* (G. 26; Caes. Bell. Gall. IV, 1; VI, 22), et *in pace nullum esse communem magistratum* (Caes. Bell. G. VI: 22) mos fuit quis credat? Placet quae fuerit tum *regum*, tum *principum* et *ducum*, quae saepius usurpat nomina Tacitus, tum eorum quos appellat *plebeios*, conditionem exquirere.

Primo caveamus ne nos, quum *reges*, *principes*, *duces*, *nobiles*, *plebeios* Tacitus nominat, error verborum decipiat. Quippe verbis lingua latina usitatis et ex rerum romanarum usu fictis, neque ad mores Germanorum apte congruentibus utebatur. Quam convenientissima potuit reperire, adhibuit; sed nisi attendamus, periculum est ne aliquid vel moris romani, vel nostri, Germanis affingamus.

Reges ex nobilitate.... SVMVNT. *Ti sumunt* satis aperte ostendit fuisse reges electos. Quam regum conditionem si non arguat hic locus, multos afferre alios in promptu est, quibus res declarari manifesto videatur. Singulare fuit et notatu dignum in gente Germanica, apud Suiones *unum imperitare, nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi* (G. 44); *Maroboduum ob* REGIS NOMEN INVISVM *apud populares* (Suevos); Arminium pro libertate bellantem favor habebat (Ann. II, 44). Deinde *Arminius.... pulso Maroboduo, regnum adfectans, libertatem popularium adversam habuit; petitusque armis.....dolo propinquorum cecidit* (ibid. 88). Scio equidem et alium locum obiici posse: *Cheruscorum gens regem Roma petivit, amissis per interna bella nobilibus, et uno reliquo* STIRPIS REGIAE, *qui apud Urbem habebatur, nomine Italicus* (Ann. XI, 16).

Sed mox illius regis eos qui factionibus floruerant, pertaesum est; bellumque inde exortum *varia fortuna res Cheruscorum adflietabat* (ib. 17).

Nun posset non pugnare secum in illis locis auctor, si, usurpato *stirpis regiae* vocabulo, innuere voluisset hereditarium ius regnandi et perpetuum. Ubi iam tum gentis eiusdem *in regium nomen invidia?* Ubi contumax virorum libertas qui se regnari vix patiantur, immo non teneri unius domus imperio, quae rerum potestatem *optimo iure* et quasi dominio sibi adroget?

Libentius crediderim sic Tacitum intellexisse, omnibus virorum gentis praecipuorum domibus exstinctis, unde reges aut principes, quum vellent, SVMEBANT, Germanos ivisse Romam petitum adolescentem ex stirpe quam per catachresin *regiam* Tacitus vocat, et placuisse hunc, non quia *regius* (etenim patruum eius Arminium, non ita pridem ob id ipsum quod regnum adfectabat, deiecerant), sed quia oriundus ex stirpe praeclarissima, quae multos principes et duces, praesertim Arminium, patriae liberatorem, antequam fortuna insolesceret, tulerat.

Et Tacitum illis vocabulis *rex*, *princeps*, *dux*, promiscue et indistincte usum, tum ex multis passim locis, tum ex hoc ipso, deprehendas; in quo inducit querentes Cheruscos, quod PRINCIPIS LOCVM IMPLERET Italicus, Romanorum alumnus; *et mater adolescentis ex Catumero*, PRINCIPE CATTORVM, *erat* (ibid.). Quoties Germani *equorum praesagia et monitus experiuntur, pressos sacro curru* sacerdos, ac REX vel PRINCEPS CIVITATIS

comitantur (G. 10). In conventu publico, *silentium per sacerdotes imperatur*, *mox* REX *vel* PRINCEPS..... *audiuntur* (ibid. 11).

Itaque, seu in factiones, quod apud eos amabat fieri, gens distraheretur, diversosque sequeretur duces, seu pace intus unius ducatu componeretur, et bellum moliretur externum, semper praeerat vel rex, vel princeps, vel dux, libera electione civitati vel factioni praepositus, auctoritate *suadendi magis quam iubendi potestate*, *et exemplo potius quam imperio* pollens. Ita Frisios Verritus et Malorigez *regebant in quantum Germani regnantur* (Ann. XIII, 54). Ita Canninefates rebellandi adversus Romanos societate cum Batavis coniuncti, Brinnonem, cuius *pater multa hostilia ausus*, *Caianarum expeditionum ludibrium impune spreverat*, IMPOSITVM SCVTO DVCEM DELEGERVNT (Hist. IV, 15).

Ibi videre est ducem toti nationi eodem ritu adscitum, quo deinde inter Francos, in Gallia, reges promoveri solitum (Gregor. Turon. II, 40, 42; IV. 52). Quid inde? Eo animus inclinat, ut credam dignitatem regis et principis et ducis, quatenus ad virum totius civitatis moderatorem pertineret, nomine magis quam re distinctam fuisse, neque exstitisse unquam simul in una civitate alterum qui regno (quid enim praeter rem bellicam administraret in tali gente), alterum qui universo exercitui praeesset; Tacitum eos qui diversas nationes regebant vario nomine, vel regis, vel principis, vel ducis, designasse; prout quaeque natio magnitudine et fama praestantior aut minus clara, prout principibus ex eadem familia natis continuari per successionem imperium videbatur, at semper electum, ut mos ferebat Germanorum, neque aliud recipiebat.

At vocabula *princeps*, *dux*, alio quoque sensu Tacitus orationi inserit. Namque est quoddam *principum* et *ducum* genus, egregii et praecellentes viri, qui *comitatum* fide sibi devinctorum, *devotos scilicet et clientes*, *soldurios*, ut Caesar explicat (Bell. Gall. III, 22; VI, 22), comparaverunt. Privatus hic ducatus, haec privata potentia (Tacit. Germ. 13, 14).

Alii quoque *in conciliis eliguntur principes*, *qui iura per pagos et vicos reddunt* (ibid. 12). Ii nempe Theotisco sermone *graffiones*, lingua romana *comites*, posthac in regno *Francorum* gallico nomen habuerunt (lex Sal. tit. XXXIV, XLVII, LII; lex Rip. tit. LI, LIII, et alibi passim).

Principes vel *duces* comitatuum erant gentis principes, atque, ut passim Tacitus nuncupat, *nobiles*: ceteri plebeii. Quae nobilitas, nisi qualis fuerit inter barbaros, diligenter consideraveris, timeo ne quid erroris legenti verba, ut iam monui, offundant. Etenim multi fuere qui privilegia nobilitatis hereditaria viguisse iam tum in Germania, et persuasum haberent, et persuadere conarentur. At non satis reputasse videntur viri clarissimi, qui fieri posset, ut proonum et obnoxium plebis, ut solet, erga nobiles hereditarios obsequium caderet in homines feros, et quodvis iugum adeo indociles pati, ut ne regibus quidem et ducibus *verberare* et *vincire*, vel poenae quidquam iussu irrogare, permiserint.

Quod si mihi multos Taciti locos recitaverint ubi nominatur *nobilitas*, precabor ut meeum quibus haec nobilitas eminuerit privilegiis indagentur. ....*Efficacius obligentur animi civitatum*, *quibus inter obsides puellae quoque nobiles imperantur* (Germ. 8).

Num fides civitatum amore et obsequio plebeiorum erga nobiles arctius

abstringebatur, an potius nobiles sive principes, qui auctoritate suadendi rerum publicarum momenta impellebant, affectu paterno fraternoque retinebantur, quominus civitatem suam ad provocandam eorum, qui puellas in potestate habebant, iram incitarent?

Prout aetas, prout NOBILITAS, *prout decus bellorum...... audiuntur* (Germ. 11).

Num iure natalitio cuiquam in concilio alloqui cives concessum? et etiamsi res sic se haberet, tamen aequa nobilitatis cum senibus, cum fortibus viris, cum facundis, conditio.

At hoc validius argumentum:

Insignis nobilitas, aut magna patrum merita, principis dignationem etiam adulescentulis adsignant (Germ. 13).

Ergo nobilitas heredii iure obtigit.

At dignatio principis, quam adolescentulis a patre nobili vel egregie merito tradebatur, ea fuit, ut comitatum princeps haberet; namque quisquis illam dignationem non adipiscebatur, framea donatus et in civitatem receptus, ceteris *robustioribus*, id est, pueritiam egressis aetatemque civilem consecutis, aggregabatur. *Nec rubor inter comites aspici*: haec Tacitus de omnibus quocunque loco natis Germanis. Superest ut comitatus, voluntate comitum, an dominica possessione teneretur, fiat compertum.

Haec dignitas, hae vires magno semper ELECTORVM *iuvenum globo circumdari* (Germ. 13); quia scilicet inter multos fama ducis allectos et ad eum concurrentes fortissimum quemque eligere licebat.

Si civitas, in qua orti sunt, longa pace et otio torpeat, plerique nobilium adolescentium petunt ultro eas nationes, quae tum bellum aliquod gerunt; quia........ MAGNVM COMITATVM NON NISI VI BELLOQVE TVEANTVR: EXIGVNT ENIM PRINCIPIS SVI LIBERALITATE *illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam. Nam epulae, et, quamquam incompti, largi tamen apparatus,* PRO STIPENDIO *cedunt* (Germ. 14).

Igitur *munificentia* et *epulis* comites *stipendia* huiusmodi *exigentes* secum tenebat princeps, quem nisi strenue ad bella et raptus eos duxisset, deseruissent. *Namque de adsciscendis principibus in conviviis consultabant* (Germ. 22). Unde patet iis liberum eligere, quos vellent sequi. Quod Caesar ita explanat: *Atque ubi quis ex principibus in concilio se dixit ducem fore, ut, qui sequi velint, profiteantur; consurgunt ii, qui et caussam et hominem probant, suumque auxilium pollicentur, atque ab multitudine collaudantur: qui ex iis secuti non sunt, in desertorum ac proditorum numero ducuntur, omniumque rerum iis postea fides abrogatur* (Bell. Gall. VI, 23).

Ex omnibus iis quae hactenus de principibus disserui, colligo, *principes* fuisse viros aut adolescentes ceteris civibus praecellentes vel fortuna, vel claritudine natalium, vel suis ipsorum facinoribus, atque hocce modo praecipuam reipublicae curam gessisse; at nullam habuisse legitime hereditariam, atque αὐτοκράτορα potestatem; insignem parentum nobilitatem pro commendatione adolescentulis, non pro iure imperandi viris sibique illos devinciendi, cessisse; quemvis e populo et adhuc ignotum ad dignationem principis accedere, et nobilibus aggregari, si factis inclaruisset et comites sibi conciliasset, potuisse; nullum ordinum discrimen legibus

institutum, itaque *plebeios* fuisse cives non habentes comitatum; civitatem quamque in multas privatas δυνάμεις fuisse divisam; quotque principes et comitatus, tot factionum et privatorum bellorum, sive intus de principatu civitatis, sive foris ad latrocinium, duces; e quibus multi, dum discordiae civiles flagrarent, circa unum ceteris principibus virtute sua et comitatus magnitudine praestantem conglobabantur. Inde multis comitatibus conflati exercitus, ut Arminii et Marobodui inter se dimicantium copiae.

Si cui placet principum conditionem et insignia plane cognoscere, discet ex Tacito: *Ornatiorem capillum habent* (Germ. 38). *Nec solum in sua gente cuique* (principi), *sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat: expetuntur enim legationibus, et muneribus ornantur, et ipsa plerumque fama bella profligant* (Germ. 13). *Mos est civitatibus ultro ac viritim conferre principibus, vel armentorum, vel frugum* [1], *quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus subvenit* (Germ. 15), scilicet comitatui sustentando. Et, quoniam *suscipere inimicitias, seu patris, seu propinqui, necesse erat, et luebatur etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipiebatque satisfactionem universa domus*: conicere licet iniuriam principis, si quam illi quis intulisset, maiore pretio luendam, quia gravior magisque metuenda comitatum habentis inimicitia. Inde usu postea evaluit principes gentis, quum leges scriptae sunt, maiorem quam ceteros cives recipere satisfactionem; nempe fideles regis, *sive antrustiones*, taxati sexcentis solidis, ceteri Franci ingenui ducentis (l. Salic. t. XLIV). . .

I. N.

N.° 8. Cap. XI. *De minoribus rebus principes consultant; de maioribus omnes.*

Quisquis Annales Francorum antiquos evolvit, passim Germanicae gentis vestigia relegere sibi videtur. Sic regnante Clodovico, neque bellum suscipitur, neque quidquam publici muneris indicitur, quin populus vel exercitus Francorum adsenserit suadenti (Greg. Tur. II, 37; Roric. apud Bouq. Hist. Fr. tom. III, p. 8, 12).

Postquam diu ille mos de rebus magnis ferendisque legibus populum consultandi obsolevisset per successorem Clodovici adrogantiam, rursus festinavit fundamentum hoc reipublicae restituere ac stabilire, ut genti placeret, quicunque in melius regni administrandi procurationem revocare, et ad genuinam formam componere moliebatur.

Edita fuit (confirmatio donationis monasterio B. Wandregisili factae) *compendio palatio, kalend. Martiarum die, congregatis Francorum populis in Campo Martii, ubi omnibus annis convenire soliti erant, veluti omnibus notum est.*

Haec ad ann. 649. Chronic. Funtanellens. apud D. Bouq. Rer. Gallic. et Francic. Scriptor. tom. II, p. 658.

1 Subaudi *copiam* vel *numerum*.

....Potestas regni tota apud maiorem domus habebatur, excepto quod cortae et privilegia regis nomine scribebantur; et in Martis Campum, qui rex dicebatur, plaustro bobus trahentibus vectus, atque in loco eminenti sedens, semel in anno populis visus, publico dona sollenniter sibi oblata accipiebat, stante coram maiore domus, et quae deinceps eo anno agenda essent populis adnuntionte.

Haec ad ann. 751. Ex Annal. Foldens. apud eundem, ibid. p. 676.

Singulis.....annis, in kolendis Martii, generale cum omnibus Francis, secundum priscorum consuetudinem, concilium agebat (Pippinus Heristallensis), *in quo, ob regii nominis reverentiam, eum quem sibi ipsi propter humilitatis et mansuetudinis magnitudinem praefecerat, praesidere iubebat; donec ab omnibus optimatibus Francorum donariis acceptis, verboque pro pace et defensione ecclesiarum Dei, et pupillarum et viduarum facto, raptuque feminarum et incendio solido decreto interdicto, exercitui quoque praecepto dato, ut quaeunque die illis denuntiaretur, poroti essent in partem quam ipse disponeret proficisci: his peractis, regem illum ad Mamaccas villam publicam custodiendum cum honore et veneratione mittebat.*

Haec ad ann. 690. Annal. Metens. apud eundem, ibid. p. 680.

Quocunque eundum erat, carpento ibat, bobus iunctis et bubulco more agente, trahebatur (rex). *Sic ad palatium, sic ad publicum populi sui conventum, qui annuatim ob regni utilitatem celebratur, ire, sic domum redire solebat.*

Haec ad ann. 752. Ex fragm. historic. incert. auct. apud eundem, ibid. p. 694.

I. N.

N.° 9. Cap. XII. *Et corpore infames coeno ac palude, iniecta insuper crate, mergunt.*

Germanos liberatum ire volui a foeda aversae Veneris nota; et ecce ego non sine nota. Nam quidam me culpat (modeste tamen, fateor, nec plane ἀλόγως) quod temere mendacem dixerim Athenaeum. Ab eo enim, inquit, Diodorus, Aristoteles, Strabo. Primus quidem de Celtis sic scribit, V, 32: Γυναῖκας δ' ἔχοντες εὐειδεῖς, ἥκιστα ταύταις προσέχουσιν, ἀλλὰ πρὸς τὰς τῶν ἀῤῥένων συμπλοκὰς ἐκτόπως λυττῶσι· et quae subdit, turpia mihi nimis, turpia relatu. At Aristoteles, Polit. II, 9: *Plerasque militares gentes et Celtas in iis masculum coitum palam admisisse.* Iam Strabo negat turpe *apud eos fuisse* τὸ τῆς ἀκμῆς ἀφειδεῖν τοὺς νέους, *florem aetatis prostituere iuniores.* Quid ad hos ego? ignosce, quisquis legis, pene idem quod in Athenaeum. Falsi, inquam, isti, falsi; si tamen de Germanis hoc scripserunt ac senserunt, non potius de Gallis. Quod ego omnino assero; praesertim de iis, qui Massiliae et Italiae magis propinqui. Ab ea parte labes haec in eandidam per se gentem. Nonne *mores Massilienses* proverbio ab hac mollitie innotuere? Graeci ergo illi, qui vix limen illud ipsum Galliae noverant (Germaniae certe penetrale nunquam), illic repertum vitium fama et stilo sparserunt perperam in omnes. Non mihi creditur? Tacito igitur nostro, qui diserte hoc ipso loco scribit (ex vestra quidem mente) molles istos et flagitiosos *coeno et palude mersos, crate iniecta.* Tuam

fidem, o optime! si fidi illi Graeci, et si vitium hoc tam commune Germanis, tam receptum, qui constat, ut iidem tam severiter illud puniant? Itaque ne sic quidem Germani iuquinabuntur, etiamsi inquinata illa lectio retinebitur. Nec tamen a me, qui haud paullo tutius Tacito et inprimis Fabio (qui claris verbis iguotum id flagitium Germanis asserit, te dissimulante) hic crediderim, quam Graecis. Quippe isti levi et longinqua fama aliquid de ea gente acceperunt; at illorum aevo, cognita iam Germania, imma lustrata Romanis et calcata.

Ivstvs Lipsivs.

N.º 10. Cap. idem. *Levioribus delictis, pro modo, poena.*

Ne ita levia tamen delicta credideris: iis enim annumerantur homicidia, adulteria, furta, aliaque id genus plurima, ut constat ex Germanorum legibus ipsaque Tacito infra c. 21. Verum ut cognoscantur quaenam essent illae delictorum poenae, proponenda sunt exempla, quibus Germanorum nostraeque antiquitates illustrantur.

DE POENIS APVD GERMANOS.

In poenis attendebant Germani ad damna, ad acerbitatem iniuriarum, ad dignitatem personarum. Inde in lege Salica, tit. III, de Fortis animalium, leg. 1: *Si quis vitulum lactentem furaverit*, malb. pedero, *aut* freodo, cxx *den. qui faciunt solid.* iii, gallicae monetae libras 39, *culpabilis iudicetur, excepto capitale et delatura* (gallice *le capital et les frais de justice*).

Leg. 9: *Si quis taurum furaverit, qui de tribus villis communes vaccas tenuerit* (tres enim villae, aut vici communem taurum pulcherrimumque alebant), *hoc est tres-bellia*, malb. chamithevto m dccc *den. qui faciunt solid.* xlv, gallicae monetae libras 589, *culpabilis iudicetur, excepta capitale et delatura.*

Leg. 10: *Si quis taurum regis furaverit*, mal. chamvtevo m. m. dc. gallicae monetae libras 890, *excepta capitale et delatura.*

Apud venatorem populum pecorumque altorem magna in canibus utilitas. Inde lex Salica, tit. VI, de Furtis canum, leg. 1: *Si quis canem segusium* (un chien de chasse) *magistra sua furaverit*, malb. leodasdi, dc *den. qui faciunt solid.* xv, gallicae monetae libras 196, *culpabilis iudicetur, excepta capitale et delatura.*

Leg. 2: *Si quis segusium magistrum canem* (un chien dressé) *furaverit*, malb. trovvidovvano tvene cuvene, m dccc *den. qui faciunt solid.* xlv, gallicae monetae libras 589, *culpabilis iudicetur, excepto capitale et delatura.*

In summa quoque artium ruditate magna cultellorum pretia. Ideo lex Salica, tit. LXXIII, de Cultello sexxaudro, id est, cultra alterius, at explicat eruditus Eccardus, leg. 1: *Si quis alteri cultellum furaverit, et ei fuerit adprobatum, ipsum in loca restituat, et insuper* dc *den. qui faciunt sal.* xv, gallicae monetae libras 196, *culpabilis iudicetur.*

Apud Saxones fuit sane equis gratia plurima, quoniam ad eos servandos a germanica humanitate descivere, atrociterque statuerunt, ut videre

est in lege Saxonum, tit. IV, de Furtis, leg. 1: *Qui caballum furaverit, capite puniatur.* Id tanto magis singulare, quod in eadem lege, tit. II, de Occisionibus, si nobilis, litus, servusve occisus, pecunia componitur.

Illata vis maioribus poenis subiacebat. Sic lex Salica, tit. XII, de Furtis ingenuorum vel effracturis, leg. 1: *Si quis vero ingenuus de foris casa quod valent duo denarii furaverit*, MALB. LEVDARDI, DC *den.*, *qui faciunt solid.* XV, gallicae monetae libras 196, *culpabilis iudicetur, excepto capitale et delatura.*

Leg. 3: *Si vero ingenuus de intus casa furaverit, aut fregerit quod valeat duo denar.* MALB. ANTIDIO, M DCCC, *qui faciunt sol.* XLV, gallicae monetae libras 589, *culpabilis iudicetur, excepto capitale et delatura.*

Leg. 5: *Si vero ingenuus clavem effregerit, aut adulteraverit, et sic domum ingressus fuerit, et per furtum aliquid tulerit*, MALB. ANTIDIO, M DCCC *den. qui faciunt sol.* XLV, gallicae monetae libras 589, *culpabilis iudicetur, excepto capitale et delatura.*

Leg. 6: *Si vero effregerit, et nihil tulerit, et fugiens evadit, propter effracturam tantum*, M CC *denar. qui faciunt sol.* XXX, gallicae monetae libras 393, *culpabilis iudicetur, excepto capitale et delatura.*

Tentatum quoque crimen puniebatur. Lex Salica, tit. XX, de Vulneribus, leg. 1: *Si quis alterum voluerit occidere, et colpus* (gallice *le coup*), *praetersallierit*, MALB. *seu* LANDOVEVAS, MM D *den. qui faciunt sol.* LXII *et dimidium*, gallicae monetae libras 818, *culpabilis iudicetur.*

Ceterum ex gravitate vulnerum maior minorve poena, teste lege Salica, ibid. leg. 3: *Si quis hominem plagaverit, et sanguis ad terram cadit, et ei fuerit adprobatum*, MALB. CHARFRIDO, DC *den. qui faciunt solid.* XV, gallicae monetae libras 196, *culpabilis iudicetur.*

Leg. 4: *Si quis hominem in capite plagaverit, et exinde ossa exierint*, MALB. CHARFRIDO: M CC *den. qui faciunt solid.* XXX, *culpabilis iudicetur.*

Leg. 5: *Si quis hominem ita plagaverit, ut cerebrum appareat, et trin ossa desuper cerebro exierint*, MALB. AVDE ATERVS, M DCCC *den. qui faciunt solid.* XLV, gallicae monetae libras 589, *culpabilis iudicetur.* Expressior adhuc hac in re lex Saxonum, tit. I, de Vulneribus, et tit. XXII, de Dolg. ubi singulis ferme ictibus poena pretiumque. Vide quoque legem Ripuariorum, tit. V, de Debilitatibus. Homicidii autem pretium habet lex Salica, tit. XLIV, de Homicidiis ingenuorum, leg. 1: *Si quis ingenuus Franco aut barbarum, aut hominem, qui Salica lege vivit, occiderit*, MALB. LEVDI VIII M *den. qui faciunt sol.* CC, gallicae monetae libras 2,620, *culpabilis iudicetur.*

Si quis autem hoc scelus occuleret, gravior erat poena. Unde lex Salica, ibid. leg. 2: *Si vero eum in puteum aut sub aquam miserit*, MALB. VVATH LEVDI XXIIII M *denar. qui faciunt solid.* DC, gallicae monetae libr. 7,860, *culpabilis iudicetur*; et leg. 5, ubi de homine nobili agitur: *Si vero eum de hallis aut de ramu* (gallice *de halliers et de branchage*) *superoperuerit, similiter* LXXII M *den. qui faciunt solid.* MDCCC, gall. mon. lib. 23,580 *, *culpabilis iudicetur.*

* Quum gentes, quae nunc sunt, e barbaris, commercio et pretiis rerum, longe differant, illarum monetae comparatio cum nostro in errorem multos possel inducere. Vere

Immo in his poenis fuit populorum distinctio. Et Romana gens, tamdiu domina gentium habita, deterrimae conditionis facta est, ut patet ex lege Ripuariorum, tit. VII, de Homicidio ingenuorum, leg. 1: *Si quis ingenuus hominem ingenuum Ripuarium interfecerit, ducentis solidis culpabilis iudicetur*; et tit. XXXVI, de diversis interfectionibus, leg. 1: *Si quis Ripuarius advenam Francum interfecerit, ducentis solidis culpabilis iudicetur*; leg. 2: *Si quis Ripuarius advenam Burgundionem interfecerit, centum sexaginta solidis culpabilis iudicetur*; leg. 3: *Si quis Ripuarius advenam Romanum interfecerit, centum solidis multetur*; leg. 4: *Si quis Ripuarius advenam Alamannum, seu Fresionem, vel Bouvarium, aut Saxonem interfecerit, centum sexaginta solidis culpabilis iudicetur.* Pluribus abstineo, ne infinitus sim. Si quis autem Germanorum mores penitus cognoscere voluerit, eorum leges evolvat penitusque introspiciat.

Brotier.

N.° 11. Cap. idem. *Equorum pecorumque numero convicti multantur: pars multae regi, vel civitati, pars ipsi, qui vindicatur, vel propinquis eius exsolvitur.*

Si ad illa verba haec capitis 21 addideris: *Suscipere tam inimicitias seu patris, seu propinqui, quam amicitias necesse est: nec implacabiles durant; luitur enim etiam homicidium certo armentorum vel pecorum numero, recipitque satisfactionem universo domus:* habebis morem atque formam iudiciorum, tum in germanica gente, tum apud veteres Francos, atque omnes barbaras nationes quae rudes adhuc civilis administrationis vivunt. Etenim fera ingenia eam praecipuam et maxime necessariam cuiusque bene moratae civitatis conditionem, ut omnis vis privata cesset, neque quisquam suum ius armis debeat persequi, neque coërcendi potestas ulla possit emicere, nisi penes magistratus sit, non satis intelligunt. Inde lites decerni ferro, quod bellorum privatorum genus veteribus Francis *foidae* nomine vocitatum fuit (*Ducange*, Gloss. Inf. Lat. n. v.).

Tum pro furtis et homicidiis non poena indicitur, sed satisfactio, qua qui alterum iniuria appetiit, suam pacem redimat. Itaque iudicio quasi transigitur, magistratusque non exactorem sceleris, at sequestrum pacis gerit [1]; immo nocentem protegere adversus iram ultionemque laesi contendit, quo minus bellum inter duos saeviat, et quidem hunc cogit recipere satisfactionem legibus definitam, quae apud veterum legum conditores *compositio* nominabatur; quam recipit, *si homo occisus fuerit, universo domus:* iudex autem qui pacem armis praesidio suo servavit, operae pretium sumit sive *fredum*; ut refert Tacitus, *partem multae regi vel civitati* concessam.

propiarem habebis de solidis aestimandis opinionem, si apud codices leg. barb. taxationem animalium perlegeris, ut in leg. Burg. tit. IV, parag. 1, 3: *Pro caballo optimo 10 sol., pro cab. mediocri 6 sol., pro bove 2 sol., pro vacca 1 sol., pro ove 1 sol., pro porco 1 sol., pro capra 1 tremiss.* atque item in leg. Alamann. tit. VI, LXXVIII, in leg. Ripuar. tit. XXXVI, parag. 11 et 12, in leg. Saxon. tit. XIX, parag. 1, 2, 3.

I. N.

1 Ingenium hoc legum et institutorum barbarorum illustriss. nostras *Montesquieu* prudentissime explicuit, *Esprit des lois*, XXX, 19.

Non mihi mens est huc loca e codicibus barbarorum deprompta citare; quippe supervacaneum trunca exponere, quae passim in Balusii [1], Canciani [2], Bouqueti [3] voluminibus integra occurrunt. Satius erit passim legere pauca ex magna multitudine argumenta, seu in libris historicorum, seu apud formularum conditores, unde compertum fiat quam penitus in animis nationum septemtrionalium insiti fuerint illi mores, ut ab antiquis temporibus in recentiora secula, quamvis mutato rerum statu et disciplina religionis, duraverint.

Childebertus, anno 595, quum pontificum Christianorum consiliis imbutus, homicidium vehementissime perhorresceret, velletque metu poenarum prohibere, leges exacerbavit novo edicto: *De homicidiis... ita iussimus obrervari, ut quicunque ausu temerario alium sine caussa occiderit, vitae periculum feriatur, et nullo pretio redemptionis se redimat aut componat; et, si forsitan convenerit ut ad solutionem quisque descendat, nullus de parentibus aut de amicis ei quicquam adiuvet* [4]. Etenim moris erat propinquos pro propinquo solvere, si compositioni in solidum solvendae impar esset, ut lex Salica testatur tit. LXI, art. 1.

Sed non evaluit Childeberti iussum ut caedibus Franci parcerent, et compositionibus transigere desisterent.

Timerem ne haec adnotatio nimium excresceret, si omnia quae apud historicos huius aevi reperire est facta ad hos mores pertinentia referrem. Satis sit in testimonium vocare Gregorium Turonensem, qui narrat Childericum Saxonem, occiso Vedaste, filiis eius compositionem persolvisse (VII, 3); Chramnisindum cum Sichario diu armis et direptione villarum decertasse, donec ambo adducerentur ut *accepta securitate componerent, datis sibi invicem sacramentis* (VII, 47); deinde Sicharium eundem, in domo Chramnisindi caenantem, sic locutum fuisse: *Magnas mihi debes referre grates, o dulcissime frater, eo quod interfecerim parentes tuos, de quibus accepta compositione, aurum argentumque superabundat in domo tua* (IX, 19); Eulalium autem *pro multis sceleribus debita nonnulla contraxisse in quibus ornamenta et aurum uxoris saepissime evertebat* (X, 8). Hoc modo Egidius Lupi ducis *pacem emit*, et veniam Childeberti ipsius regis (Greg. IX, 14).

At, si quis non haberet unde compositionem pernumeraret, lex Salica iubebat nocentem de bonis decedere omnibus *ipsi* qui vindicabatur, quod lingua Theotisca vocabatur *chrenechruda*; sed abrogatum omnino a Childeberto fuit. Exinde quisquis scelus suum redimere sua pecunia non poterat, se in servitium *pacto obnoxiationis* tradebat, vel ei cuius offensionem incurrerat, vel ei a quo pecuniam mutuo acceperat in pretium compositionis, ut periculum mortis effugeret. Hoc usitatum fuisse testantur formulae Marculfi (II, 28) et Andegavenses (2, 3).

Eo usque privatae inimicitiae saeviebant, ut vel regiae potestatis intercessione sedari aliquando non possent.

Inter Tornacenses.... Francos non mediocris disceptatio orta est, pro

1 Capitul. Reg. Fr. tom. I.
2 Collect. Leg. barb.
3 Collect. Script. Hist. Fr. tom. IV.
4 Balus. tom. I, p. 18.

eo quod unius filius alterius filium, qui sororem eius in matrimonium acceperat, cum ira saepius obiurgabat, cur, coniuge relicta, scortum adiret: quae iracundia, quum emendatio criminis non succederet, usque adeo elata est, ut irruens puer super cognatum suum, eum cum suis interficeret, atque ipse ab iis, cum quibus venerat ille, prosterneretur, nec remaneret quispiam ex utrisque, nisi unus tantum, cui percussor defuit. Ex hoc parentes utriusque inter se saevientes a Fredegunde regina plerumque arguebantur, ut, relicta inimicitia, concordes fiereat, ne pertinacia litis in maius subveheretur scandalum. Sed, quum eosdem verbis lenibus placare nequiret, utrumque bipenne compescuit: invitatis ad epulum multis, hos tres in uno Jecit sedere subsellio..... Tunc ordinati a muliere viri cum tribus securibus, a tergo horum trium adstiterunt, illisque colloquentibus, in uno, ut ita dicamus, adsultu puerorum manus libratae, hominibus perculsis, ab epulo est discessum (Greg. Turon. X, 27).

Sed mos compositionibus rixas dirimendi etiam in publica negotia influxit, inque ius gentium receptum est. Haec Fredegarius, cap. 45:

Langobardorum gens quemadmodum tributa duodecim millia solidorum ditioni Francorum annis singulis dissolvebant, referam; vel quo ordine duas civitates, Augustam et Siusium, cum territoriis, a parte Francorum cessaverant, non abscondam. Defuncto Cless, ipsorum principe, duodecim duces Langobardorum duodecim annis sine regibus transigerunt; ipsoque tempore, sicut supra scriptum legitur, per loca in regnum Francorum proruperunt; pro ea praesumptione IN COMPOSITIONE *Augustam et Siusium civitates, cum integro illorum territorio et populo, partibus Guntchramni tradiderunt.*

Theodebertus et Childebertus Theodato, regi Italiae, minati sunt se poenas ab eo pro occisa Amalasontha bello repetituros, *si haec*, inquiebant, *quae egisti nobiscum non composueris.* Theodatus autem pacem suam 50,000 aureis redemit (Gregor. Turon. III, 31).

Iura quoque hereditatis ex bellorum privatorum more definita sunt; siquidem filias, quae *suscipere inimicitias patris* non valebant, patrimonium successione dividendum non recipiebat: quod institutum *Brotier* in notis illustravit (ad cap. 20 huius libell.); sed eruditissimum virum fugisse videtur lex quaedam notatu digna.

I. N.

N.° 12. CAP. idem. *Eliguntur in iisdem conciliis et principes, qui iura per pagos vicosque reddant.*

DE GERMANORVM IVDICIIS.

Quum vero, qualis sit reip. structura, pacis praecipue bellique temporibus appareat, et illis iustitia, his virtus praecipue conspiciatur: reliquum est, ut de iudiciis quoque et militia priscorum Germanorum nonnulla addamus. Magna inprimis cura ius dicebant. De criminibus capitalibus, et quidem, ut ego interpretor, ab ingenuorum vel nobilium quodam commissis, teste Tacito, de Mor. Germ., 12, in comitiis agebatur.

Si reus populi suffragiis condemnandus videretur, poenae erant variae, prout vel gravius vel levius habebatur delictum. *Proditores et transfugas arboribus suspendebant, ignavos et imbelles et corpore infames coeno ac palude, iniecta insuper crate, mergebant. Diversitas supplicii illuc respiciebat, tamquam scelera ostendi oporteret, dum puniuntur; flagitia abscondi.* Sed et leviora delicta pro modo equorum pecorumque mulcta coërcebantur [1]. Quod ad privata attinet iudicia, *iura*, eodem Tacito, ibid., teste, *per pagos vicosque reddebant principes, quibus centeni singulis e plebe comites, consilium simul et auctoritas, aderant.* Principes erant (*graven*); comites vero e plebe adiuncti scabini, vel adsessores....... .... Cave vero existimes, operosas ac diuturnas lites Germanis placuisse. Exemplo enim omnia componebantur, caussaque breviter cognita, et auditis testibus, vel re ancipite singulari partium certamini commissa, statim ex aequo bonoque ferebatur sententia, a qua discedere nefas habebatur. Sane de barbaro illo Germanorum ritu, manu finiendi lites, egregius locus exstat apud Velleium Paterculum, II, 118, qui miratos esse refert Germanos, *quod Romani iniurias iustitia finirent, et solita armis discerni, iure terminarentur.* Unde non adeo mirandum, etiam post illa tempora nationibus omnibus originis germanicae, veluti Burgundionibus [2], Alamannis [3], Boiis [4], Langobardis [5], Anglis [6], Danis [7], Francis [8], Saxonibus [9], illam lites dirimendi rationem fuisse familiarissimam. Ex quo etiam reddi poterit ratio, cur tam invisae Germanis fuerint disputationes forenses Romanorum, quas aegrius pene, quam ipsum eorum imperium ferebant. Hinc Quinctilio Varo Romanorum more iura per Germaniam reddere auso, perosi rabularum argutias, ad arma ruebant, caesisque tribus legionibus in caussarum praecipue patronos saeviebant, *quorum uni os sutum*, ait Florus, Histor. IV, 2, *rescissa prius lingua*, additoque dicterio: *Tandem, vipera, sibilare desiste.* Quae omnia satis superque testantur, sine strepitu iudicii lites dirimere consuevisse Germanos, nec vel legum multitudinem, vel vulturum togatorum malitiam, vel lucri cupiditatem lites protelasse, ceu luculenter demonstrat Conringius, de Iudic. reip. Germ. parag. 17.

Heineccius, ibid. I, 1, parag. 25.

N.° 13. Cap. XIII. *Nihil autem neque publicae, neque privatae rei, nisi armati agunt.*

Tunginus aut centenarius mallum indicent; et in ipso mallo scutum habere debent.... Lex Salica, tit. LXVII, art. 1.

1 Tacit. de Morib. Germ. c. 12.
2 Lex Gondabad. tit. 45.
3 Lex Alam. tit. 44, parag. 1; tit. 56, parag. 1; tit. 84.
4 Lex Baiuvar. tit. 2, c. 2; tit. 9, c. 4.
5 Sigon. de Regn. Ital. lib. II, ad ann. 633; Lex Langob. lib. I, tit. 9, parag. 39; lib. II, tit. 35, parag. 3 et 4.
6 Spelmann. Glossar. voce Ordelia.
7 Saxo Gramm. Hist. Dan. lib. V.
8 Greg. Turon. lib. VII, cap. 14, ann. Bertin. ad ann. 820.
9 Ius. prov. Saxon. lib. I, art. 63.

Hoc convenit observare, ut tunginus aut centenarius mallum indicent, et scutum in ipsa malla habere debent.... Ibid. tit. LXIX, art. 1.

Illud quidem barbarum populum sapit: haec vera civilius institutum: *Ut nullus ad mallum vel ad placitum infra patriam arma, id est, scutum et lanceam portet.* Secund. Capit. Carol. M. ad Leg. Baiur. apud Cancian. Leg. Barb. vol. II, p. 398.

Haec iubebat Carolus Magnus, auctoritatis publicae assertor.

I. N.

N.° 14. CAP. idem. *Sed arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverit.*

Quum apud barbaras gentes praecipuum conditionis civilis munus, praecipuus honos in militia ponatur, tumque demum civibus adlegatur quisque, quum armis tractandis sufficiat, *ante hac domus pars, mox reipublicae*, aetas qua quis excedit e pueris et sui iuris fit ab omnibus germanicae stirpis nationibus, *robusta aetas* vel *robur* vocata est. Argumento sit auctor vitae S. Arnulphi: *quumque iam bene edoctus ad ROBUSTAM venisset AETATEM, Gundulfo, rectori palatii.... traditur* (Bouq. Hist. Fr. tom. III, p. 527); et qui scripsit vitam S. Licinii: *postquam ad ROBVSTAM pervenisset AETATEM, protinus pater eius commendavit eum regi* (ibid. p 486; et qui vitam S. Austregisili: *quumque........ a MINORE ad ROBVSTIOREM transisset AETATEM, in obsequia gloriosi regis Guntramni deputatur a patre* (ibid. p. 467).

Aetas autem robusta lege Burgundionum (tit. 88, §. 1) et lege Ripuariorum (tit. 81) ab anno vitae decimo quinto incipit. Hoc fuit cur Guntramnus Childebertum, fratris sui filium, quatuordecim annos natum, scuto lanceaque donaverit ut eum tutela eximeret, adiiciens: *Videte, o viri, quia filius meus Childebertus IAM VIR MAGNVS EFFECTVS EST! Videte et cavete ne EVM PRO PARVVLO HABEATIS* (Greg. Turon. VII, 33).

Et reperias etiam in lege romana eadem significatione usitatam vocem robur: *Quicunque puerum, vel puellam proiectam de domo, patris vel domini voluntate scientiaque, collegerit, ac suis alimentis AD ROBVR provexerit*, etc. etc. (Cod. Theod. V, tit. 7, l. 1).

I. N.

N.° 15. CAP. idem. *Robustioribus..... aggregantur.*

Quemadmodum vero ii solum, quibus cingulum militare sollenniter fuerat datum, milites vel equites dicebantur: ita ritum illum creandi equites, antiquissimum esse, vel ex Tacito, de Mor. Germ. 13, adparet, qui de veteribus Germanis: *Arma*, inquit, *sumere, non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso concilio vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus scuto frameaque iuvenem ornabant. Haec apud illos toga, hic primus iuventae honos: ante hoc domus pars videbantur, mox reipublicae.* Hunc Taciti locum ad ritum hunc creandi milites non abs re refert Struvius, Observ. Halens. tom. II, obs. 3. Sane enim ex eo patet, in Germania non unicuivis fas fuisse,

armis militaribus uti, sed iis demum, quibus id ius more maiorum sollenniter fuerit concessum [1]; denique et illud inde constat, eos, quibus is honor obtigit, insigni aliquo fortitudinis experimento dignos se tantis ornamentis ostendere debuisse. Quae omnia quum etiam in hoc more creandi equites observata sint, nullum profecto dubium est, quin is a Taciti temporibus in Germania diutissime fuerit servatus.

De Francis sane res certissima est, eos ingenuos armis sollenniter incinxisse. Ut enim iam nihil dicam de veteri ritu adoptandi per arma, quem ad hunc morem creandi equites non inepte referre mihi videtur Struvius, Observ. Halens. tom. II, obs. 3, parag. 2, p. 44; nec praesidium petere videar ex tabulis Frisicis, quas malae notae esse, iam Goldastus, *Reichs-Sazzungen*, f. 303, solidissime demonstravit: non desunt sane alia, quae rem conficiunt, veterum testimonia. De Carolo Magno fabulatur Turpinus, Chron. c. 12, p. 73, et c. 20, p. 81: *Galafri amiraldus Coleti illum in provincia exsulatum ornavit habitu militiae in palatio Coleti; et praeparata sunt omnia, ut secundum ritum Christicolarum imperatorum miles fieret.* Certius atque incorruptius de Ludovico quoque Pio testantur annales [2], quod Carolus adversus Avares iturus eum Renburgi, iam appellentem adulescentiae tempora, gladio accinxerit. Idem Ludovicus, teste Aimonio, lib. V, 17, anno 839, *Carolum Calvum in Carisiaco armis virilibus, id est, ense, accinxit.* Ut adeo nullum sit dubium, quin Franci veterem illum maiorum ritum constanter servarint. Quin ante Francos hunc priscum ritum patrium religiose observasse video non modo Herulos, quorum rex arma a Theoderico Ostroghotorum rege accepit [3], sed et ipsos Ostrogothos, quorum rex Athalaricus a Iustiniano imperatore armis accinctus est [4], nec non Langobardos, apud quos Paullo Warnefrido, Hist. Langob. lib. I, 23, teste, consuetudo invaluerat, ut *regis cum patre filius non pranderet, nisi prius a rege gentis exterae arma suscepisset.*

Idem mos ad seculum usque XV mansit in Germania et tam religiose servatus est, ut ne ipsi quidem imperatores illum praetermittendum existimarint. De Henrico IV auctor est Hermanni contracti continuator, ad ann. 1065, Bertold. et Lamb. Schaffnab. ad ann. 1064: *Eum Goslariae accinctum esse gladio, anno regni sui nono, aetatis autem suae decimo quarto, et ducem Godofredum scutarium eius electum.* Et de filio eius Henrico V memoriae prodidit Chronographus Saxo, ad ann. 1102, eum Leodii in paschate anni 1102 gladium accepisse. Ita et de Henrico VI, Fridrici Ahenobarbi filio Albertus Stadensis, ad ann. 1184; Otto de S. Blasio, Chron. c. 26; Godofredus monachus, ad ann. 1184, aliique [5] testantur, *eum anno 1184 militem factum in curia Moguntina cum gloria et honore.* Quin tanti videbatur Germanis hic militiae gradus, ut Con-

1 Vid. quae de nobilitate germanica diximus p. 99 seq.

2 Vita Ludov. Pii, ad ann. 791.

3 Cassiod. Var. lib. IV, e. 2.

4 Idem, ibid. lib. VIII, c. 1.

5 Arnold. Lubec. Chron. Slav. lib. III, c. 9; Dodechin. Chron. Mont. Ser. Chron. Augustan. ad ann. 1184.

radus, Fridrici II filius, iam imperio destinatus, cingulum illud acceperit [1], et Guilielmus, Hollandiae comes, iam ad culmen istud evectus, non sibi videretur honore illo dignus, nisi ante coronationem gladium sollenni ritu accepisset, quam caerimoniam fuse describunt Beks, Chron. Ultrai. p. 77, et Chronici Magni Belg. auctor, ad ann. 1248, p. 244. Imperatores ea in re principes imitabantur. Cuius rei exempla, ut pauca e multis seligam, arma more maiorum sollenniter acceperunt Conradus [2] et Fridericus [3], Sueviae duces; Leopoldus et Fridricus, duces Austriae [4]; Wigbertus Groicensis [5]; Fridricus, landgravius Thuringiae [6]; dux Brabantiae [7]; Otto, dux Brunsvicensis [8]. Nec minus anxie istam dignitatem appetiverunt comites, barones, ipsique nobiles.

HEINECCIVS, ibid. II, 2, parag. 26; 27, 28.

N.º 16. CAP. XIII et XIV. *Nec rubor inter comites adspici. Gradus quin etiam et ipse comitatus habet, iudicio eius, quem sectantur*, etc.

DE COMITIBVS.

Et multis locis Caesar illam singularis commilitii fidem, atque privatos societatis bellicae principatus, commemoravit:

.... *cum DC* DEVOTIS, *quos illi* SOLDVRIOS *appellant: quorum haec est conditio, ut omnibus in vita commodis una cum his fruantur, quorum se amicitiae dediderint. Si quid iis per vim accidat, aut eundem casum una ferant, aut sibi mortem consciscant. Neque adhuc hominum memoria repertus est quisquam, qui, eo interfecto, cuius se amicitiae devovisset, mori recusaret* (de Bell. Gall. III, 22). *Alterum genus est equitum...... Omnes in bello versantur; atque earum, ut quisque est genere copiisque amplissimus, ita plurimos circum se* AMBACTOS CLIENTESQVE *habet* (ibid. VI, 15). *Litavicus*, CVM SVIS CLIENTIBVS, *quibus nefas, more Gallorum, est, etiam in extrema fortuna, deserere patronos, Gergoviam profugit* (ibid. VII, 40.

Ammianus Marcellinus, qui seculo post Caesarem fere quarto, tertio post ipsum Tacitum, floruit, hunc morem apud germanicas gentes retentum in aevo recentiore testatur: *Dum haec aguntur, rex Chnodomarius.... cum satellitibus paucis.... properabat ad castra .... ultro se dedit.. . comitesque eius ducenti numero et tres amici iunctissimi, flagitium arbitrati post regem vivere, vel pro rege non mori, si ita tulerit casus, tradidere se vinciendos* (XVI, 12). *Quatuor comites eius* (Hortarii regis), *quo-*

1 Petr. de Vineis, lib. III, epist. 29.
2 Chron. August. ad ann. 1284.
3 Gunther. in Ligurin. lib. II, v. 157.
4 Annales vet. apud Lezium, ad ann. 1104 et 1125.
5 Chron. Bigaug. p. 243.
6 Hist. landgr. Thur. c. 145.
7 Alb. Argent. ad ann. 1294.
8 Leibnit. Script. rer. Brunsv. tom. II, p. 61.

rum ope et fide maxime nitebatur, *non ante absolvit quam*, etc. (ibid. XVII, 10).

Unde compertum habetur usu continoatum fuisse, non denoo inventum, apud Francos militare illud sodalitium, eorumque officia dignitates, quus passim in legibus et historiis nominatos *fideles*, *leudes*, *nutritios*, *antrustiones*, *gazindos*, *amicos* cernere est. Neque solum regum fuit clientes habere; sed privati quoque homines, dum opes sufficerent, manum sibi fidelium devinxere. *Quod si homo ingenuus in obsequio alterius inculpatus fuerit*, etc. (Leg. Sal. tit. XXXI, parag. 1). *Liber homo qui sub tutela nobilis cuiuslibet erat*, etc. (Leg. Sax. tit. XVII, parag. 1). *Si quis liberum hominem occiderit, solvat parentibus suis, si habet; si autem non habet, solvat duci, vel cui* COMMENDATVS FVIT, DVM VIXIT (L. Baiuv. tit. III, cap. 13, parag. 1).

Manum illam *devotorum* Marculfus *arrimanniam* appellat (I, form. 18). Pro stipendio *convivia*, *frameas*, *equos* data fuisse, quum in incultis Germaniae regionibus degerent atque vagarentur, luculenter Tacitus enarrat. Postquam vero Franci in Galliam invaserunt, in locum epularum ceterorumque huiuscemodi beneficiorum praedia et villas, unde originem feoda duxerunt, concessa fuisse, prudentissime edisseruit illust. *Montesquieu* (*Esprit des Lois*, XXX, 3), cuius interpretationem, neque satis verecunda, neque validis argumentis suffulta disputatione, refellere aggressus est *Mably* (*Observ. sur l'Hist. de Fr.* I, 4, note 5).

Adeo recentior beneficiorum terrenorum usus cum pristino epularum donativorumque mobilium more continens fuit et fere idem, ut vulgari medii aevi sermone haec utriusque similitudo et unitas referatur. Siquidem *nutritios* tum appellabant eos qui se vel regis vel magnatis alicuius obsequio et clientelae singulari devotione devinxerant, *Ducange* (Gloss. med. Latin. h. v.), et auctores multi qui Vitas Sanctorum scripserunt, coactanei aliique, hoc testantur. Balthildis regina plurimos optimates adversos habuit *quos ipsa dulciter nutrierat* (Vit. S. Balth. apud Bouq. Coll. hist. Fr. tom. III, p. 574). Wandregisilus in Dagoberti aula fuit *nutritus et suis olim ministeriis adscitus* (Vit. S. Wand., ibid. p. 562). Pippinus Heristallensis ducum et optimatum opera usus est, *quos genitor eius nutriverat magnisque honoribus exaltaverat* (Annal. Metens. ad ann. 690). Romanum regis fidelem lex Salica *convivam regis* vocat (tit. XLIV).

I. N.

N.° 17. Cap. XV. *Multum venatibus.*

Adeo Franci, illa veterum Germanorum proles non inficianda, venandi studio ardebant, ut, si quis apud eos accipitrem furaretur, lege Ripuariorum (tit. XXXVI), compositionem duplo maiorem quam pro equo, sexies tanto quam pro bove, solvere iuberetur; lege autem Salica (tit. VI) furtum canis venatici solidis quinque et quadraginta, canis vero pastoritii solidis tribus componeretur. Haec e lege Burgundionum utique notabilia transcribemus:

Si quis canem veltraum (leporarium) *aut segutium* (investigatorem), *vel petrunculum* (cursantem), *praesumpserit involare*, *iubemus ut convi-*

ctus coram omni populo posteriora ipsius osculetur; aut quinque solidos illi, cuius canem involavit, cogatur exsolvere, et mulctae nomine solidos duos. Si quis acceptorem (accipitrem) *alienum involare praesumpserit, aut sex uncias carnis acceptor ipse super testones comedat; aut certe, si noluerit, sex solidos illi, cuius acceptor est, cogatur exsolvere; mulctae autem nomine solidos duos* (Leg. Burg. additam. I, tit. X, 11; apud Cancian. Leg. Barb. Collect. tom. IV, p. 38).

I. N.

N.° 18. CAP. XVI. *Nullas Germanorum populis urbes habitari, satis notum est.*

DE DIVISIONE REGIONVM POLITICARVM.

Singulae civitates, si essent spatiosiores, in certos pagos, vel ut Germani vocabant *gawen* erant descriptae. Sic Suevas *centum pagis habitasse*, et a Caesare, de Bell. Gall. IV, et a Tacito, de Mor. Germ. 39, observatum est [1]. Erat autem pagus tractus, regionem vel maiorem vel minorem complexus, et qui plerumque, ut observat Bebelius, Spicileg. p. 126, ad fluviorum rivorumque ripas pertingebat. Sane et medio aevo pagi complures a fluviis nomen tulerunt, veluti *Rhingow* a Rheno, *Ambragow*, ab Ambra, *Emsgaa* ab Amisio, pagus *Horla* ab Orla, pagus *Ilmin* ab Ilmo, *Patherga* a Padera, pagus *Plisni* a Plissa, pagus *Starmariorum* a Stura, reliqua. Alii tamen a silvis nomen consecuti sunt, ut *Hartingaw*, a montibus Harzicis; *Ardingaw* vel *Arduennensis* pagus a silva Arduenna, *Bochavia* a silva Buchonica, *Vasagensis* pagus a silva Wosago [2], *Speshart* [3] a silva eiusdem nominis. Alii ab ipsis gentibus germanicis, antiquis eorum colonis, nomen servasse videntur, veluti pagus *Angeri* vel *Angergovia* [4] ab Angrivariis, *Bardangoa* a Longobardis, *Emsgaa* in Frisia ab Amsivariis, *Condrusorum* pagus a Condrusiis ad Mosam, pagus *Hassarum* vel *Hassingoa* [5] a Cattis, *Hamaland* a Chamavis; *Menapiscus*, apud Iac. Meyerum, Annal. Flandr. ad ann. 1031, a Menapiis; pagus *Suevan* vel *Suavia* a Suevis Budam accolentibus; pagus *Bathua*, hodie *Betuwe* a Batavis; pagus *Narthuwanti* in Traditionibus Werthinensibus [6] a Tubantibus; pagus *Toxandra* a Toxandris, cetera. Unde etiam patet, antiquissima esse haec pagorum nomina, ex iisque veteris Germaniae gentes earumque sedes optime restitui posse. Unde merito optandum, ut paullo accuratiorem eorum omnium haberemus notitiam.

1 Et potiti Galliis Franci etiamtum hanc regionum divisionem retinuerunt; unde *pagenses* civile nomen barbarorum. (I. N.)

2 Toeln. Hist. Pal. p. 58, 68.

3 Vid. Excerpta ex Codice dipl. Fuld. apud Iunck. Geogr. med. aevi, p. 298.

4 Brower. Antiq. Fuld lib. III, c. 11.

5 Meibom. de Pagis, p. 101; Tradit. Fuld. apud Pist. p. 571; Hert. de Pop. Germ. part. II, c. 2, parag. 9, p. 88.

6 Leibnit., Script. rer. Brunsv. tom. I, p. 102.

In singulis pagis non quidem urbes, quas sero condere coeperunt Germani, sed castella quaedam fuere et vici quamplurimi. Diserte enim Tacit. de Morib. Germ. 16: *Nullas*, inquit, *Germanorum populis urbes habitari, satis notum est, ne pati quidem inter se iunctas sedes. Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant, non in nostrum morem connexis et cohaerentibus aedificiis: suam quisque domum sp tio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive inscitia aedificandi.* Vicos ergo inhabitabant Germani, eorumque eadem fere facies erat ac hodie. Dominus agri aedes sibi familiaeque suae in ipso agro exstruebat, eo loco, qui vel ob campum, vel fontem, vel nemus placebat. *Silvarum* enim *et fluminum propinquitates*, quod et de Gallis observat Caesar, de Bell. Gall. VI, 30, *quam maxime adpetebant.* Hinc tot vicorum nomina in *born, brunnen, bach, ag* vel *ach* (quod antiquis aquam notavit [1]). *Feld, hayn* vel *hagen, leben* vel *laube* etiamnum desinunt. Prope domini aedes tuguria casasque extemporali opera [2] excitabant servi, id est rustici, qui tamen, more etiamnum in pagis nostris recepto, non iungebant aedes, sed magna relinquebant spatia, quae hodie areis, hortis aliisque usibus destinantur. Eiusmodi ergo aedium systema *vicus* vocatur Tacito.

HEINECCIUS, ibid. I, 1, parag. 12, 13.

N.° 19. CAP. XVIII. *Quamquam severa illic matrimonia.*

DE MATRIMONIIS.

In vetustissima liberaque Germania sponsalia facta videntur per coëmptionem. Is enim, qui virginem ambiebat, cum eius parentibus ac propinquis primo paciscebatur de pretio, quo maritus sponsam sibi coëmere decrevisset. Quod si ergo placeret gener, et inter eos de pretio convenisset, despondebatur puella, diesque dicebatur nuptiis. Revera ergo sponsalia emptionis; nuptiae traditionis instar erant. Idque his paucis, ut solet, verbis observat Tacitus, de Mor. Germ. 18: *Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert. Intersunt parentes et propinqui, ac munera probant.* Hic quoque, suo more, Romanorum Germanorumque mores inter se contendit Tacitus, adeoque primo observat, dotis, cuius promissione in Germania sponsalia constiterint, longe aliam, ac apud Romanos fuisse rationem: Romae olim non solum uxorem maritus, sed et praecipue maritum uxor coëmebat. Diserte Varro apud Nonium, de Propriet. serm. c. 12, n. 50: *Nubentes veteri lege romana asses tres ad maritum venientes solebant ferre, atque unum, quem in manu tenebant, tanquam emendi caussa, marito dare; alterum, quem in pede habebant, in foco larium familiarium ponere; tertium, in sacciperione quem condidissent, compito vicinali solere resignare.* Quem locum egregie nuper explicavit eruditissimus Gundlingius noster [3]. Germanis vero honestius videbatur, contractum hunc a marito incipere. Atque hinc non modo *dotem non uxor marito, sed uxori maritus offerebat*, postquam nuptiae coaluissent, verum etiam ipse sponsus soluto pretio sibi coëme-

1 Paullini Hist. Isenac. p. 1.
2 Strabo, Geogr. lib. VII, p. 291.
3 Gundl. Diss. de Emptione uxorum, c. 1, parag. 14.

bat uxorem futuram. Et de hoc pretia intelligenda esse munera illa sponsalitia, vel inde colligo, quod sub eadem tempora lege sanxisse apud Danos dicitur Frotho III, ne quis duceret uxorem, nisi pecunia sua coemptam [1]. Deinde quum Romae liberi non utriusque parentis, ac multo minus propinquorum, sed patrum tantum voluntate desponderentur [2]: hac quoque in re maiorem cognationis rationem habebant Germani, apud quos, ut idem Tacitus observat, sponsalibus *intersunt parentes et propinqui, ac munera* (id est, tum pretium pro sponsa oblatum, tum promissam eidem dotem) *probant*. Tertio, quum munera Romanorum ve in fundis vel in argento aliisque bonis, ac potissimum etiam in mundo muliebri et supellectile consisterent: hac quoque in re alia omnia inter Germanos reperit Tacitus. Hinc pergit: *Munera non ad delicias muliebres quaesita, nec quibus nova nupta comatur, sed boves et frenatum equum, et scutum cum framea gladioque.* Scilicet pecuniam ignorabant Germani, praecipuaeque eorum opes in pecore consistebant, quas *solas easque gratissimas Germanorum opes* appellat Tacit. de Morib. Germ. 5. Nec multum tribuebant vel supellectili vel mundo muliebri, quo ad insaniam usque delectabantur mulieres Romanorum. Praecipuum Germanorum ornamentum erant arma, quippe qui *nihil neque publicae, neque privatae rei nisi armati agebant* (Tacitus, ibid. 13), adeo, ut et *ad negotia, nec minus saepe ad convivia procederent armati* (ibid. 22). Hinc non mirum, apud Germanos pretium, quo sibi coëmebant uxores, neque in pecunia numerata, neque in mundo muliebri, neque in utensilibus et supellectile splendida, sed in pecore et armis constitisse.

Talis erat sponsaliorum ratio temporibus Taciti. Ab ea vero non multum discesserunt gentes, quae media aevo Irruerunt in Germania, ac deinde sub Francis in unum pleraeque coaluerunt imperium. Sane enim et apud has receptum fuisse, ut sibi sponsas oblato pretio coëmptas stipularentur, ex earum legibus clarissime elucet. In lege Wisigothica, lib. III, tit. I, parag. 2, munus parentibus in sponsalibus promissum vocatur pretium. Verba sunt talia: *Si inter sponsum et sponsae parentes, aut cum ipsa forsan muliere, quae in suo consistit arbitrio, data pretio, sicut consuetudo est, et ante hastes facto placito, de futura coniugio facta fuerit definitio.* En hic mores germanicos a Taeito descriptos. Saltim quid per *hostes* intelligas, paullo obscurius: si legeris *hastas*, res clarior evadet. Wisigothi enim uxores coëmebant publice et sub hasta iudiciali; unde et *placiti*, id est decreti iudicialis fit mentio. In lege Burgundionum, tit. XXXVI et LXI, itidem pro sponsa *pretium nuptiale*, et *pro pretio sponsae aliquid datum esse* dicitur (ibid. tit. XXXIV, art. 2). In lege Langobardica, II, tit. I, par. 5, mentio fit *metae*, vel *mundii*, *quod pro puella detur.* Ubi *meta* nihil aliud est, quam germanicum *miethe*, quod maioribus nostris non solum locationem, sed et quamvis mercedem denotabat, ut copiose demonstravit Eccardus, ad leg. Sal. p. 60 seq.; *mundium* vero mutilum est ex germanico *wittemund*, quod et in lege Burgundica, tit. LXVI, occurrit, et a germanica *wiedmen*, id est des inare, trahit originem (Schilt. Exerc. 36, parag. 64). Ut adeo

[1] Saxo Grammat. lib. V, p. 88.
[2] Princ. Inst. de Nuptiis, et ibi interpretes.

meta vel *mundium* nihil aliud sit, quam pretium, quod sponsus destinabat promittebatque in ipsis sponsalibus, ut eo pretio sibi illam coëmeret. Omnium vero apertissime puella emi dicitur in lege Saxonica, tit. IX, in qua et haec occurrunt: *Qui feminam ab alio desponsatam rapuerit, CCC patri puellae, CCC sponso componat, et insuper CCC solidis emat eam.* Et sub finem huius legis, tit. XVII: *Lito regis liceat uxorem emere, ubicunque voluerit.* Multo maius ergo pretium uxori statuerunt Saxones, quam Franci, qui, ut paullo post demonstrabimus, solido et denario sponsam coëmebant. Sed quum et Saxonibus res angustior domi esset, pecora et frumenta in solutum dabant, eco ex eadem Saxonum lege, tit. XVIII, luculenter patet, et iam observavit laudatissimus Gundlingius, de Coëmpt. uxor. c. 1, parag. 25, p. 26. Quemadmodum ergo dubitari non potest, quin et medio aevo sponsalia coëmptione vetere more Germanorum contracta sint: ita et illud retinuerunt gentes istae germanicae, quod non nisi parentum ac propinquorum consensu despondere paterentur filias. Exemplo sit lex VVisigothica, III, tit. I, parag. 2, qua cautum est: *Si quis puellam cum voluntate patris aut aliorum propinquorum parentum,* (*parentes* hic sunt cognati, ut apud Gallos *les parens*) *sponsatam habuerit, et ipsa puella contemnens voluntatem parentum, ad alium contendens, parentibus contradicat, ut illi non detur, cui a parentibus fuerit pacta; hoc ita eam nulla modo facere permittimus.* Ergo et apud Gothos intererant parentes et propinqui, et munera probabant. Idque adeo erat necessarium, ut puella sine necessariorum consensu et consilio marito inaequali nubens eorum hereditatis exsors haberetur (lex Wisigoth. lib. III, tit. I, parag. 7 et 8). In eo facta quaedam videtur mutatio, quod sponsi non amplius sola pecora et arma, verum etiam agros, praedia, pecuniam offerrent pro puellis, quarum nuptias prensabant. Idque eo minus videtur mirandum, quo magis constat, iam Taciti aevo *pecuniam noscere coepisse Germanos* (Tacit. de Mor. Germ. 5; Herod. Hist. VI, 7).

Sed et Franci ab hoc ritu non discesserunt. Namque et hos sibi sponsas coëmisse, vel ex eo adparet, quod sponsalia ex lege Salica per *solidum* et *denarium* contraherentur. Scilicet is, qui sponsam ambiebat, praesentibus laudantibusque parentibus et propinquis offerrebat solidum et denarium, eoque tanquam pretio sibi coëmebat puellam, dotem postea ipsi traditurus, simul ac sponsa in torum concessisset. Hinc in formula Bignoniana, c. 5, apud Baluz. Capitular. tom. II, pag. 498, legimus: « Dum Dominus ab initio concessit in veteri testamento et praecepit, ut relinquat homo patrem et matrem, et adhaereat suae uxori, ut sint duo in carne una, et quod Dominus coniunxit, homo non separet. Ego enim in Dei nomine ille, dulcissimae coniugi meae illi. Dum et ego te per *solidum* et *denarium* secundum *legem Salicam* visus fui sponsare, ideo in ipsa amoris dulcedine dabo ergo tibi a die praesente, quod in perpetuum volo esse mansurum, rem proportione mea in loco, etc. » Talis etiam est formula haec Lindenbrogiana, 75: « Dulcissima atque amantissima sponsa mea, nomine illa, ego in Dei nomine ille. Igitur dum taliter parentibus nostris utriusque partis complacuit, atque convenit, ut ego te *solido* et *denario* secundum *legem Salicam* sponsare deberem,

quod ita et feci, similiter complacuit nobis, atque convenit, ut de rebus proprietatis meae tibi aliquid in dotis titulum condonare deberem, quod ita et feci. Idcirco, etc.» Nec minus huc pertinet formula apud Pithoeum, in Glossar. ad leg. Sal. tit. XLVI, apud Baluz. tom. II Capitular. p. 696: *N. filius N. puellam ingenuam, nomine N. illius filiam per solidum et denarium secundum legem Salicam et antiquam consuetudinem desponsavit.* Ne vero existimes, in solis his formulis huius ritus occurrere vestigia, illustre huiusmodi desponsationis exemplum exstat apud Fredegarium, Epit. 18, qui de Chlodovci et Chrotildis sponsalibus haec refert: *Legatos ad Gundebaldum dirigit, petens, ut Chrotildem neptem suam ei in coniugium sociandam traderet. Quod ille denegare metuens, et sperans amicitiam eum Chlodoveo inire, eam daturum spondet. Legati offerentes solidum et denarium, ut mos erat Francorum, eam partibus Chlodovei sponsant, placitum ad praesens petentes, ut ipsam ad coniugium traderet Chlodoveo.* Ergo et haec coëmptio fiebat interposito decreto, quod tunc vulgo placitum appellabatur. Nihil aliud vero erat haec denarii et solidi traditio, quam imaginaria quaedam coëmptio sponsae, et veluti arrha dotis postea tradendae, ceu certe animadverterunt Fr. Pithoeus, in Glossar. ad leg. Salic. ib., et Bignonius ad form. Bignon. V, p. 980, apud Baluz. tom. II Capitul. Quamvis vero hic sponsaliorum ritus, ceu hactenus vidimus, constanter ex *lege Salica* repetatur: in ea tamen diserte ille non describitur, nisi quod de viduae nuptiis ita cavetur (lex Sal., tit. XLVI): *Ille qui viduam accipere vult, cum tribus testibus, qui approbare debent, tres solidos aeque pensantes et denarium habere debet. Et hoc facto, si eis convenit, viduam accipiat.* Et paucis interiectis: *Si tres solidos et denarium ille, cui reippus debetur, acceperit, tum eum legitime accipiat.* Quae loca paullo post explicabimus pluribus. Ex iisdem vero locis hactenus allegatis discimus, apud Francos etiam sponsalia non nisi parentum et propinquorum voluntate fieri potuisse; quod etiam luculenter ex ipsis Capitularibus (Capitular. III, anni 819, parag. 8; Capitul. Car. lib. VII, c. 395) adparet. Illud addo, apud eosdem Francos obtinuisse, ut sponsae porrigeretur *annulus*, unaque *osculum* et *calceamentum*; ac deinde epulas sponsalitias datas, ceu exemplis ostendit Gregorius Turonensis, de Vit. patr. c. 16 et 20. Quo factum, ut et dos saepe per *osculum* vel in *osculo* data dicatur ipsaque dos *osculum*, *oscleia*, *oscleum* vel *osclium* dicatur in chartis vetustis apud Car. *Dufresne*, Gloss. Lat. voce: *osculum*, p 74, tom. III. Similem ritum, quod ad *annulum* attinet, etiam VVisigothos et Langobardos procul dubio a Romanis acceptum servasse, ex VVisig. legibus, lib. III, tit. I, parag. 3; leg. Langob. lib. II, tit. XXXVII, parag. 1, adparet.

Sponsalia sequebantur nuptiae, de quarum ritu itidem paullo parcius disserit Tacitus. Iam supra observavimus, sponsalia nihil aliud fuisse quam coëmptionem imaginariam. Nuptiae ergo erant instar traditionis. Unde Tacitus sponsaliorum nuptiarumque ritus veluti in unum conflasse videtur. Tunc enim maritus dotem promissam tradebat, et a muliere vicissim aliquid armorum accipiebat, quo facto communicato inter se corporis usu complebant matrimonium. Rem paucis ita eloquitur Tacit. de Mor. Germ. c. 18: *In haec munera* (id est boves, equum frenatum, scutum cum fra-

mea gladioque) *uxor accipitur, atque invicem ipsa armorum aliquid viro affert. Hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos coniugales Deos arbitrantur.* Hic quoque ad Romanorum ritus alludit auctor gravissimus. Sanctissimus nuptiarum ritus erat confarreatio, qua certis verbis et testibus praesentibus, et sollenni facto sacrificio, in quo panis quoque farreus adhibebatur, uxor conveniebat in manum mariti (Dionys. Halic. lib. II, p. 95; Ulpian. Fragm. tit. IX, parag. 1; tit. XI, par. 13; tit. XXII, par. 14). *Hoc* apud Romanos *maximum vinculum, haec arcana sacra, hos coniugales Deos arbitrabantur.* Aliud ergo in Germania deprehendebat Tacitus, ubi armorum facta commutatione uxor in manum mariti conveniebat. Si caussam quaeras, ea in promptu est. Addit enim Tacit. de Morib. Germ. c. 18: *Ne se mulier extra virtutum cogitationes, extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in proelio passuram ausuramque. Hoc iuncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant: sic vivendum, sic pereundum: accipere se, quae liberis inviolata ac digna reddat, quae nurus accipiant, rursusque ad nepotes referunt.* Tota scilicet natio Germanica spirabat bellum, eiusque periculi ne uxores quidem expertes erant, quippe quae una profectae in proelium milites passis crinibus flentes implorabant, ne se in servitutem traderent (Caesar. de Bell. Gall. I, 51). Eaedem vulnera exsugebant, cibos et hortamina pugnantibus gestabant, inclinatas et labantes acies constantia precum, et obiectu pectorum, et monstrata protinus captivitate restituebant (Tacit. de Mor. Germ. cap. 7 et 8; idem Histor. IV, 18). Ut ergo inusitati huius aliis gentibus officii mulieres admonerentur in ipsis nuptiis, non abs re armorum commutationem symbolum connubii Germanici luculentissimum iudicabant. Plura non addit Tacitus; sed vix dubitandum, quin hic quoque epulis largius indulserint Germani, quippe qui teste eodem, de Mor. Germ. c. 22, *de reconciliandis invicem inimicis et iungendis affinitatibus, et adsciscendis principibus, de pace denique et bello, plerumque in conviviis consultant.*

Nec solum Taciti aevo ritus iste communicandi boves et arma viguit, verum etiam media aetate, quum nondum Germani Christo nomen dedissent, immo et postea passim servatus videtur. Sane si Eddae Islandicae, Part. I, fab. 73, credimus, etiam Gothis sollenne fuit gladium evaginatum thalamo imponere; id quod de iisdem etiam observat Saxo Grammaticus, lib. IX, p. 179. Apud Frisios, teste Heimb. Walth. Chron. Fres. I, c. 2, sponsae domum deducendae ensis strictus praeferebatur. Sed et in Carniola in nuptiis adhiberi gladium, apud Valvasorem legere me memini, cuius verba iam evolvere non licet.

Heineccius, ibid. II, 13,
parag. 2, 3, 4, 8, 9.

N.° 20. Cap. XX. *Sui cuique liberi.*

Vere quidem; at apud bellicosam gentem terra salica ad lanceam, seu ad filios, non vero ad fusum, seu ad filias, pertinebat. Nec apud Germanos ullum erat testamentum. Iis ignota ars illa, qua penes Romanos,

hereditatis firmandae servandaeque specie, plerumque hereditas pervertebatur, semper imminuebatur. Germanorum hereditas ad liberos tota transibat. Quibus tamen successionum legibus docendum.

DE SVCCESSIONVM LEGIBVS APVD GERMANOS.

Germanicarum successionum leges habet lex Salica, tit. LXII, de Alodis, leg. 1: *Si quis mortuus fuerit, et filios non dimiserit, si pater aut mater superstites fuerint, in ipsam hereditatem succedant.*

Leg. 2: *Si pater et mater non superfuerint, et fratrem aut sororem dimiserit, in hereditatem ipsi succedant.*

Leg. 3: *Si isti non fuerint, tunc soror matris in hereditate succedat.*

Leg. 4: *Si vero soror matris non fuerit, sic soror patris in hereditate succedat.*

Leg. 5: *Et postea sic de illis generationibus, quicunque proximior fuerit, ipsi in hereditate succedant, qui ex genere paterno veniunt.*

Leg. 6: DE TERRA VERO SALICA IN MVLIEREM NVLLA PORTIO HEREDITATIS TRANSIT, SED HOC VIRILIS SEXVS ACQVIRIT, HOC EST, FILII IN IPSA HEREDITATE SVCCEDVNT. SED VBI INTER NEPOTES AVT PRONEPOTES, POST LONGVM TEMPVS, DE ALODE TERRAE CONTENTIO SVSCITATVR, NON PER STIRPES, SED PER CAPITA DIVIDANTVR.

Ex his legibus, sexta potissimum insignis est. Quae ut intelligatur, advertendum, in hac temporum antiquitate Germanos, uti observat eruditus Eccardus, habuisse domum, quam vocabant *Sal*; circa domum fuisse *Salbuck*, seu curtim, gallice *courtil*, spatiumve terrae, domui circumdatum, et saepe cinctum. Spatium illud cum domo est *Seliland*, seu terra salica, quae ad solos filios pertinebat: nec immerito, quum filiae in aliam domum terramque salicam nuptiis transirent.

His praemonitis, nihil manet difficultatis. Legem Salicam firmat tantum et explicat lex Ripuariorum, tit. LVI, de Alodibus:

Leg. 1: *Si quis absque liberis defunctus fuerit, si pater materque superstites fuerint, in hereditatem succedant.*

Leg. 2: *Si pater materque non fuerint, frater et soror succedant.*

Leg. 3: *Si autem nec eos habuerit, tunc soror matris patrisque succedant. Et deinceps usque ad quintum geniculum (id est, ad quintam generationem), qui proximus fuerit, in hereditatem succedat.* SED QVVM VIRILIS SEXVS EXSTITERIT, FEMINA IN HEREDITATEM AVIATICAM NON SVCCEDAT.

Hereditas illa aviatica, aliis paterna, aliis alodium, aliis terra salica dicta eadem et una res est, quae ad virilem sexum, non ad muliebrem pertinebat. Plurimos adhuc Germanorum usus edocet lex Angliorum et Werinorum, tit. VI, *de Alodibus*.

Leg. 1: HEREDITATEM DEFVNCTI FILIVS, NON FILIA SVSCIPIAT. SI FILIVM NON HABVIT QVI DEFVNCTVS EST, AD FILIAM PECVNIA ET MANCIPIA, TERRA VERO AD PROXIMVM PATERNAE GENERATIONIS CONSANGVINEVM PERTINEAT

Leg. 2: *Si autem nec filium habuit, soror eius pecuniam et mancipia: terram proximus paternae generationis accipiat.*

Leg. 3: *Si autem nec filium, nec filiam, neque sororem habuit, sed*

matrem tantum superstitem reliquit, quod filio vel soror debuerunt, mater suscipiat, id est pecuniam et mancipia.

Leg. 4 : *Quod si nec filium, nec filiam, nec sororem, aut matrem dimisit superstites, proximus, qui fuerit paternae generotionis, heres ex toto succedat, tam in pecunia atque mancipiis, quam in terra.*

Leg. 5 : *Ad quemcunque hereditas terrae pervenerit, ad illum vestis bellica, id est lorica, et ultio proximi, et solutio leudis* (id est compositionis, seu Weregildi) *debet pertinere.*

Leg. 6 : *Mater moriens filio terram, mancipia, pecuniam dimittat, filiae vero spolia colli, id est murenas, nuscas* (seu fibulas), *monilia, inaures, vestes, armillas, vel quidquid ornamenti proprii videbatur habuisse.*

Leg. 7 : *Si nec filium, nec filiam habuerit, sororem vero habuerit, sorori pecuniam et mancipia, proximo vero paterni generis terram relinquat.*

Leg. 8 : *Usque ad quintam generationem paterna generatio succedat. Post quintam autem filio ex loco, sive de patris sive matris parte, in hereditatem succedat, et tunc demum hereditas ad fusum a lancea transeat.*

Veterem Germanorum usum mutavere Burgundiones, ut patet ex eorum lege, tit. XIV, de Successionibus, leg. 1 : *Inter Burgundiones id volumus custodiri, ut si quis filium non reliquerit, in loco filii filia in patris matrisque hereditate succedat.* Nec aliter lex Saxonum, tit. VII, de Heredibus, leg. 1 : *Pater aut mater defuncti filio non filiae hereditatem relinquant*; leg. 4 : *Qui defunctus non filios, sed filias reliquerit, ad eas omnis hereditas pertineat; tutela vero earum fratri vel proximo paterni generis deputetur.*

Nihil vero veteris moris mansit apud Wisigothos, qui filiorum filiarumque ius commune fecere. Sic enim lex Wisigothorum, lib. IV, tit. II: *Ut sorores cum fratribus aequaliter in fratrum hereditate succedant*; leg. 1 : *Si pater vel mater intestati discesserint, tunc sorores cum fratribus in omni parentum facultate, absque aliquo obiectu, aequali divisione succedant.* Aliae sunt plurimae eadem de re earum leges.

Apud nos vero, in regnatrice domo, viget et in immensum aucta lex Salica, egregium imperii decus, et securitatis publicae tutamentum.

Brotier.

N.° 21. Cap. XXI. *Convictibus et hospitiis non alia gens effusius indulget.*

DE HOSPITALITATE.

In prisca Germania nulla erant diversoria publica, nullae tabernae et cauponae; et tamen nusquam commodius iter faciebant Germani quam per ipsam Germaniam. Ait enim Caesar, de Bell. Gall. VI, 23: *Hospites violare nefas putant. Qui quove de caussa ad eos venirent, ab iniuria prohibent, sanctosque habent; iis omnium domus patent, victusque communicatur.* Gemina de Celtis, id est, Gallis et Germanis Diodorus Siculus, lib. V, p. 306: Καλοῦσι δὲ καὶ τοὺς ξένους ἐπὶ τὰς εὐωχίας, καὶ μετὰ

τὸ δεῖπνον ἐπερωτῶσι, τίνες εἰσὶ, καὶ τίνων χρείαν ἔχουσιν· *Ad convivia hospites etiam invitant, iisque finitis, tum demum qui sint, quid venerint, sciscitantur.* Eamdem laudem paullo post Germanis tribuit Tacitus, de Morib. Germ. c. 21 : *Convictibus et hospitiis non alia gens effusius indulget. Quemcunque mortalium arcere tecto, nefas habetur: pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. Quum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii et comes, proximam domum non inviti adeunt. Nec interest; pari humanitate excipiuntur. Notum ignotumque, quantum ad ius hospitii, nemo discernit. Abeunti, si quid poposcerit, concedere moris: et poscendi invicem eadem facilitas.* Non ergo tum opus erat hospitiis et diversoriis publicis. Quocunque enim institueretur iter, a notis ignotisque excipiebantur peregrinantes, nullo licet soluto pretio. Consuetudo ista, quamvis hodie vix fidem inveniat, media etiam aevo mansit; saltim in Inferiore Germania, et maxime in provinciis septemtrionalibus, de quibus adhuc seculo undecimo scribit Adamus Bremensis: *Quamvis omnes Hyperborei hospitalitate sint insignes, praecipue sunt nostri Sueones, quibus est omni probro gravius, hospitium negare transeunti, ita, ut certamen habeant inter se, quis dignus sit, hospitem recipere, cui omnia exhibent humanitatis iura, quot illic commorari voluerit diebus, ad amicos suos illum certatim per singulas dirigit mansiones.* De eadem septemtrionalium gentium hospitalitate plura commentatur Hugo Grotius, Proleg. ad Hist. Vandal. p. 35, cuius scrinia compilare nefas duco.

Heineccivs, ibid. II, 7, parag. 13.

N.º 22. Cap. XXII. *Ad convivia, procedunt armati .... Crebrae, ut inter vinolentos, rixae.*

Hinc lex Salica, tit. XLVI: *Si in convivio ubi quatuor aut quinque fuerint homines, unus ex ipsis interfectus fuerit, illi qui remanent aut unum convictum reddant, aut omnes illius compositionem collectent; quae lex usque ad septem qui fuerint in convivio illo convenit observari.*

Si vero in illo convivio plus quam septem fuerint, non omnes teneantur obnoxii; sed quibus fuerit imputatum, illi secundum legem componant.

Huius rei, quae in legem non cecidisset, nisi fuisset usu pervulgata, exemplum affert Gregorius Turonensis, IX, 19.

I. N.

N.º 23. Cap. XXV. *Per familiam ministeriis.*

Vidimus Annal. XIV, 43, Pedanium Secundum, qui in una domo ipsaque in Urbe quadringentos servos haberet. Divisa inter eos ministeria, aut potius ministeriorum nomina, quae passim occurrunt in veteribus inscriptionibus, ac maxime apud Cll. Piranesi, Gori, ceterosque qui sepulcralia Romanorum monumenta illustravere. Haec familia urbana. Alia erat in agris familia rustica: ibi nova ministeria, nova nomina; in quibus plus quidem utilitatis, plurimum adhuc luxus.

Ut colono.

Colonum gallice dicimus, *un Fermier.* At in Germania colonus erat servus.

Hactenus paret.

Licet servus apud Germanos suam sedem habeat, suos penates regat, paret tamen domino, nec habet libertatem: hactenus servus est. Tales fuere apud nos ante quatuor secula, quos servos, *les serfs*, dicebamus. Postea Germani, Romanos imitati, servos habuere, deterioris conditionis; tunc penes eos mansit servorum nomen. Servi vero, ut ita dicam, coloni, dicti sunt lidi. Hoc servorum discrimen patet ex lege Salica, tit. XXX, et ex lege Frisionum, tit. XV.

Uxor ac liberi.

Ac proinde non indigebant servorum ministeriis.

Impune.

Non impune inimicum occidebant, siquidem homicidium numero pecorum luebatur. Suum vero servum occidere impune erat. Sed si quis alienum servum occideret, tunc solvendum erat servi domino pretium. Iode in lege Salica, tit. XI, leg. 2: *Si quis alienum servum furaverit, aut occiderit, aut vendiderit, aut ingenuum dimiserit, et ei fuerit adprobatum*, MALB. TEU TEXACA, M CCCC *den. qui faciunt sol.* XXXV (gall. mon. lib. 458), *culpabilis iudicetur, excepto capitale et delatura. De ancilla vero solidos* XXX (gall. mon. lib. 393). (Capitale vero gallice dicitur, *le capital, le prix de la chose.* Delatura, *les frais de iustice*).

Libertini.

Servi, si manumitterentur, libertatem adipiscebantur, et nuncupabantur liberti. Ordo illorum hominum, libertinorum dicebatur, non vero libertorum, ut recte observat cl. Ernestus. Quum invaluit pecoiniae usus, servi manumittebantur, excusso ex eorum manu coram rege, vel civitate, denario. Unde homines isti *denariati* appellati sunt. Apud Germanos non multum supra servos erant; et si sine liberis mors eis obvenisset, eorum hereditas ad fiscum pertinebat, ut docet lex Ripuariorum, tit. LVII, leg. 4: *Si autem homo denariatus absque liberis discesserit, non alium nisi fiscum nostrum heredem relinquat.*

Quae regnantur.

Apud Germanorum gentes, quae regnabantur, vitiis regum abutebantur liberti, ut sibi potentiam struerent. Qua structa, super ingenuos et super nobiles ascendebant. Quanto enim humilius fuit hoc hominum genus, tanto est superbius. Eamdem, aut potius, ob imperii magnitudinem, immensam libertorum libidinem sub imperatoribus Claudio, Nerone, Galba vidimus. Vide et cl. *de Montesquieu (Esprit des Lois*, XV, 19).

Ingenuos, et super nobiles.

Hic videmus quatuor conditionum discrimina, nobiles nempe, ingenuos, libertinos, servos. Nobiles genere, dignitate, muneribus praecellebant. Ingenui origine stirpeque liberi, atque etiam, quum postea exigebantur tributa, a tributis immunes. Vide Gregorium Turonensem, lib. VII, c. 15. Libertini, qui, prius servi, fuerant manumissi: nondum tamen erant ingenui, sed libertini tantum, et libertinitatis obsequiis devincti. Servi autem, licet coloni, quum non essent sui iuris, sed alienae potestatis, vere serviebant. Illa conditionum diversitas saepe memoratur in veteribus Germanorum legibus. Eam quoque videre est apud Saxonem Grammaticum in legibus Frothonis, Danorum regis, quas egregie explicavit cl. *Mallet*, *Introduction à l'Histoire de Danemarck*, p. 111. Quomodo autem quis, non natus ingenuus in ingenuitatem assereretur, docent veteres formulae, form. 12, de Ingenuis etc: *Qui debitum sibi nexum relaxat servitium*,[1] *in futuro apud Dominum sibi retribuere confidot. Igitur ego in Dei nomine ille N. pro remedio animae meae, vel aeterna retributione, servum iuris mei nomine illum N. ingenuum esse praecipio, et in sacrosancta ecclesia beatissimi Sancti illius N. sub praesentia sacerdotum ibidem consistentium ante cornu altaris ob omni vinculo servitutis eum absolvo. Ita ut deinceps, tamquam si ab ingenuis parentibus fuisset natus vel procreatus, eat, pergat partem quam maluerit, et sicut alii cives Romani vitam ducat ingenuam. Et si aliqua procreatio filiorum, vel filiarum, ex ipso orta fuerit, similiter vivat ingenua, et nulli heredum meorum, nec cuicunque aliae personae quicquam debeat servitutis, nec libertinitatis obsequium, nisi soli Deo, cui omnia subiecta sunt; vel prò cuius amore ipsum devotus obtuli*[2] *potrocinium et defensionem cuicunque se elegerit, in omnibus illius perfruatur arbitrio. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si fuerit aliquis ex heredibus meis, vel quislibet persona, qui contra hanc ingenuitatem venire aut eam refragare praesumpserit, illud quod repetit non vindicet, et insuper contra cui litem intulerit, solidos* LX *componat. Et praesens ingenuitas meis vel bonorum hominum manibus roborata cum stipulatione subnixa omnique tempore voleat inconvulsa.*

Nunc vero quanti singulas conditiones fecerint Germani, ex diversis earum pretiis libet aestimare.

DE DIVERSIS APVD GERMANOS PRETIIS

PRO CONDITIONVM DIVERSITATE.

Mirum sane est cl. *de Boulainvilliers* aliosque, in antiqua nostra historia non mediocriter exercitatos, eam, quam supra posuimus conditionum diversitatem negasse, duasque tantum fuisse classes, nobilitatem et servi-

1 Eamdem formulam exhibet Baluz. Capitul. tom. II, p. 475 inter form. Sirmond., ibique post *servitium*, vox *praemium in futuro*, etc. legitur. (I. N.)

2 In form. Sirm. ita legitur: . . . . *devotus obtuli*. Peculiare quod habet, aut inscete laborare potuerit, cessum in perpetuum habeat. *Patrocinium*, etc. (I. N.)

tutem, pervicacius adseverasse. Aliud certe docent veteres nostri scriptores. Idem quoque manifeste adstruunt veteres Germanorum leges.

Sic enim in lege Angliorum et VVerinorum, tit. I, de Homicidiis, leg. 1: *Si quis Adalingum occiderit*, DC *sol.* gallicae monetae lib. 7,860, *componat*; leg. 2: *Qui liberum occiderit*, CC *sol.* gallicae mon. lib. 2,620, *componat*; leg. 4: *Qui servum occiderit*, XXX *sol.* gallicae mon. lib. 390, *componat.* Sic quoque Saxonibus fuere edlingi, frilingi et lassi, id est nobiles, ingenui, et serviles, ut videre est apud Lindenbrogium, in Glossario, p. 1347. Idem patet ex lege Frisionum, tit. XV.

Francis quoque fuere antrustiones, seu nobiles, ingenui, lidi, servi. Inde in lege Salica, tit. LXXIV, de Chreodiba, id est, de Cadaveris combustione, leg. 1: *Si quis hominem ingenuum seu in silva, seu in quolibet loco occiderit, et ad celandum in igne combusserit*, XXIIII M *den. qui faciunt sol.* DC, gall. mon. lib. 7,860, *culpabilis iudicetur*; leg. 2: *Si quis antrustionem vel feminam taliter interfecerit, aut celaverit, aut igne crema-verit*, LXII M (verius LXXII M) *den. qui faciunt sol.* MDCCC, gallicae mon. lib. 23,580, *culpabilis iudicetur*; tit. XXXVIII, de Homicidiis servorum, vel Expoliationibus, leg. 5: *Si quis servum alienum mortuum expoliaverit per furtum, et spolia ipsa plus quam* XL *denarios*, gallicae mon. lib. 13, *valeant, tulerit*, MALB. THEN FRIO MOSIDO, DC *den. qui faciunt sol.* XV, gall. mon. lib. 196, *culpabilis iudicetur*; leg. 6: *Si quis vero homo ingenuus lidum alienum expoliaverit*, MALB. THEV. MOSIDO, MCCCC *denarios*, *qui faciunt solid.* XXXV, gall. mon. lib. 458, *culpabilis iudicetur.*

Servorum vero nomina, quae postea apud Germanos, ut et apud nos, in dignitatum titulos evasere, simul et pretia habet lex Salica, tit. XI, de Servis mancipiis furatis: *Si quis maiorem* (le grand-maltre), *inferiorem* (le maltre d'hôtel), *scantionem* (le bouteiller ou l'échanson), *mariscallum* (le maréchal), *stratorem* (l'écuyer), *fabrum ferrarium*, *aurificem sive carpentarium*, *vinitorem*, *vel porcarium*, *vel ministerialem furaverit, aut occiderit, vel vendiderit, valentem sol.* XXV, gall. mon. lib. 327, MALB. THEVCA TEXARA MCCCC *denarios*, *qui faciunt sol.* XXXV, gall. mon. lib. 458, *culpabilis indicetur*, *excepto capitale et delatura.* Haec sint satis de conditionum diversitate apud Germanos. Vide et cl. *de Montesquieu*, *Esprit des lois*, XXX, 25, et cl. *Gautier de Sibert*, *Mémoires de l'Académie royale des Inscriptions*; tom. XXXVII, p. 541 et seqq.

Impares libertini.

Apud ceteros populos, qui in Germania non regnabantur, libertini erant infra ingenuos ac nobiles; quod certissimum libertatis argumentum.

BROTIER.

N.° 24. CAP. XXV. *Ceteris servis, non in nostrum morem, descriptis per familiam ministeriis, utuntur.*

DE SERVIS.

Hactenus de modis, quibus servi vel nascebantur, vel fiebant, actum est: proximum est, ut quae eorum iam inde ab antiquissimis temporibus

fuerit conditio, eadem cura dispiciamus. Id vero luculenter ostendit Tacitus, de Morib. Germ. c. 25, qui ex instituto de servorum Germanorum conditione disserens: *Servis*, inquit, *Germani non in nostrum morem, descriptis per familiam ministeriis, utuntur*. Ex quibus verbis adparet, Germanorum Romanorumque mores hic inter se contendere Tacitum. Servis Romani ad luxum; Germani ad operas rusticas utebantor. Nondum illo tempore urbanam vitam, coniunctamque eum illa luxuriam degustaverant maiores nostri. Cibi illis simplices, agrestia poma, recens fera, aut lac congelatum [1]. Quibus quum sine blandimentis famem expellerent, non opus profecto iis erat *offuriis*, *ovium fartoribus*, *coquis*, *focoriis*, *ministris convivalibus*, *obsonatoribus*, *obsoniorum erogatoribus*, *invitatoribus*, *structoribus*, *praegustatoribus*, *suppromis*, *pueris ad cyathum et vinum*, quibus refertae erant Romanorum aedes [2]. Iis enim tanto aequiore animo carebant Germani, quanto libentius, eorum moribus, *domus officia omnia uxor et liberi exsequerentur* [3]. Deinde in vestitu, aedificiis omnique supellectile et vitae cultu mira elucebat Germanorum frugalitas, adeoque nulli usui futori fuissent *unctores*, *balneotores*, *tonsores*, *lectisterniatores*, *symphoniaci*, *citharaedi*, *histriones*, *moriones*, *scurrae*, *a veste vel vestiorii*, *ornatores et ornatrices*, *sarcinatores*, *arcarii*, *a marmoribus*, *lampodarii*, *vestifici*, *vestiplicae*, *ab horto*, *topiorii*, *funambuli*, quibus Romani ad insaniam usque delectabantur. Porro et literas ignorabant maiores nostri, gladio potius et venabulo, quam calamo, ab incunabulis adsueti. Unde et *notariis*, *librariis*, *grammaticis*, *tabulariis*, *scribis*, *magistris puerorum*, *anagnostis*, *paedogogis*, *rotionalibus*, nullus erat in Germania locus. Denique qui rebus potius fortiter gestis, quam externa pompa ac mollitie affectabant gloriam, cur quaeso aluissent *muscarum abactores*, *servos a matula*, *a sandaliis nanos*, *supellecticarios*, *armigeros*, *anteambulones*, *pedissequos*, *nomenclatores*, aliaque huiusmodi familiae onero, frugibus consumendis nata? Idem de ancillis esto iudicium. Plerasque Romanorum matronas luxui otioque adsuetas magna ambiebat ancillarum turba. Aliae dominas poliebant, comebant, lavabant, ungebant; aliae furtivis earum amoribus conciliandis adhibebantur; aliae domo prodituras longo agmine sequebantur. In universum liberorum infantumque cura atque educatio servis et ancillis demandabatur. Nihil vero horum omnium obtinuisse in Germania legimus. In ea studiosissimae rei familiaris matresfamilias parum curabant vestes nitidas, gemmas, unguenta. Non requirebant *ornatrices*, *ciniflones*, *vestiplicas*, *flabelliferos*, *sandaligerulos*, *pedissequas*. Nec castitati illorum temporum conveniebant artificiosi illi amores, quibus Romae vacabant mulieres: unde nec *salutigerulas* et *internuntios* alebant. Porro et suos quoque liberos in Germania uberibus nutriebat, nec ancillis vel nutricibus delegabatur educatio, ceu diserte scribit Tacitus, de Mor. Germ. c. 20. Ex quibus omnibus facile patet, cur ab eodem dictum sit, *Germanos servis*, *non in Romanorum*

1 Tacit. de Mor. Germ. c. 23.

2 Laur. Pignor. de Serv. Rom.; Tit. Popma, de Ministeriis servor.; Potgiess. de Statu et Condit. Serv. lib. II, c. 3, parag. 1, p. 192.

3 Tacit. de Morib. Germ. c. 25.

morem, *descriptis per familiam ministeriis, uti*. Non alios enim noverant servos, quam rusticos, qui, acceptis a domino praediolis, colendis agris insudabant, aut rei pecuariae dabant operam, victuque sibi inde quaesito, fructuum partem singulis annis domino pendebant. Indecorum videlicet videbatur bellicosae genti, rerum tam vilium cura occupari: *Nec arare terram*, inquit Tacitus, de Mor. Germ. c. 14 et 15, *ant exspectare annum, tam facile iis persuasisses, quam vincere hostes, et vulnera mereri.* Omnis vita vel bello vel venationibus exigebatur, eaque studia sola digna liberis hominibus existimabant. Ut ergo victus sibi et familiae sine magno ac taedioso labore suppeteret, feminis curam domus ac penatium, servis agrorum cultum reique pecuariae procurationem commendabant. Quare quemadmodum domini illi veteres nobiles nostros rure degentes, ita servi rusticos hodiernos et maxime homines proprios, accurate referunt, quos servorum illorum propaginem et successores esse, nemo non animadvertit.

Eodem pertinet quod secundo loco de Germanorum servis refert Tacitus, *suam quemque sedem, suos penates regere*. Quemadmodum enim hodienum separatim habitant nobiles, eorumque praedia totidem casis et tuguriolis cinguntur, quot rusticorum familiae iis parent: ita idem et Taciti aevo fiebat. At in eo potissimum durior erat eorum conditio, quod omnes essent glebae adscripti. Id quod vel inde colligas, quod, Tacito, de Morib. Germ. c. 24, eodem teste, aliquando *per commercia traderentur*. Hoc enim haud potuisset fieri, nisi adscriptitiae fuissent conditionis. Ex eo vero consequitur, ut eodem aevo et donari, pignori dari, vindicarique potuerint, non secus ac hodie homines proprii, quos eiusdem cum servis a Tacito descriptis conditionis esse, recte iam ab aliis viris doctissimis, et inprimis a Thomasio, Dissert. de Hominib. propr., et Boehmero, de Iure et statu Hominum propr. a servis Germ. non Rom. derivando, nostris est observatum.

Addit tertio loco Tacitus: *Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis, ut colono iniungit; et servus hactenus paret.* Romanorum servi non homines putabantur, sed res. Unde non modo Ulpianus, Fragm. tit. XIX, n. 1, eos diserte *rebus mancipi* accenset, sed et Iuvenalis, sat. VI, v. 221, ex Romanorum principiis quaerit:

O demens, ita *servus homo* est!

Ex eo colligebant Romani, nihil proprium habere posse servum, sed eum, quidquid adquirat, sibi adquirere. Enimvero aliter rationes subducebant maiores nostri. Non in rerum, sed hominum numero collocabant servos, nec negabant servos aliquid adquirere posse, sed certas pensiones certasque operas ab iis exigebant: et hoc est, quod insinuat Tacitus, dum ait: *Et servus hactenus paret.* Consistebant vero tunc praestationes illae non in pecunia, quippe quam veteres Germani fere ignorabant [1], sed partim *in frumenti modo*, qualem censum hodienum multis locis praestant rustici, vocatum ideo *zinss-korn*, *korn-zehnde*, *zinss-getrayde*, *malter*, *sock-zinss*, partim in *pecore*, unde hodie passim supersunt eiusmodi praestationes veluti

1 Tacit. de Morib. Germ. c. 5.

der vieh-zehnde, die fastnachst-und-leibhühner, Martins-goense, das beste haupt, quod praecipue mortuo servo exigi consuevit: partim in *vestibus*, cuius moris reliquias forsan dixeris *den gewand-fall* vel *das gewand und gelaess*, vel ut in Superiore Germania loquuntur, *das glaess*, de quo paullo post erit dicendi locus. Operarum quidem non meminit Tacitus: quin tamen et eas debuerint servi, vel ideo non videtur dubitandum, quod ipsos dominos rei agrariae et familiari non dedisse operam iam supra demonstravimus. Agros ergo colebant per servos. Iisdem, et quidem, ut Tacitus, de Morib. Germ. c. 15. testatur, infirmiori cuique ex familia, domus officia delegabant. Nec dubitari potest, quin et in venationibus, vehendis oneribus aliisque eiusmodi rebus servorum opera usi sint. Neque forsan alio pertinent illi casae *custodes*, quos in Germania commemorat Seneca, epist. XXVII, a lautiore fortuna clade Variana in hanc sortem depressos. Eos enim non otiosos in casis desedisse, nec, ut Romae fiebat, tamquam ianitores catenatos atrio incubasse, sed varias praestitisse operas, facile iudicabunt omnes, quibus rei familiaris germanicae ratio cognita perspectaque est.

Concludit descriptionem suam Tacitus his verbis: *Verberare servum, ac vinculis et opere coërcere, rarum. Occidere solent, non disciplina et severitate, sed impetu et ira, ut inimicum, nisi quod impune.* Inde vero, qua potestate domini in servos usi sint, luculenter adparet. Quum vero totum hunc locum, male a plerisque intellectum, iam supra [1] eum cura expenderimus, nolumus hic actum agere, id modo monuisse contenti, germanis dominis, non minus ac olim romanis ius vitae ac necis in servos competiisse, quamvis eo multo moderatius usi sint, ac Romani, qui et animi caussa saepenumero in servos saeviebant.

Et haec quidem de Germanorum servis memoriae prodidit Tacitus. Paullo aliter rationes ineunt, qui duorum generum servos olim Germanis fuisse statuunt; eorum alterum, qui eiusdem conditionis fuerint, ac servi Romanorum, alterum benignius habitorum, qui propriis hominibus, hodiecum per Germaniam passim obviis possint comparari. Enimvero, quod pace virorum eruditissimorum dixerim, id quidem vix fert rei familiaris germanicae ratio. Quin quum Tacitus in universum neget, *Germanos servis Romanorum in morem uti*, non video, quo pacto alii Germanorum servi, romanis mancipiis similes admitti queant. Equidem non defuisse dixerim Germanis famulos domesticos, veluti equisones, aurigas, carpentarios, nec non ancillas variis laboribus domesticis destinatas, et de iis intelligendus videtur locus Taciti, de Mor. Germ. c. 15: *Fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agit, delegata domus et penatium, et agrorum cura feminis senibusque et infirmissimo cuique ex familia.* Videntur ergo domesticis huiusmodi ministeriis adhibuisse servorum filios et filias, sibi ceteroquin obnoxios, aut ipsos servos servasque senio confectos, colendisque agris parum idoneos. Verum domesticos hos servos durioris conditionis, et romanis mancipiis similes fuisse, vix credibile est. Potius alibi est a Tacito, de Morib. Germ. c. 20, observatum, *dominum ac servum nullis educationis deliciis dignosci, inter eadem pecora, in eadem humo utrosque*

[1] Lib. II, c. 5, parag. 3 et 4.

degere, donec aetas separet ingenuos, virtus agnoscat. Non adstrictior ergo fuit famulorum eiusmodi domesticorum conditio, sed forsan paullo melior, quam hominum propriorum, suos penates regentium, quum illi pari cum dominis vitae ratione uterentur, bis in casis suis parce ac duriter viventibus.

Sed sufficient haec de servorum in antiquissima Germania conditione. Ut iam ad Francorum tempora provehamur, hos, tamquam origine Germanos veteres Germanorum mores religiosissime servasse video. Habebant et hi servos vel homines proprios, quos *casatos*, vel Romanorum exemplo, vel more maiorum appellabant. Sane ea vox iam in legibus romanis [1] occurrit, et Senecam, epist. XXVII, iam suu aevo in Germania observasse *casae custodes*, supra observavimus. *Casam* Romanis tugurium dici, nemo ignorat. At Germani etiam eiusmodi tugurium vocant *kothe* vel *kathe*, quae vox, ut in actis VVestphalicis observavi, in illis terris notissima est. Nec multum abludit apud nos nomen casarum sali coquendo destinatarum, quas *koth* vel *salz-koth* appellari, nemo in urbe nostra ignorat. Inde ergo nata vox *kothsassen* vel *cothsassen*, itemque *cossoten*, quae non nisi sono ab illo *casati* discrepat. Ceterum hi *casoti* Francorum erant rustici, quorum suam quisque domum, suos penates regebat, quibusque more maiorum domini modum frumenti, pecoris, aut vestis iniungebant. Quare non praedia solom cum instrumento rustico omnique supellectile, dominorum erant: verum etiam ipsi casati adscriptitiae erant conditionis. Unde saepe eos ecclesiis una cum praediis donatos legimus. Sic in charta Alamannica apud Goldastum, Chart. Alam. XXXIX, tom. II, Script. rer. Alam.: *Beata* quaedam ecclesiae tradit *in villa, quae dicitur Centuproto casatos duos, cum omnibus adiacentiis vel adpendiciis eorum.* Ibidem Ebo quidam aliud praedium *cum casatis, compis, pratis, vineis, silvis, pascuis*, donat. Non ergo hi erant conductores casarum, ceu existimaruut Vadianus, de Colleg. et Monast. Germ. p. 60, et Goldastus, Not. ad Dositheum, c. 3; sed servi, *qui intra casam, id est, in ruralibus praediis serviebant*, ut loquitur Carolus M. Cap. III, 73 et 80. Servis certe diserte accensentor ab eodem imperatore [2], et Ludovico Pio, Divis. Ludovici Pii, c. 7. Nec aliam, quam servilem conditionem indicat, quod una cum uxoribus et liberis vendi donarique possent. Apud Goldastum enim (Chart. Alam. III) Cosawina quaedam monasterio S. Galli tradit *casatos tres, his nominibus, Righero, VVoltricho et uxore sua Fasticda.* Ceterum huic vocabulo procul dubio originem debent, certi generis rustici, qui hodieuum vocantur *cossaten*, quemadmodum et eorum bona, mutata licet rusticorum conditione, *cossaten güter*, tam in Iure provinciali Saxonico [3], quam in aliarum provinciarum legibus vocantur.

A *casatis* distinguebantur *ministerioles*, qui et *homines, mancipia, non casati, domestici, gasindi* dicebantur. Hi licet nullis adscripti praediis, proprii tamen erant, operasque quascunque praestare tenebantur. *Ministe-*

1 Lib. VII, Cod. Theodos. de Bon. Proscript.

2 Chart. division. Caroli M. c. 6, apud *Duchesne*, tom. II, Script. rer. Franc., p. 89.

3 Car. *Dufresne*, Glossar. Lat. voce: *cassata*, p. 865, tom. I.

rialium nomine saepissime veniunt in monimentis Francicis [1], atque inde nata videtur appellatio *der dienstleute* quorum toties mentio fit in iure Saxonico provinciali, lib. I, tit. XVI, art. 2; lib. III, tit. XLII, art. 2, et passim. In diplomatibus saepenumero vocantur *mancipia* et *homines*, quemadmodum et nos hodie domesticos famulos *unsere leute* solemus vocare. Sic in charta Alamannica apud Goldastum, Chart. Alam. III, p. 37, quam supra laudavi, Beata ecclesiae S. Galli praeter *casatos illos*, donat *homines VIII*, *mancipium unum*, *nomine Cotleuba*, *et in insula ipsa mancipios tres et parones*, (id est, viros) *quatuor*. Ubi *homines* et *mancipia* non alii sunt, ac ministeriales. *Non casati* porro dicuntur in charta divisionis Ludovici Pii apud Steph. Baluzium, Capitul. tom. I, p. 687, quia iis certa praedia non fuerant concessa a dominis. Denique etiam apud Marculfum, Form. II, 36, aliosque veterum formularum auctores [2], saepe dicuntur *gasindi*, quamvis initio non omnes ministeriales, sed ii tantum, quos ob perspectam fidem atque industriam in domum atque in familiam adsciverant, ita videantur nuncupati. Nec abludit vocis significatio, siquidem in Marculf. Form. I, 23 et 32, et lege Langob. I, 9, 21; I, 18, 2; II, 52, 14; II, 14, 17, *gasindus* saepe est familiaris et amicus, ac *gasindium* familioritas, ceu exemplis demonstravit Car. *Dufresne*, Gloss. Lat. voce: *gasindus*. Ceterum his omnibus in eo conveniebat, quod non casis vel praediis praefecti, sed ipsis dominorum aedibus adscripti operas, quascunque hi exigebant, praestarent. Hinc passim in eius aevi monimentis occurrunt servi *aratores* (ackerleute und anspaenner), *argentarii*, *aurifices*, *herbicarii* (schaf-knechte), *bubulci*, *caprarii*, *carpentarii* (schirrmeister), *custodes equorum* (eucken), *fabri*, *molinarii* (mühlknappen), *porcarii* (schweine-knechte), *sartores*, *sutores*, *vaccarii*, *venatores*, ceu curiosum eiusmodi ministerialium recensum instituit Car. *Dufresne*, Gloss. Lat. voce: *Servus*, p. 837, tom. III, quibus nos *ancillas vestiarias* [3], (vortmaegde) [4], *mariscalcos* [5], *vinitores* [6], *maiores* (meyer), *infertores* (dapiferos) *scantiones* (schencken), *stratores* (sattelknechte) [7], *tornatores* (drechssler), *scutatores* (schildmacher), *precatores*, forsan *paratores*, id est sartores, *accipitares* vel *ancellatores* (vogelfaenger), *saponarios* (seiffensieder), *siceratores*, *qui cerevisiam*, *vel pomatium vel piratium*, *vel aliud quodcunque liquamen ad bibendum aptum facere sciunt*, *pistores*, *retiarios* [8], aliosque plures ex auctoribus ac diplomatibus addere possemus, si res tanti videretur.

Ratione dominorum alii erant *fiscalini* vel *fiscales*, alii *ecclesiastici*, alii *beneficiarii*. Fiscales *regalibus erant mancipati servitiis*, uti eos describunt Childebertus, c. 8, et Corolus M. Capit. II, ad Leg. Salic. 7.

1 Constit. de Expeditione Roman. sive Caroli Crassi sit, sive recentioris imp., c. 5.
2 Form. Bignon. n. 58.
3 Lex Alam. tit. 8, n. 1.
4 Lex Fris. tit. 13.
5 Lex Alam. c. 78.
6 Lex Salica, tit. 2, n. 15.
7 Lex Salica, edit. Herold., tit. 11, parag. 6.
8 Capitul. Caroli Magni, de Villis, c. 45.

Quum enim passim regibus Francorum parerent certae villae certaque praedia, quae vel ad fiscum, vel ad privatas regum rationes pertinebant: non deerant in iis servi, tum casati, tum non casati, qui rem familiarem curabant; dicti ideo *fiscales* vel *fiscalini*. Quum vero et ecclesiis subinde servi quam plurimi traderentur, multique superstitione ducti se suaque ecclesiis sponte addicerent: nati inde sunt servi *ecclesiastici*, qui etiam aliquando *oblati*, vel, quae erat eorum temporum barbaries, *offerti* dicebantur. Denique qui privatorum erant proprii, quod plerumque a principibus una cum praediis, quibus erant adscripti, aliis in feudum vel beneficium concederentur, *beneficiales* vel *beneficiarii* audiebant, de quibus plura legere est in Capitularibus Ludovici Pii, I, ad ann. 818, c. 1, et Capitul. III, eiusd. anni, cap. 7.

Omnes hi non alius erant conditionis, ac veteres illi Germanorum servi, quos supra descripsimus ex Tacito. Primo enim omnes erant adscriptitii, atque ideo ad certas villas pertinere dicebantur. In diplomate Ludovici Pii apud Toelnerum, Cod. diplom. Palat., dipl. V, pag. 6, monasterio Laureshamensi traditur villa, *in qua erant mansi IV, et servi manentes totidem, cum uxoribus et parvulis, qui pertinent ad superius dictam villam.* Inde vero sequebatur, ut una cum uxoribus liberisque vendi aliisque modis transferri possent. Hinc in Formula Andegavensi apud Mabillonium, c. 9, ita venditur servus, *ut emptor, quidquid inde facere voluerit, habendi, tenendi, donandi, vendendi, seu commutandi, liberam haberet potestatem.* Libera ergo erat servorum venditio, dummodo non venderentur extra provinciam [1], nec pagani vel Iudaei essent emptores [2], quamvis et hos, connivente magistratu, saepe christiana mancipia et emisse, et vendidisse, iam supra ostenderim. Venditorum servorum ut facile est ad existimandum, non idem omnium pretium erat. Sciscitari enim emptores solebant, *ecquid operis scirent* [3]? Explorabant etiam eorundem staturam, ex eaque illorum robur et pretium aestimabant. Sic in lege Alamannica (tit. 7, edit. Heroldi) mentio fit *servi XIII palmarum.* Et in charta vetere apud Goldastum [4] legimus: *Hacco, qui est in concambio cum Vuichardo, redemere se vult: det alium mancipium XI manuum longum.* Venibant vero servi modo XV, modo XXV solidis, modo X aureis, id quod seculo septimo maximum servi pretium fuisse, ex Greg. Tur. Hist. II, 5, et VI, 36, discimus; quamquam, quum pretia rerum non semper eadem esse soleant, nihil adeo certi ea de re potest affirmari. Saepe etiam servos donatos legimus, maxime ecclesiis, cuius rei testes chartae exstant innumerae; et in his insignis illa Richardi Aeditui S. Petri Pictaviensis apud Baluzium, Adpend. Capitul. n. 135, pag. 1532, tom. II; et maxime Rodolfi comitis, ut putant, Helfensteinensis, apud Franc. Petri, Suevia sacra, p. 900, qui anno 918 stupendum ferme mancipiorum numerum una cum uxoribus et liberis nominatim tradit monasterio VVisenstaigensi. Nonnunquam et permutaban-

1 Decret. Thassil., apud Hund. Metrop. tom. I, p. 343.
2 Lex Alam. tit. 37; Lex Baiuv. tit. 15, parag. 5 et 9.
3 Gregor. Turon. Hist. lib. IV, c. 25.
4 Chart. Alam. 3, apud Goldast. Rer. Alam. tom. II, p. 26; conf. Cuiacc. Obs. lib. XXI, c. 3.

tur [1], dummodo libera esset permutandi facultas, quae ecclesiis quibusdam iure privilegii concessa [2]; reliquis vero adempta videbatur [3]. Unde non mirum, quod eiusmodi permutationes nonnunquam ipsurum principum diplomatibus confirmandas putarent, quale praeceptum Ludovici et Lotharii imperatorum, anno 828 ecclesiae Audegavonsi concessum, ex archivis extulit Baluzius, Adpend. ad Capitul. reg. Franc. num. 46, tom. II, p. 1430. Quin et pignori et noxae dari poterant a dominis [4], si quid damni alteri dedissent. Quae omnia adscriptitiam servorum conditionem etiam apud Francos satis superque indicant. Ex eodem porro consequitur, ut et vindicari possent servi, et e fuga retrahi [5]. Cuiusmodi vindicationis exempla luculenta exstant in vetustis formulis apud Baluzium, Adpend. ad Marculfi form. VI, 32, et Sirmond. Analect. ad Capit. apud Baluz. tom. II, p. 823; Conf. chart. Alam. VIII, apud Goldast., ex quibus discimus, mota quaestione status, auditisque testibus, et servilem hominis conditionem confirmantibus, servos eiusmodi in servitutem esse revocatos a missis dominicis, iudicio scabinorum. Nec quantacunque praescriptione sese tueri poterant servi [6], nisi quod triginta annorum praescriptione iura dominorum exstingui iussit Ludovicus Pius, in Capitul. c. 3. Quomodo vero fugitivi inquirendi, retrahendique essent, satis in Capitularibus docuit Carolus Magnus (ex lege Langob. ann. 801, c. 10, p. 360; Capit. V, ann. 803, c. 15, p. 400; Capit. I, ann. 806, c. 18, p. 443). Solebant nimium fugitivos literis encyclicis ad magistratus missis persequi, quarum formulam hanc nobis servavit vetus Formularum collector, Adpend. ad Marculfi form. 19: « Ad clementiam pietatis vestrae hos apices destinare praesumpsimus, non nostri freti obsequio, sed vestra magnitudine culminis pietate. Ideoque quasi ad praesens genua vestra deosculantes, suggestiuncula nostra vobis propter quod mancipia beati patroni vestri de monasterio nostro lapsa in vestro dominio prolapsi sunt advenisse. Adeo supplicamus clementiae vestrae, ut quando iste missus noster nomen haec nostra suggestiuncula vobis detulerit, sicut vestra in omnibus bona erga nos est consuetudo, inter nos seu erga omne nostra iustitia inquirere iubeatis, qualiter congregatio nostra, obsecrantes Deo, oratores vestros melius Dei misericordiam pro vobis delectet implorare. » Qua vero poena tum ipsi fugitivi, tum qui eos corrupissent et receptum iis dedissent, affecti sint, infra suo loco ostendemus accuratius.

Quemadmodum porro Taciti aevo modum frumenti, pecoris, vestis servis imperabant domini: ita idem fiebat sub Francis, nisi quod, potiore iam Germanis pecunia, etiam aeris nonnihil exigi ab iis soleret. Casatorum pensiones vocabantur *colonitium* vel *colonarium* [7], nec raro vocabula *census*, *agrarium*, *servitium* usurpabantur. His vero nomini-

1 Lex Alam. tit. 20.
2 Schaten. Annal. Paderb. ad ann. 858, tom. I.
3 Lex Alam. tit. 19.
4 Lex Alam. tit. 85; Lex Fris. tit. 9, 1; Chart. Alam. 3, 22, 24.
5 Lex Salica, tit. 37, parag. 8; Lex Baiuv. tit. 6, 9.
6 Capita Leg. Langob. addita c. 8.
7 Marculf. Form. lib. I, c. 163 et 164.

bus variae comprehendebantur praestationes, frumenti maxime, fructuumque naturalium neque ac industrialium ex praediis perceptorum. Ex lege Baiuvar. tit. XIV, parag. 3, servi ecclesiastici dabant *decimum fascem de lino, de apibus decimum vas, pullos quatuor, ova quindecim.* In lege Alamannica, tit. XX, servis ecclesiasticis imperantur *quindecim solidi de cerevisia, porcus valens tremisse uno, penum modia duo, pulli quinque, ova viginti.* Tales praestationes passim etiam in chartis et diplomatibus vetustis memorantur. Sic in diplomate Ludovici Germanici apud Schaten. Annal. Paderb. III, ad ann. 873, servae ecclesiae Corbeiensi dare iubentur *censum sex seglarum vini, de lino 12 fusarum, 3 pullorum et 15 ovorum, et de terra aratoria L. modiorum, et de pratis carradarum 10.* Et in charta antiqua apud Goldastum [1] servi ecclesiae Sangallensi promittunt *carram de vino, carram de siligine, et carram de foeno, et friskingam*, id est porcellum. In alia charta apud eundem Goldast. charta Alam. 42, servi dare iubentur 30 *seglas cerevisiae*, 40 *panis, frisehengam tremissem valentem*, et 30 *mnanas*, id est, ut Car. *Dufresne*, Glossar. Lat. voce *Manna*, interpretatur, equas. Saepe etiam alii iis impenabantur fructus, veluti casei, oleum, pisces, poma, cera, unde certum rusticorum genus, quos *wachszinsige* vocant. Praeter fructus et pecuniam nonnihil exigebant domini, qualis erat census iste capitalis *der leib-zinss* a ministerialibus non minus, quam casatis exigi solitus. Sic in chartis Alamannicis [2] *Kerloh* pendere iubetur *denarios 4; Vuillibero de Sickingum denar. 16; Ottere de Dassarum denar. 4; Hato de eodem loco denar. 4; Adalfind de suo capite denar. 2, aut dun libra de cera;* et paucis interiectis, *Engilger de Oteuuilare solid. 1, et Altman insimul Vuinirat de Hosinbach, servus S. Galli, solid.* 1. Ex quibus patet, non unam eamdemque omnium fuisse pensionem. Ceterum de censu capitali servorum accuratius suo more egit Car. *Dufresne*, Gloss. Lat. voce *Capitalis*, tom. I, cuius hic scrinia expilare nefas duco.

Praeter censum et operae a servis exigebantur, quae tamen et ipsae tam variae erant, ut vel earum iuire numerum difficile futurum sit. Rationem tantae diversitatis non aliam mihi deprehendere videor, quam quod antiquissimis temporibus omnes fuerunt indeterminatae. Ea enim re factum est, ut suo quisque arbitrio modo has, modo illas operas a servis exigeret, prout id vel praedii, vel ipsius servi pateretur conditio. Paullatim tamen mos invaluit, ut semel constitutus operarum modus dominorum arbitrio non posset immutari, aliaeque operae indefinitae, aliae definitae essent. Dabimus operam, ut praecipuas, quarum in antiquitate Francica fit mentio, recenseamus. Tales primo erant *angariae*, id est vecturae plaustrorum per certam viam ad certum locum, quales iam a Marculfo, Form. lib. I, form. 1, memorantur. Hinc alii frumentum de villa in villam devehere, alii foena in horrea deducere, alii vinum ad urbes et cellas deportare tenebantur, ut adparet ex diplomate Chrodugangi, episcopi Metensis, anni 765, apud Meurissium (*Histoire des évêques de Metz*, pag. 168). Angariae vero hue tanti habebantur, ut, si

1 Charta Alam. 41, apud Goldast. Rer. Alam. tom. II.
2 Chart. Alam. 88, apud Goldast.

reliquae operae in censum annuum commutarentur, angariae cum parangariis plerumque excipi solerent. Cuius rei praeclarum exstat exemplum diploma Caroli M. monasterio Nevcustadiensi dioeceseos Herbipolitanae datum anno 812, quod ex loco plane alieno [1] huc transferre iuvabit. « In nomine sanctae et individuae Trinitatis: Carolus, superna favente clementia, rex Francorum et Langabardorum, ac patricius Romanorum. Sapientia Dei ecclesiam duobus gladiis munitam atque tutam esse valuit, gladio scilicet spirituali atque materiali. Quapropter gladio materiali nobis divinitus collato, prout Dominus donavit, eam gubernare, defendere et honorare non cessamus. Inde est, quod praesentibus scriptis omnibus post nos venturis intimamus, qualiter ecclesia per nos constructa *Nevenstadt*, sive Rotacha dicta, nostro rogatu a sorore nostra *Gertrude* optimis villis et plurima familia sit datata. Nam eadem soror nostra, sponsum caelestem sitiens, omnemque mundi pompam mente et corpore relinquens, de omnibus, quae iure hereditario possidebat in Theutonicis partibus, ecclesias vicinas fecit esse heredes. Fuerunt autem duae villae, *Steinfeld* et *Cella* nominatae, non longius uno milliari a nostro monasterio sequestratae. Has igitur, ut diximus, nostro rogatu una cum viris et mulieribus ibibi manentibus, parochiam cum decimis, omnia ob aeternae vitae praemium super altare sanctae Dei genitricis *Mariae*, in nostri praesentia, propria manu donavit. Eodem etiam die plurimae familiae, tam a nobis, quam a camitibus Runchulvo et Rivoldo eidem ecclesiae sunt donatae, quibus omnibus suisque posteris praesenti testamento iura damus, ne vel ipsi, vel posteri eorum *iniusta servitute* opprimantur, vel debitum servitium minime solvant ecclesiarum. Ideo quosdam ex illis in *quotidianum servitium* computamus . . . . [2], qui *singulis hebdomadis* una die in ecclesia ministrent. Qui vero *servitium solvere* voluerit, viginti denarios ecclesiae solvat. Et hic per annum a servitute liber exsistat, excepta *vehitione vini* et *frumenti* undecunque in usus fratrum, eorumque portatione in granarium et cellarium. Feminae vero in principali loco sui iuris manentes *tres denarios* solvant; alias [3] vero degentes *solidum*. Si autem vir mortuus fuerit, gemina pars substantiae eius in usus ecclesiae veniat, tertia parte usari et filiis eius remanente. Si femina, tertia pars ecclesiae solvatur. Qui sine herede mortuus fuerit, ecclesia substantiae illius heres erit. Illi vero, qui *censuales* per nos facti sunt, sive vir, sive mulier, quinque denarios in adsumptione Sanctae Mariae solvat. Et si quis per *triennium* talem censum non persolverit, quotidianae servituti et iuri subiacebit. De viro vero *optimum iumentum*, si habet, sin autem, *melius vestimentum* eius ecclesia habebit; femina pretiosius dabit *vestimentum*. Qui extra familiam ecclesiae nupserit, gemina pars substantiae eius ecclesiae erit. Mansionarii autem statutum servitium et censum de huba sua solvent. Qui hubam habens, et in propria curte contra voluntatem abbatis sedens, mortuus fuerit, duae partes substantiae eius ecclesiae erunt. Qui censualem duxerit uxorem, sive extraneam, sive non, filii eius heredes hubae non erunt; et ideo mortuo eo,

1 Leuckfeld. Adpend. Antiq. Pold. pag. 243 seq.
2 Videtur hic deesse vox *quosdam* vel *alios*.
3 Leg. *alibi*.

gemina pars substantiae eius ecclesiae solvetur. Qui in huba mortuus fuerit, *optimum iumentum* cum *vestitu superiori* ecclesia habebit, et filius eius heres hubae erit. Marchionarius hubam non habens viginti denarios solvat, femina autem solidum. Si autem contigerit, quod alium advocatum quam nos liberosque nostros ecclesia iam nominata habuerit, quilibet virorum ei modium solvat avenae, et tres denarios. Et si quid amplius dederit, magis rapinae, quam iustitiae reputabitur. Ista vero, quae a nobis rationabiliter ordinata sunt, ut ab omnibus fidelibus nostris successoribus per futura tempora firmius observentur, veriusque credantur, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione signari iussimus.

Signum Domini KAROLUS Caroli Regis gloriosissimi.

Acta sunt haec anno Dominicae incarnationis DCCCXII. Indict. V, anno regni nostri XIII. »

Ab *angariis* porro differebant *parangariae*, id est vecturae, quae non per viam directam, sed quoquaversum debebantur. Et tales revera sunt, quarum in superiore diplomate fit mentio, quippe quod servis iniungit *vehitionem vini et frumenti undecunque.* Utraeque etiam vocatae sunt *carropera* (*wagen dienste* vel *spann-dienste*), ad differentiam operarum manu peragendarum, quas eodem barbaro aevo *manopera* (*hand-dienste* vel *handfrohnen*), appellari animadvertimus. Hae plerumque in agris, horreis, pratis, hortis, ac praediis dominorum praestabantur. Sic in lege Alamannica, tit. XXI, servi ecclesiastici *tres dies sibi, ac totidem in dominico laborare* iubentur, id quod etiam in lege Baiuvar. tit. I, parag. 14, cautum legimus. At ne id quidem semper eadem ratione observatum esse, satis patet ex chorta Alamannica I, apud Goldastum, tom. II, Script. rer. Alam., ubi servus praeter alia onera etiam *quatuor dies in messe, aut ad foenum colligendum perficere teneri* dicitur. Communi equidem lege has operas definivit Carolus M. lib. V, c. 303, p. 886, praecipiens, *ut quicunque quartam facti teneret, cum suis animantibus seniori suo pleniter unum diem cum suo aratro in campo dominico araret, et postea nullum servitium ei manuale in ipsa hebdomada a seniore requireretur; et qui tanta animalia non haberet, ut uno die hoc explere posset, perficeret praedictum opus in duobus diebus; et qui solummodo ita invalida, ut per se non possit arare, quatuor animalia haberet, is cum eis, sociatis sibi aliis, araret* uno *die in campo senioris, et uno die postmodum opera manuum faceret. Qui vero nihil ex his facere posset, neque animalia haberet, per tres dies seniori suo a mane ad vesperam operaretur, et senior suus ei amplius non requireret.* Enimvero ne hanc quidem legem ubique obtinuisse, vel diplomata evolventibus patet, in quibus tam diversae describuntur servorum operae, ut olim omnes operas fuisse indefinitas, modumque iis a dominis tantum positum esse, luculentissime adparent.

Accedebant his omnibus *parafreda*, id est equi a servis dandi missis

regiis, legatis aliisque personis honoratioribus, ad literas in aulam perferendas, vel vehenda impedimenta (*vorspann*). De his autem lege Baiuvar. tit. XIV, parag. 4, cautum legimus, *ut servi parafredos danent, vel ipsi mulant, ubi iis iniunctum est.* Scilicet inter operas servorum etiam illa erat, quod nuntiorum officio fungi, literas huc illuc deferre, onera portare iuberentur, id quod eos potissimum facere oportebat, qui nullis instructi erant iumentis, eeu hodienum in Westphalia aliisque locis fieri solet. Ceterum hae operae nonnunquam annuo censu redimi poterant, qui tam stricte exigebatur, ut nisi stato die penderetur, vel indefinitas operas praestare, vel mulctam dare iuberentur morosi. Hinc in diplomate Carolino paullo ante recitato legimus: *Illi vero, qui censuales facti sunt, sive vir, sive mulier, quinque denarios in adsumptione Sanctae Mariae solvant, et si quis per triennium talem censum non persolvat, quotidianae servituti et iuri subiacebit..*

Heineccivs, ibid. II, 9, parag. 1—13.

N.^e 25. Cap. XXXVIII. *Principes et ornatiorem habent.*

Multi fuere qui existimarent solis nobilibus apud germanicas gentes caesariei promittendae morem competiisse, idque fuisse peculiare et proprium nobilitatis insigne: et huiusmodi sensu nonnulla scriptorum et legum medii aevi loca explicant, contenduntque *crinitos* et *capillatos*, si quis passim in historiis et codicibus nominatos videat, non alios esse ac nobiles. Quam quidem opinionem Agathias confirmare videatur: *Θεμιτὸν γὰρ τοῖς βασιλεῦσι τῶν Φράγγων οὐ πώποτε κείρεσθαι, ἀλλ' ἀκερσεκόμαι τέ εἰσιν ἐκ παίδων ἀεὶ, καὶ παρηώρηνται αὐτοῖς ἅπαντες εὖ μάλα ἐπὶ τῶν ὤμων οἱ πλόκαμοι· ἐπεὶ καὶ οἱ ἐμπρόσθιοι ἐκ τοῦ μετώπου σχιζόμενοι, ἐφ' ἑκάτερα φέρονται....... Τοῦτο δὲ ὥσπερ τι γνώρισμα, καὶ γέρας ἐξαίρετον τῷ βασιλείῳ γένει ἀνεῖσθαι νενόμισται. Ἐπεὶ τό γε ὑπήκοον περιτρόχον κείρονται, καὶ κομᾶν αὐτοῖς περαιτέρω οὐ μάλα ἐφεῖται. Sollenne est enim Francorum regibus nunquam tonderi: sed a pueris intonsi manent. Caesaries tota decenter eis in humeros propendet. Anterior coma e fronte discriminata in utrumque latus deflexa... Idque velut insigne quoddam eximiumque honoris praerogativa regio generi apud eos tribuitur. Subditi enim orbiculatim tondentur, neque iis prolixiorem comam alere facile permittitur.* (Agathias, lib. I, p. 14, in-fol. e typ. reg.). Ad eundem scopum pertinent verba quibus Childebertus, apud Gregorium Turon. III, 18, fratrem Chlotarium consulit, *quid de filiis Chlodomeris fieri debeat; utrum* incisa caesarie, vt reliqva plebs habeantvr, etc. etc. Et aliis locis idem Gregorius reges Francorum prolixitate capillorum insignes arguit....... *Ut regum istorum mos est, crinium flagellis per terga demissis.....* VI, 24. *A caesarie prolixa cognovi Chlodovecum esse.* VIII, 10.

At multa quoque testimonia auctorum illius aevi proferre in promptu est, quae populare fuisse apud Francos ceterasque germanicae stirpis nationes et promiscuum viris feminisque ingenuae conditionis alere capillos; itaque cives omnes, liberi homines, non magnates, optimates, nobiles solum, *criniti, capillati* audiebant: aliquas e multis exponam auctorita-

tes. Lex Burgund. additam. I, tit. V, parag. 1: *Quicunque ingenuus* MVLIERI INGENVAE *crines in curte sua praesumpserit capulare, iubemus ut 30 sol. mulieri ipsi solvat.* Lex Baiuvar. apud Caneian. leg. barb. tom. II, p. 396: *Ut nullus post tonsuram* CAPILLOS VSV POPVLARI NVTRIRE *praesumat.....* Marculfus, form. I, 19..... *Licentiam habeat comam tonsurare si ingenuus est.* Iornandes de Rep. Get. c. 11: *Elegit* (Diceneus) *ex eis* (Gothis) *tunc nobilissimos prudentiores viros, quos theologiam instruens numina quaedam et sacella venerari iussit, fecitque sacerdotes, nomen illis pileatorum contradens.....* RELIQVAM VERO GENTEM CAPILLATOS *dicere iussit, quod nomen Gothi pro magno suscipientes, adhuc hodie suis cantionibus reminiscuntur.* Epistola Theuderici regis ad Barbaros et Romanos qui Suaviam incolebant, missa, ita inscripta est: *Universis provincialibus et capillatis*, etc. Eiusdem regis edictum passim nomine capillatorum Barbaros a Romanis distinguit. Quod Sidonius Apollinaris comprobat epist. I, 2: *Aurium legulae, sicut mos gentis est, crinium superiacentium flagellis operiuntur.* His similia tradit Isidorus: *Nonnullae gentes non solum in vestibus, sed in corpore aliqua sibi propria quasi insignia vindicant, ut videmus* CIRROS GERMANORVM, *granos et cinnabar Gothorum.* (Orig. 19.)

Si omnia quae huc attulimus, multaque alia quae passim colligere facile esset, argumenta in utramque partem comparaveris, inde compertum fiet, omnibus Barbaris e Germania oriundis densitatem comarum atque amplitudinem placuisse, et hoc fuisse decus quod liberam a servili conditione, non nobilem a plebeia et ingenua discriminaret, nomenque *crinitorum* omnibus civibus congruum fuisse; nobiles autem, praesertim regios viros, prolixiorem atque *ornatiorem* (capillum) *habuisse.* Eo differebant reges et cives, quod posterior coma illis intonsa in tergum defluebat, his partim caesa, partim reducta in verticem capitis cum cetero cirrorum defluvio tempora et aures cooperiebat, nudata cervice, ut ex Agathiae et Sidonii supra citatis locis intelligere est; quibus satis erit haec eiusdem Sidonii adiicere:

...... rutili quibus (*Francis*) arce cerebri
Ad frontem coma tracta iacet, nudataque cervix
Setarum per damna nitet.....

Carm. V.

Capitis apex (Gothorum) *rotundus, in quo paullulum a planitie frontis in verticem caesaries refuga crispatur.* Epist. I, 2.

Et reges Orientalium partium crinitos fuisse ostendunt tum multa documenta, tum illud Vespasiani, quo terrorem cometae elusit: Cometen *non sibi sed regi Parthorum aliquid portendere; illum enim comatum esse, se calvum* (Dio Cass. LXVI, 17; Sueton. Vespas. 24).

I. N.

FINIS EXCVRSVVM AD MORES GERMANORVM.

NOTAE
ROSINI, BROTERII,
ET VARIORVM,
AD OPERA C. CORNELII TACITI.

LIBER
DE VITA CN. IVLII AGRICOLAE.

N.° 1. Cap. II. Delegato *triumviris ministerio.*

DE VARIIS TRIVMVIRORVM OFFICIIS.

De Triumviris aedibus sacris incendio consumptis restituendis, et sacris conquirendis, donisque persequendis.

De *Triumviris* Livius, lib. XXV, ita scribit : *Comitia deinde a praetore Urbano de senatus sententia plebisquescito sunt habita, quibus creati sunt* quinqueviri, *muris, turribusque reficiendis*; *et* triumviri *bini, uni sacris conquirendis, donisque praesignandis, alteri reficiendis aedibus*, Fortunae *et matris* Matutae *intra portam, quae priore anno incendio consumptae fuerant.* Plura de his addere supervacaneum.

Rosin. Antiquit. Roman., l. III, c. 9.

De Triumviris reipublicae constituendae.

Triumvirorum reipublicae constituendae magistratus (si modo *magistratus* dicendus est), ut contra leges fuit institutus, ita etiam non fuit diuturnus. Initium eorum incidit in annum ab Urbe condita 710. Caussae propter quas ii in rempublicam inducti fuerint, hae ab auctoribus Dione, lib. XLVI; Appiano, lib. III et IV Bellorum civilium; Suetonio in Augusto; Plutarcho in M. Bruto et Antonio, et aliis recensentur. Quum C. Iulius Caesar in senatu viginti tribus vulneribus esset confossus, C. Caesar Octavianus, qui a C. Iulio adoptatus, et in Caesarum familiam translatus erat, anno 710, consul cum Q. Pedio, Hirtio et Pansa ad Mutinam occisis, suffectus, in toto suo consulatu nihil aliud moliebatur, quam ut patris Iulii

Caesaris interfectores ulcisceretur. Q. igitur Pedium collegam legem ferre iussit de quaestione habenda in eos, quorum ille opera occisus esset; postulatique ea lege M. Brutus, C. Cassius et D. Brutus, absentes damnati sunt. M. autem Antonii opes C. Asinius Pollio, qui Hispaniae, et L. Munatius Plancus, qui Galliae praeerant, cum suis exercitibus adiuncti auxerant, et D. Brutus, cui senatus ut persequeretur M. Antonium mandaverat, relictus a legionibus suis, profugerat, et tandem iussu Antonii, in cuius potestatem venerat, a Capeno Sequano ad Aquileiam interemptus erat. Caesar igitur, quum M. Brutum, qui Macedoniam, et C. Cassium, qui Syriam ex senatusconsulto obtinebant, nullo pacto armis ulcisci posset, cum M. Antonio et M. Lepido pace facta, postquam consul creatus esset, utrumque ex Gallia in Italiam accersivit. Congressi omnes in agro Bononiensi, ut Dio, lib. XLVI, vel Mutinensi, ut Appianus, lib. IV Bell. civ. initio docet, consultationes summas de ordinanda et corrigenda republica habuerunt; et tandem ita inter eos convenit, ut publice quidem ipsi tres constituendis, administrandisque rebus, praeficerentur, idque non in perpetuum, sed in quinquennium: ita ut omnia ex animi sui sententia, etsi neque ad senatum, neque ad populum, de his retulissent, agere, *magistratus* aliosque honores, quibus ipsi vellent, tribuere possent; privatim autem, neve viderentur omnes provincias sibi ipsis arrogare velle, Caesari Africa, utraque Sardinia et Sicilia; Lepido Hispania omnis ac Gallia Narbonensis; Antonio reliqua omnis Gallia quae cis et trans Alpes iacet, tribueretur, ut inimicos suos proscriberent ac caederent; Lepidus in locum D. Bruti consul fieret, Romamque et totam Italiam in custodia haberet; Antonius vero et Caesar Brutum et Cassium bello persequerentur. Atque his consultationibus perfectis, quum confestim omnes Romam venissent, singuli interiectis diebus Urbem ingressi, quae decreverant executi sunt. *Fusi* quoque *inimici*, plurimi equites, 130 senatores proscripti sunt: inter quos fuerunt L. Paulus, frater M. Lepidi; L. Caesar, avunculus Antonii, et qui Caesarem suis sententiis ornaverat, M. Cicero, cuius occisi a Popilio legionario milite, quum haberet annos LXIII, caput cum manu dextra in rostris positum est. Inierunt *triumviratum* V kal. Decem. anno ab U. c. 710. Quum autem quinquennium hunc *magistratum* gessissent, teste Dione, semetipsos in alterum quinquennium renuntiaverunt: quod factum esse anno 716 Carolus Sigonius scribit. Sed non multo post dissidiis ortis inter Octavium et Lepidum, Octavius, fugato Sex. Pompeio, Lepidum bello persecutus est, eique victo *triumviratus* honorem abrogavit; supplicem tamen factum vita donavit. Postea etiam Antonio bellum intulit, eoque victo, quum ipse solus rerum potitus esset, *triumviratu* abiit. Hunc finem habuit *triumviratus*, qui non ultra annos decem in republica romana fuit.

Id. ibid. l. VII, c. 21.

De Triumviris Capitalibus.

Triumviri capitales, qui et *tresviri*, seu trevliri capitales, eo quod tres viri simul ad munus illud obeundum crearentur, sint dicti, fuerunt, quemadmodum scribit Pomponius, ff. de Origine iuris, qui carceris custu-

diam baberent, ut, quum animadverti oporteret, id interventu eorum fieret. Horum saepe fit mentio apud Livium, Ciceronem, Plautum, et alios. Creati sunt primum, ut Onuphrio Panvinio, et Huberto Goltzio in Fastis placet, ab Urbe condita, anno 465. Eorum non tantum erat, uti ex Pomponio audivimus, *carceris custodiam* habere, sed etiam *latomiarum*. Ad columnam item Moeviam, ut Cicero docet, de eorum scelere cognoscebant, qui, quum cives romani non essent, in Urbe habitarent; ac de vilibus, et abiectae tantum conditionis hominibus, ut de furibus et servis nequam, ius dicebant, teste Asconio in Divinationem. Primis autem temporibus, etiam de aliis maleficiis cognovisse eos, nondum constitutis quaestionibus publicis, colligitur ex Plauto, in Asinaria, et Vorrone, lib. IV de Lingua Latina, qui, de quaestoribus agens, scribit: *Quaestores a quaerendo, qui conquirerent publicas pecunias, et maleficia, quae triumviri capitales nunc conquirunt.* Quod autem addit Pomponius animadversum in delinquentes ac scelerosos ipsorum interventu fuisse, intelligendum sic est, non quod ipsi triumviri quemquam supplicio affecerint, sed usi od eam rem sint opera lictorum, quorum octo sub se habebant; unde apud Plautum, in Amphitruone, Sosia:

> Quid faciam nunc, si tresviri me in carcerem compegerint?
> Inde cras e promptuarie cella depromar ad flagrum.
> Nec caussam liceat dicere mihi, neque in hero quicquam auxilii siet?
> Nec quicquam sit, quin me omnes esse dignum deputent.
> Ita quasi incudem me miserum homines octo validi caedant.....

Hic enim per octo homines, octo lictores intelligunt, ministrantes triumviris. Quod vero etiam sacramenta exegerint triumviri capitales, atque in divinos usus, et ad tuenda sacra civitatis eam pecuniam contulerint, constat ex lege Lucii Papirii tribuni plebis, apud Festum, quam quomodo legendam putant Lucas Fruterius et Iosephus Scaliger, hue scribam: *Queicunque praetor posthac factus erit, quei inter ceiveis ious dicet, tresviros capitaleis populum rogato, iique tresviri capitaleis, queicunque posthac facti erunt, sacramenta exiguntu, iudicantoque, eodem iure sumpto, utei ex legibus, plebeiquesciteis exigere, iudicare esse oportet.* Addit enim Festus, sacramenti nomine id aes dici coeptum esse, quod, et propter aerarii inopiam, et sacrorum publicorum multitudinem, consumeretur in rebus divinis. Creabantur porro comitiis tributis capitales triumviri, ut alibi est ostensum. Vide etiam de hac lege et triumviris capitalibus Iacobum Raevardum, lib. II Variorum, cap. 18.

Id. ibid. l. VII, c. 27.

De Triumviris nocturnis.

Quando triumviri nocturni creati fuerint, certum non est. Hoc constat, antiquum eum magistratum esse. Meminit eius Livius lib. IX, ubi de C. Flavio scriba, quomodo aedilis curulis factus sit, agens, inter alia dicit, eum prius tribunatum gessisse, et duos triumviratus, nocturnum alterum, alterum coloniae deducendae, etc. Meminit eius et Tacitus, lib. V Anna-

lium, his verbis: *Triumviri nocturni, quod ad incendium in Sacra via ortum tarde venerant, a tribuna plebis die dieta damnati sunt.* Quod eorum officium fuerit, Paullus iurisconsultus, Dig. lib. I, tit. 15, *Apud vetustiores*, inquit, *incendiis arcendis triumviri praeerant, qui ab eo, quod excubias agebant, etiam nocturni dicti sunt. Interveniebant nonnunquam et aediles, et tribuni plebis.* Erat autem familia publica circa portas at muros disposita, unde, et si opus esset, vocabatur. Fuerunt et privatae familiae, quae incendia, vel mercede, vel gratia extinguerent. Deinde divus Augustus maluit per se huic rei consuli, instituto praefecto vigilum cum cohortibus.

Id. Ibid. l. VII, c. 28.

De Triumviris valetudinis.

De his quum nihil quicquam in veteribus scriptoribus inveniam, nec satis sciam, an magistratus fuerint, quia tamen ab Onuphrio Panvinio in magistratuum numerum referuntur, nolui eos praetermittere; et quum mihi quinam illi fuerint, cognitum non sit, Onuphrii verba, lib. II Commentariorum reipublicae romanae, adscribere libet, quae haec sunt: *Huius*, inquit, *magistratus nulla apud veteres auctores, quod sciam, mentio est. In antiqua vero argentea nummo sic scriptum est*; M. Acilius III VIR. VALE. TV. *Hi nostra aetate pestis caussa creari solent*, atque domini sanitatis *vocantur*; *quibus, temporibus de morbo suspectis, magna potestas concedi solet. Nummi autem verba sic ego interpretor*: M. Acilius III VIR. *valetudinis tuendae*. Haec Onuphrius.

Id. Ibid.

De Triumviris monetalibus.

De triumviris monetalibus Pomponius iurisconsultus, ff. tit. II, de Origine iuris, sic scribit: *Constituti sunt eodem tempore et quatuorviri, qui curam viarum agerent, et triumviri monetales, aeris, argenti, auri flatores, etc. Praefuerunt eudendae monetne*; *dieti fuerunt Triumviri Monetales*, et triumviri A. A. AE. F. F., *quod est*, auro, argento, aere, flando, feriendo. De iis etiam intelligendus locus apud Ciceronem in ep. ad Trebatium iurisconsultum, ubi sic scribit: Treviros *vites censeo*; *audia capitales esse*; *mallem auro, argento, aere essent.* Triumviros enim *treviros* dici, et TRESVIROS solitos, non est obscurum, et sic hunc locum interpretatur Bembus in Epistola ad Paul. Manutium et alii; quamvis etiam hoc verum sit, intelligi simul per *Treviras* populos illos in confinibus Germaniae, quorum metropolis fuit Trevirum, urbs adhuc celebris propter archiepiscopum Trevirensem.

Id. ibid.

De Quinqueviris mensariis et Triumviris mensariis.

Quinqueviri mensarii a dispensatione pecuniae dicti, *ut* tradit Livius, lib. VII, creati sunt, eodem teste, anno U. c. 401, coss. Valerio Poplicola, C. Marcio Rutilio, ex plebe. Caussa eorum creandorum fuit foeneratorum improbitas, et aeris alieni plebis romanae magnitudo; cui quidem rei quum principes plebis succurrere saepenumero tentassent, sed nihil proficere potuisseut, hoc anno, scribit Livius, inclinatis semel in concordiam animis, novi consules foenebrem quoque rem, quae distinere unanimus videbatur, levare aggressi, solutionem alieni aeris in publicam curam verterunt: quinqueviris creatis, quos *mensarios* a dispensatione pecuniae appellarunt. Meriti aequitate curaque sunt, ut per omnium annalium monumenta celebres nominibus essent. Fuere autem C. Duilius, P. Decius Mus, M. Papirius, Q. Publilius et T. Aemilius, qui rem difficillimam tractatu, et plerumque parti utrique, semper certe alteri, gravem, tum alia moderatione, tum impendio magis publico, quam iactura sustinuerunt. Tarda enim nomina, et impeditiora inertia debitorum quam facultatibus; aut aerarium, mensis cum aere in foro positis, dissolvit, ut populo prius caveretur: aut aestimatio aequis rerum pretiis liberavit; ut non modo sine iniuria, sed etiam sine querimoniis partis utriusque exhausta vis ingens aeris alieni sit. Idem Livius, lib. XXIII, tradit, anno 537, tempore secundi belli Punici, triumviros mensarios creatos fuisse. Verba eius sunt: *Et Romae quoque, propter penuriam argenti, triumviri mensarii, rogatione Minutii tribuni plebis facti, L. Aemilius Papus, qui consul censorque fuerat, et M. Atilius Regulus, qui bis consul fuerat, et L. Scribonius Libo, qui tum tribunus plebis erat*, etc. Creabantur hi comitiis tributis.

Id. ibid. l. VII, c. 39.

De Duumviris navalibus.

Duumviri hi sic dicti sunt, quod duo viri simul idem munus obirent; non fuerunt ordinarii magistratus, sed extraordinarii. Eorum prima mentio fit a Livio, lib. IX, in historia anni ab U. c. 442, coss. C. Iunio Bubulco III et Q. Aemilio Barbula II, quo tempore acerrimum populo romano bellum cum Samnitibus erat, ubi scribit: *Rogante M. Decio tribuno plebis, duumviros navales classis ornandae reficiendaeque caussa, populum iussisse.* Quod eorum officium fuerit, non est difficile videre, reficere scilicet et ornare classem, utque navalibus sociis impleatur, commeatuque instruatur, curare. Creati hi magistratus, quemadmodum ex Livio, lib. XL et XLI, intelligitur, et postea sunt, bello contra Ligures, item bello Illyrico, qui tuendam XX navibus mari superiore Anconam velut cardinem haberent, uti Livius docet: ex quo etiam intelligitur, non certum ac definitum tempus magistratum hunc habuisse, quod in aliis magistratibus fuit observatum; quippe hi, quorum posteriore loco ex Livio mentionem feci, biennium illud magistratum tenuerunt: unde extraordinarium eum fuisse, liquido apparet.

De Triumviris qui conquirerent iuvenes idoneos ad arma ferenda militesque facerent.

Hi creati sunt secundi belli Punici tempore, anno U. c. 541, Q. Fulvio Flacco III et Appio Claudio Pulchro coss. Caussam eorum creandorum Livius, lib. XXV, tradit: *Consules*, inquit, *quum aegre delectum conficerent, quod inopia iuniorum non facile in utrumque, ut et novae urbanae legiones et supplementum veteribus scriberetur, sufficiebat, senatus absistere eos incoepto vetuit, et triumviros binos creari iussit: alteros qui citra, alteros qui ultra quinquagesimum lapidem in pagis, forisque, et conciliabulis omnem copiam ingenuorum inspicerent; et si qui roboris satis ad ferenda arma habere viderentur, etiamsi nondum militari aetate essent, milites facerent. Tribuni plebis, si iis videretur, ad populum ferrent, ut qui minores septem et decem annis sacramento dixissent, iis perinde stipendia procederent, ac si septem et decem annorum, aut maiores, milites facti essent. Ex hoc senatusconsulto creati triumviri bini, qui conquisitionem ingenuorum per agros haberent.* Haec Livius, praeter quae nihil de iis reperio.

Id. ibid. l. VII, c. 40.

De Triumviris legendi senatus et Triumviris recognoscendi turmas equitum romanorum.

De his, quod ab Octavio Augusto instituti fuerint, Suetonius, in Augusto, cap. 37, scribit; cuius haec sunt verba: *Quoque plures partem administrandae reipublicae caperent, nova officia excogitavit, curam operum publicorum, viarum et aquarum alvei Tiberis, frumenti populo dividendi, praefecturam Urbis, triumviratum legendi senatus, et alterum recognoscendi turmas equitum, quotiescunque opus esset.* Haec ille; unde etiam manifestum est, extraordinarios eos magistratus fuisse.

Id. ibid. l. VII, c. 41.

De Triumviris, Quinqueviris, Septemviris ac Decemviris, coloniae deducendae; de Quinqueviris, Septemviris, Vigintiviris, agris dandis, attribuendis.

Quum aut lege aliqua a plebe scitum, aut senatusconsulto decretum esset, coloniam aliquam deduci, et numerus colonorum scriptus esset, creabantur comitiis tributis, ut libro superiore ostendimus, modo per consulem, modo per praetorem urbanum curatores, qui coloniam deducerent, interdum tres, interdum quinque, septem, decem, viginti etiam, qui inde triumviri, vel quinqueviri, vel septemviri, vel decemviri, vel vigintiviri coloniae deducendae, aut agris dandis attribuendisve, appellabantur. Hi postquam creati erant, colonos, qui vel sua sponte nomina dederant, vel sorte exierant, in agros lege definitos, atque in coloniam sub vexillo, quasi exercitum aliquem, deducebant. Dux autem deductionis aliquis e curatoribus agrariis erat.

Id. ibid. l. VII, c. 47.

N.° 2. Cap. VI. *Nisi quod in bona uxore tanto maior laus, quanto in mala plus culpae est.*

Valde admiror quod in hac phrasi dubius haereat cl. Ernestus.

Duplex hic proponitur comparatio, singularis cum Agricola, generalis cum uxoribus malis, scilicet:

Vixerunt Agricola et Decidiana *mira concordia per mutuam caritatem et invicem se anteponendo*, quae maxima laus utrique coniugi; attamen maior in uxore, quam in viro, quia vitium in feminis quam in viris turpius; et, ut par sit et aequum in utramque partem, quemadmodum feminis peccantibus plus culpae imputatur quam viris, sic feminis integris plus laudis imputari debet quam viris. Igitur suppleudo ellipsin sic reddam:...... Et invicem se anteponendo; *haec sane egregia laus pariter utrique*, nisi quod in bona uxore, *ut Decidiana*, maior laus *virtutis est, quam in bono viro*, *ut Agricola*, *tanto quidem maior* quanto in mala plus culpae est *quam in malo viro.*

I. N.

N.° 3. Cap. VIII. *Praeerat tunc Britanniae.*

Ut haec historiae pars illostretur, seriem Britanniae praesidum hic proponi, et eum rebus narratis superius componi haud erit inutile.

PRAESIDES BRITANNIAE

AB A. V. C. 796, I. C. 43, AD A. V. C. 838, I. C. 85.

Avlvs Plavtivs: Vit. Agric. 14; Supplement. Annal. IX, 50 et seq.; XI, 3. Dio eum vocat βουλευτὴν ἐλλογιμώτατον, non consularem.

Ostorivs Scapvla: Vit. Agric. 14; Annal. XII, 31, et seq.; Supplem. Annal. XI, 3. Propraetorem vocat Tacitus Ann. XII, 31 et 40.

Avlvs Didivs Gallvs: Vit. Agr. 14; Annal. XII, 40, XIV, 29.

Q. Veranivs: Vit. Agr. 14; Ann. XIV, 29.

Svetonivs Pavllinvs: Vit. Agr. 14 et seq.; Ann. XIV, 29 et seq.

Petronivs Tvrpilianvs: Vit. Agr. 16; Ann. XIV, 39.

Trebellivs Maximvs: Vit. Agr. 16; Hist. I, 60 et seq.

Vettivs Bolanvs: Vit. Agr. 16; Hist. II, 65.

Petilivs Cerialis: Vit. Agr. 17.

Ivlivs Frontinvs: Vit. Agr. 17.

Cnaevs Ivlivs Agricola: cuius nomen virtutesque immortalitati scriptis suis tradidit Tacitus.

Brotier.

N.° 4. Cap. XXVII. *Cuius constantia ac fama ferox exercitus, nihil virtuti suae invium.*

Opinioni Oberlini, contra Gronovium multosque cl. viros, assentior, qui *constantiam* hic, non fortitudinem animi, at *realitatem* intelligat,

oppnatque famae. Quum victoria esset non speciosa tantum, sed *re magna*, ut fama vulgata, itaque ferox exercitus, etc.

I. N.

N.° 5. Cap. idem. *Non virtute, sed occasione et arte ducis rati....*

Malim Freinshemii conjecturam, ut quae verisimilior. Nam in MSS. linea, quae pene ultimae literae, in casibus accusandi, soppressa litera *m*, inscribi solet, saepe saepius incuria scribarum elapsa est. Itaque restituta ad Cornelianam brevitatem facit.

I. N.

N.° 6. Cap. XXVIII. *Immixti manipulis.*

Peditum erant manipuli, ut turmae equitum. Cohors vero sexaginta manipulis, aut contuberniis, id est, 600 hominibus constabat. Cohorti praeerat centurio. Singulis manipulis, seu contuberniis Usipiorum, milites romani fuere immixti. Manipulos pro contuberniis dici patet ex Vegetio, II, 13. Alii erant manipuli, qui duabus centuriis, seu 200 hominibus constabant, ut docet Censius apud Gellium XVI, 4.

Brotier.

N.° 7. Cap. idem. *Circumvecti Britanniam.*

Unde sint profecti, quomodo circumvecti Britanniam, eorum denique navigationis cursum erroresque inquirere curiosum, diligentiusque dicendum.

De Usipiorum cohorte Britanniam circumvecta.

Cohortem illam Usipiorom ex occidentali Britanniae ora solvisse innuit Tacitus, docet Dio, LXVI, pag. 754: Ἐξαναχθέντες περιέπλευσαν τὰ πρὸς ἑσπέραν αὐτῆς (Βρεττανίας). Erat sane ex iis copiis, quas Agricola instruxerat in ea Britanniae parte, quae Hiberniam respicit, ut dictum est cap. 24. Tres liburnicas furtim ascendere, nulla navigandi arte, et ea aetate, qua vel inter peritos erat exigua. Hac illac rapti, ut fluctus ventusque eos ferebat, ὥς που τό τε κῦμα, καὶ ὁ ἄνεμος αὐτοὺς ἔφερε (Dio ibid.), versus septemtrionalem Britanniae partem tendunt. Quum aquam legerent, nec sufficerent commeatus, congressi sunt cum plerisque Britannorum, nempe cum incolis provinciarum, quas nunc dicimus *Cumberland*, *Galloway*, *Cantire*, *Argyll*, *Inverness*, *Strathnavern*, etc. Quum extremum insulae sic attigissent, sinum *Pentland Firth* inter Britanniam et Orcadas (*les iles Orkney*) ingressi sunt, et in orientalem Britanniae partem flexere. Nova inde proelia cum incolis provinciarum (*Cathness*, *Souterland*, *Murray*, *Buchan*, etc.), eaque infeliciora. Imprudentes enim in castra Romanorum, qui ibi tendebant, incidere, καὶ ἔλαθον, ἐκ τοῦ ἐπὶ θάτερα, πρὸς τὰ στρατόπεδα τὰ ταύτῃ ὄντα προσσχόντες (Dio ibid.). Novo hoc periculo territi, castrensesque poenas magis, quam calamitosam, sed liberam, suam sortem exosi, liburnicas propere repetunt, et in altum pro-

vehuntur. Summa brevi fuit rerum omnium inopia: in iis angostiis, primum infirmissimos suorum, deinde sorte ductos vesci coepere. Tantis conflictati miseriis, tempestate aut ipso Oceani impetu in mare Suevicam (*la mer Baltique*) detruduntur. Ibi naves suas, viarum erroribus et regendi inscitia quassas, amisere. Neminem eorum sortis misertum est, quod pro praedonibus haberentur. Igitur dum eluctantur, ut patrias sedes repetant, primum a Suevis inter Albim et Vistulam (*l'Elbe et la Vistule*), mox a Frisiis inter Amisiam et Rhenum (*l'Ems et le Rhin*) intercepti sunt. Quosdam eorum per commercia venumdatos, et in romanam, id est, in sinistram Rheni ripam (nam dextram tenebant Germani) adductos, indicium tanti casus illustravit.

Agricola autem, post Grampiensem victoriam, in publicas curas utilitatesque intentus, audita illa Usipiorum fuga, certusque eos ex occidentali Britanniae parte in orientalem septemtrionali navigatione fuisse pervectos, classem misit, quae, Tao aestuario (nunc *Firth of Tay*) profecta, litora illa ab Oriente in Occidentem relegeret, et diligentissime exploraret (Dio, loc. c.). Tunc primum *hanc oram novissimi maris romana classis circumvecta est, insulamque esse Britanniam adfirmavit*; tunc Orcades (*les iles Orkney*) hactenus fama tantum vulgatae, fuere, eremigato Septemtrione, cognitae et domitae; tunc *dispecta est Thule* (*les iles de Shetland*), *quas hactenus nix et hiems abdebat*, ut dictum est c. 10. Hinc vero intelligas non ad hanc Thulen, sed ad ipsam Britanniam referenda esse, quae habet Statius, adulator magis, quam poëta, in Silvarum lib. V, Protreptic. ad Crispinum, Bolani, Britanniae praesidis, filium, II, 54:

.... Tu disce patrem, quantusque nigrantem
Fluctibus occiduis, fessoque Hyperione Thulen
Intrarit mandata gerens.....

Verum, antequam de septemtrionali navigatione dicendi finem faciam, alterum proferam exemplum, quod, utinam fusius fuisset narratum, magnum naturae arcanum resecraret. Auctore enim Plinio II, 67, Cornelius *Nepos de septemtrionali circuitu tradit, Quinto Metello Celeri, L. Afranii in consulatu collegae*, (consules fuere a. U. c. 694, ante Christum 60), *sed tum Galliae proconsuli, Indos a rege Suevorum dono datos, qui ex India commercii caussa navigantes, tempestatibus essent in Germaniam abrepti*. Sic ante viginti annos, quum Elisabetha Augusta imperium rossicum regeret, Iaponenses, commercii caussa navigantes, tempestatibus abrepti, ad oram imperii russici (*le Kamtchatka*) appulere, unde Petropolim (*Petersbourg*) missi, ab Elisabetha humanitate maxima excepti et habiti sunt. At Indi, longiore errore, non modo Iaponenses insulas (*le Japon*), oramque imperii russici (*le Kamtchatka*), sed et orientales ac septemtrionales Siberiae et Laponiae oras (*la Sibérie, le pays des Samoiedes, la Laponie*) circumvecti, ad Oceanum mareque Suevicum (*la mer Baltique*) flexere [1]; unde a rege Suevorum habiti, dono dati sunt

[1] Haud facile, ut opinor, Broterio adsentiet, quisquis attendet quot et quam immensi notorum atque ignotorum marium tractus, quorum nonnulli parmeabiles sint an terris clausi, etiamnum in dubio ponitur, quantula tunc arte navigandi et peritia Indis

Quinto Metello Celeri, Galliae proconsuli. Sic casus fecit, quod a Batavis Russisque magna cum laude tentatum, nondum tamen praestitum est. Tales autem casus nunc rarissimi ob nauticae rei scientiam, mutatos armorum usus, et politicas imperiorum leges; olim, audacioribus barbaris, frequentes erant, et eventorum, quae hodie incredibilia videntur, feraces. Iuvat ergo Usipiorum exemplum recentiore felicioreque Francorum exemplo confirmare. Illud habet Eumenius in Panegyrico Constantii, c. 18: *Recursabat quippe in animos illa sub divo Probo et paucorum ex Francis captivorum incredibilis audacia, et indigna felicitas, qui a Ponto usque correptis navibus, Graeciam Asiamque populati, nec impune plerisque Libyae litoribus appulsi, ipsas postremo navalibus quondam victoriis nobiles ceperant Syracusas, et immenso itinere pervecti Oceanum, qua terras irrupit, intraverant, atque ita eventu temeritatis ostenderant nihil esse clausum piraticae desperationi, quo navigiis pateret accessus.* Vide et Zosimum, lib. I, in fin.

Brotier.

N.° 8. Cap. XXXI. *Neque enim arva nobis, aut metalla, aut portus sunt, quibus exercendis reservemur.*

Arva unde Romani *decumas frugum*, et *scripturam* vel pecuarium tributum, per publicanos, redemptores vectigalium, sumebant; *portus* unde vectigal importatarum et exportatarum mercium, scilicet *portorium*. Adi, si plura scire cupias, Burmann. de Vectigalibus, lib. sing., et *Bouchaud, de l'Impôt du vingtième*, etc.

Sunt qui putent in hunc Taciti locum offendisse omnes interpretes, et sic intelligendum: Non reservamur arvis, metallis, portubus nostris exercendis. Quippe Caledonios, licet rei venatoriae praecipue deditos, non potuisse non arva colere, neque non habere portus, cingentibus fere undique maritimis oris, neque metallis carere, quae iam Romani nonnulla ibi esse suspicarentur. At non illi satis reputaverunt dicere Calgacum, qui romanam avaritiam carpebat, haec omnia, quatenus ad quaestus inde Romanis sperandos pertinerent, Caledoniis nulla esse. Quid enim? *arva* quidem habebant; sed quantulum e montana et infecunda illius terrae asperitate vectigal? Non deerant *metalla*, sed adhuc irreperta incolis; igitur nullae, quas exercerent, fodinae. *Portus* circum orae multos efficiebant. Quod vero *emporium?* Itaque interpretum opinioni assentior.

I. N.

circumeundi fuerint, ut illum a Broterio excogitatum cursum conficerent. Sed vero similius videbitur, quum, per terram Asianam, ut solebant gentis eius homines, negotiandi caussa, catervatim itinere facto, Trapezunte Byzantium pergerent, eos aut in ora Danubii tempestate compulsos, ut placet cl. *Abel-Remusat*, meo in Academia socio, quem huius opinionis mihi consiliarium et auctorem, vel cum offensione illius verecundiae, profiteor, aut Byzantio in Thraciae regiones finitimas Barbaris progressos, ibi captos fuisse et per commercia venumdatos.

I. N.

N.° 9. Cap. idem. *Libertotem non in praesentia laturi, primo statim congressu nonne ostendemus, quos sibi Caledonia viros seposuerit?*

Ferre saepissime pro *adipisci* sumitur: *ferre honores*, *ferre praemium*. Ergo *laturi non in praesentio libertotem* explicanda eeuseo, taoquam Calgaeus significaret eos adhuc *indomitos* non libertatem *subitam et caducam*, pugnae praemium, referendam sibi proponere, more Brigantum, at libertatem antiquam retinendam futuramque perennem.

I. N.

N.° 10. Cap. XXXIII. *In frontem.*

Male *Brotier* et Ernestus haec verba quasi *in speciem* interpretantur. Hic est Taciti sensus: Dum ultro progredimur et *in frontem* pergimus, haec pulchra et decora; sed si terga dederimus, fugientes, eadem periculosissima. Si non satis per se liqueret hic *in frontem* oppuni *fugientibus*, Tacitus ipse lucem afferret, commemoratis proxime inferioribus locis: *Tunc Agricola.... veritus ne in* fruntem *simul et latera suorum pugnaretur*, etc. c. 35; *Transvectaeque praecepto ducis* a fronte *pugnantium alae*, c. 37.

I. N.

N.° 11. Cap. XXXVI. *Interim equitum turmae fugere, covinarii peditum se proelio miscuere.*

Nihil hic mutatum, ut Lipsio et Ernesto placet, velim. Dixit noster, c. 35, *tria millia equitum* romanorum sic locata foisse ab Agricola, *ut cornibus adfunderentur; media outem campi*, inter britannicam aciem et romanam, *covinarium et equitem* britannicum *strepitu et discursu complere*. Ergo eovinarius et eques Britannorum, quum non haberent oppositos sibi romanos equites, impetum cohortium exeepere. *Equitum* britannicorum *turmae fugere*, at non *covinarii*, qui *peditum se proelio miscuere*.

Multum qnoque laboratum est in verbis proxime sequentibus, quae vexata miris modis nemo non mutavit, ut nodum, qui nullus erat, exsolveret: *Minimeque equestris eo pugnae facies erat, quum in gradu stantes, simul equorum corporibus impellerentur, oe saepe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi.... incursabant.* Ernestus emendationem Lipsii recepit, *aegre diu stantes*, pro *in gradu stantes*; quae mihi supervacanea videtur. Persequamur sententiam Taciti, et ipsa per se explanabitur. *Covinarii se proelio peditum miscuere*, *minimeque equestris ea pugnae acies erat*, quum cohortes et illi covinarii, qui videlicet desiluerant curribus, et peditum more pugnabant, corporibus equorum impellerentur.

In gradu stare satis clare significat *pedibus insistere*, *pedibus ferri*; si quidem *gradi*, *ingredi* proprium est *incedentis passibus*, et opponitur τῷ ferri equo vel curru:

Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit:

In hoc Virgiliano, τὸ *ingreditur*, idoneo et necessario acceptum sensu,

valet idem quod *pedibus insistere*, *pede terram tangere*. Itaque covinarii, postquam se proelio pedestri miscuerant, quum iniqua et incommoda, si in curribus intricatis haesissent, pugna illis fuisset, maluerunt, quo promptius manum cum hostibus consererent, in gradu stare, pedites dimicare, quam curribus ferri. Unde equi *sine rectoribus*, *vagi currus* incursabant transversos aut obvios.

I. N.

N.° 12. Cap. XLI. *Dum optimus quisque libertorum amore et fide...*,

Haec mihi videtur esse illius loci sententia: « Principis animum, relatis hominum de Agricola *sermonibus*, *exstimulabant*: optimus quisque, *amore* ductus *et fide* erga principem, ea mente agebat, ut Agricola, fortissimo duce, uti principi persuaderet; *pessimi*, instincti *malignitate*, scilicet male faciendi voluptate *et livore* contra egregium virum, id habebant propositum, ut eum perderent. Itaque *principem* hi et illi diverso consilio *aeque exstimulabant*, at *pronum* deteriora suadentibus.

I. N.

FINIS NOTARVM AD VITAM AGRICOLAE.

STEMMA CAESARVM

AD NVMMORVM, SCRIPTORVM VETERVM,

AC MAXIME

C. CORNELII TACITI


INTELLIGENTIAM ILLVSTRATVM.

1. Caivs Ivlivs Caesar, nobilissima Iuliorum familia genitus, dictatoris pater, fratrem habuit Lucium Iulium Caesarem. Hic praetor, ille praetura perfunctus, nullis evidentibus caussis, dum calceantur, repentina morte obiere: Lucius Romae, Caius Pisis exanimatus a. U. c. 670. Iulia, eorum soror, coniugem habuit C. Marium, septies consulem, seculi sui decus et ornamentum, dictatori Caesari virtutis incitamentum. Caesarum, totiusque gentis Iuliae, licet Ascanio Iulo, Aeneae filio, et Venere dea ortos se iactitarent, laus maxima fuit Dictator Caesar. Sueton. in Iul. 1 et 6; Plin. VII, 53; Plutarch. in Mario, p. 408.

2. Avrelia, uxor Caii Iulii Caesaris, dictatoris mater; femina morum honestate illustris. Plutarch. in Caesare, pag. 711. Tacit. Dialog. de Orat. 28.

3. Caivs Ivlivs Caesar, dictator, natus est IV idus Quintiles, a. U. c. 654, ante Christum 100, Mario VI et Valerio Flacco consulibus. Pharsalicis in campis, Cn. Pompeii Magni victor, Romae, terrarum dominae, imperavit a. U. c. 706. Quadriennio post, a M. Bruto, C. Cassio, aliisque coniuratis, idibus Martiis a. U. c. 710, occisus est. Vir Romanorum maximus, et laude dignissimus, nisi, quod summum est in libera civitate crimen, libertatem perdidisset. Mentis capacitate, animi sublimitate, celeritate ingenii supra humanam et naturam, et fidem, evectus, non patriam tantum, sed totum terrarum orbem rebus praeclare gestis illustravit. Ad gloriam tamen, incertum, an ad generis humani iniuriam natus, qui collatis signis quinquagies dimicavit, et, praeter bellorum civilium strages, undecies centena et XCII M. hominum [1] a se occisa proeliis ipse prodidit. Macrob. Saturnal. I, 12; Vell. Patercul. II, 41 et seqq.; Plin. VII, 25.

[1] Ut vulgo scribimus, 1,192,000 hominum. Plutarchus, in Caesar. p. 715, ait Iulium diversis temporibus signa contulisse cum tricies centenis millibus (3,000,000) hominum, decies (1,000,000) interfecisse, totidem cepisse.



In nummis appellator CAESAR IMP. COS. AVG. PONT. MAX. DICT. PERP. *Caesar imperator, consul, augur, pontifex maximus, dictator perpetuo.* Post mortem DIVOS vel DIVVS IVLIVS.

4. COSSVTIA, uxor Caesaris, familia equestri, sed admodum dives; Caesari adhuc praetextato desponsata, postea dimissa. Sueton. in Iul. Caes. 1.

5. CORNELIA, Cinnae quater consulis filia, secunda uxor Caesaris; quam ut repudiaret a dictatore Sylla, neque spe, neque metu unquam compelli potuit. Defunctam, quum quaestor esset, pro rostris laudavit. Sueton. in Iul. 1 et 6; Plutarch. in Iul. pag. 707.

6. IVLIA Caesaris et Corneliae filia, primum Servilio Caepioni desponsata; eo deinde repudiato, fuit Cn. Pompeio Magno collocata a. U. c. 695. Illam a. U. c. 700 mortuam laudavit nepos Octavius: in eius honorem venationes ludosque gladiatorios instituit Caesar, pater optimus. Sueton. in Iul. 21, in Aug. 8; Dio, XXXVIII, pag. 63; XXXIX, p. 120; XLIII, pag. 225.

7. CNEIVS POMPEIVS MAGNVS, Pompeio Strabone et Lucilia n. U. c. 648, pridie kalendas Octobris genitus, coniux Iuliae. Pompeio maiorem non haberet Roma, si Caesarem non tulisset. Octavo decimo aetatis anno civilia bella sustinuit. Viginti tres annos natus, privatis ut opibus, ita et consiliis, dignitatem patriae vindicare aggressus est. Magna ausus, magnificentius conata exsecutus, oram maritimam a praedonibus liberavit; imperium maris populo romano restituit; Asiam, quam ultimam provinciarum acceperat, eamdem mediam fecit; subacta Africa, Magni nomen in spolium cepit. Ex Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Iudaeis, Albanis, Iberia, insula Creta, Basternis, et super haec de regibus Mithridate atque Tigrane triumphavit. Tot victoriarum monumentum superstes esse voluit in delubro Minervae, quod a. U. c. 696, ex manubiis dicavit, posita hac inscriptione: CN. POMPEIVS MAGNVS IMP. BELLO XXX ANNORVM CONFECTO, FVSIS, FVGATIS, OCCISIS, IN DEDITIONEM ACCEPTIS HOMINVM CENTIES VICIES SEMEL LXXXIII M. (12,183,000 hominum) DEPRESSIS AVT CAPTIS NAVIBVS DCCCXLVI. OPPIDIS, CASTELLIS MDXXXVIII IN FIDEM RECEPTIS. TERRIS A MAEOTIS LACV AD RVBRVM MARE SVBACTIS, VOTVM MERITO MINERVAE. Civis optimus ac felicissimus, si parem ferre potuisset, nec inexplebili pecuniae cupiditate laborasset. Dominationem dum unus affectat, victus interficitur a. U. c. 706; et Caesar, mortuo illacrimans, bis victor videtur, ac solus imperat. Plin. VII, 26; XXXVII, 2; Tacit. Annal. XIII, 6; Vell. Paterc. II, 29; Plutarch. in Pompeio, pag. 619.

In nummis appellatur CN. MAGN. PIVS. PROCOS. IMP. IMP. ITER. PRAEF. CLAS. ET ORAE. MARIT. EX. SC., id est, *Cneius magnus, pius, proconsul, imperator, imperator iterum, praefectus classis et orae maritimae, ex senatusconsulto.*

8. N. Cn. Pompei et Iuliae filius, Caesaris nepos, natus ad maxima, et Caesarem inter ac Pompeium pacis vinculum; sed brevi post matrem exstinctus est a. U. c. 701. Cum ipsa stirps Caesaris, et reipublicae romanae libertas periere. Vell. Patercul. II, 47.

In nummis appellatur CAESAR IMP. COS. AVG. PONT. MAX. DICT. PERP. *Caesar imperator, consul, augur, pontifex maximus, dictator perpetuo*. Post mortem DIVOS vel DIVVS IVLIVS.

4. COSSVTIA, uxor Caesaris, familia equestri, sed admodum dives; Caesari adhuc praetextato desponsata, postea dimissa. Sueton. in Iul. Caes. 1.

5. CORNELIA, Cinnae quater consulis filia, secunda uxor Caesaris: quam ut repudiaret a dictatore Sylla, neque spe, neque metu unquam compelli potuit. Defunctam, quum quaestor esset, pro rostris laudavit. Sueton. in Iul. 1 et 6; Plutarch. in Iul. pag. 707.

6. IVLIA Caesaris et Corneliae filia, primum Servilio Caepioni desponsata; eo deinde repudiato, fuit Cn. Pompeio Magno collocata a. U. c. 695. Illam a. U. c. 700 mortuam laudavit nepos Octavius: in eius honorem venationes ludosque gladiatorios instituit Caesar, pater optimus. Sueton. in Iul. 21, in Aug. 8; Dio, XXXVIII, pag. 63; XXXIX, p. 120; XLIII, pag. 225.

7. CNEIVS POMPEIVS MAGNVS, Pompeio Strabone et Lucilia a. U. c. 648, pridie kalendas Octobris genitus, coniux Iuliae. Pompeio maiorem non haberet Roma, si Caesarem non tulisset. Octavo decimo aetatis anno civilia bella sustinuit. Viginti tres annos natus, privatis ut opibus, ita et consiliis, dignitatem patriae vindicare aggressus est. Magna ausus, magnificentius conata exsecutus, oram maritimam a praedonibus liberavit; imperium maris populo romano restituit; Asiam, quam ultimam provinciarum acceperat, eamdem mediam fecit; subacta Africa, Magni nomen in spolium cepit. Ex Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Iudaeis, Albanis, Iberia, insula Creta, Basternis, et super haec de regibus Mithridate atque Tigrane triumphavit. Tot victoriarum monumentum superstes esse voluit in delubro Minervae, quod a. U. c. 696, ex manubiis dicavit, posita hac inscriptione: CN. POMPEIVS MAGNVS IMP. BELLO XXX ANNORVM CONFECTO, FVSIS, FVGATIS, OCCISIS, IN DEDITIONEM ACCEPTIS HOMINVM CENTIES VICIES SEMEL LXXXIII M. (12,183,000 hominum) DEPRESSIS AVT CAPTIS NAVIBVS DCCCXLVI. OPPIDIS, CASTELLIS MDXXXVIII IN FIDEM RECEPTIS. TERRIS A MAEOTIS LACV AD RVBRVM MARE SVBACTIS, VOTVM MERITO MINERVAE. Civis optimus ac felicissimus, si parem ferre potuisset, nec inexplebili pecuniae cupiditate laborasset. Dominationem dum unus affectat, victus interficitur a. U. c. 706; et Caesar, mortuo illacrimans, bis victor videtur, ac solus imperat. Plin. VII, 26; XXXVII, 2; Tacit. Annal. XIII, 6; Vell. Paterc. II, 29; Plutarch. in Pompeio, pag. 619.

In nummis appellatur CN. MAGN. PIVS. PROCOS. IMP. IMP. ITER. PRAEF. CLAS. ET. ORAE. MARIT. EX. SC., id est, *Cneius magnus, pius, proconsul, imperator, imperator iterum, praefectus classis et orae maritimae, ex senatusconsulto*.

8. N. Cn. Pompei et Iuliae filius, Caesaris nepos, natus ad maxima, et Caesarem inter ac Pompeium pacis vinculum; sed brevi post matrem exstinctus est a. U. c. 701. Cum ipso stirps Caesaris, et reipublicae romanae libertas periere. Vell. Patercul. II, 47.

9. N. Cn. Pompeii et Iuliae filia, neptis Caesaris. In partu occubuit mater eius Iulia a. U. c. 700; ipsa paucos dies vixit. Plutarch. in Iul. pag. 647; Dio, XXXIX, pag. 120.

10. Pompeia. Quinti Pompeii filia, Lucii Syllae neptis, tertia uxor Caesaris, qui illam repudiavit, a Publio Clodio adulteratam opinatus. Cur dimisisset interrogatus, respondit, *thalamum Caesaris non modo crimine, sed etiam suspicione vacuum esse debere.* Sueton. in Iul. 6; Plutarch. in Iul. pag. 711, in Cicerone pag. 874 et 875.

11. Calpvrnia, L. Calpurnii Pisonis filia, nupsit Caesari a. U. c. 695. Interfecto coniuge, ad M. Antonium confugit; convasatis ex uxuria domo quatuor millibus talentorum, monetae gallicae 18,049,383 fr. Sueton. in Iul. 81; Plutarch. in Iul. p. 714, in Antonio pag. 922.

12. Ivlia, Caii Iulii Caesaris, praetorii, et Aureliae filia, Caesaris dictatoris soror, uxor M. Atii Balbi. Sueton. in Aug. 4.

13. Marcvs Ativs Balbvs, stirpe Aricinus, Iuliae, dictatoris sororis, coniux, Augusti avus; multis imaginibus senatoriis nobilis, Caesarum affinitate nobilior. Sueton. in Aug. 4.

14. Atia, M. Atii Balbi et Iuliae filia, uxor Caii Octavii, mater Augusti Sueton. in Aug. 4; Tacit. Dialog. de Orat. XXVIII.

15. Caivs Octavivs, Atiae coniax, Augusti pater, oriundus Velitris, familia equestri, sed vetere ac locuplete. Post praeturam Macedoniam sortitus est. Residuam Spartaci et Catilinae manum delevit; Bessos Thracasque magno proelio fudit, socios tractavit humanissime. Decedens Macedonia, priusquam profiteri se candidatum consulatus posset, morte repentina obiit. Ex priore cum Ancharia matrimonio Octaviam susceperat, quae ad stirpem Caesarum nihil pertinet. Sueton. in Aug. 3, 4 et 5.

16. Octavia, Atiae et Octavii filia, soror Augusti; primum Fausto Syllae destinata, deinde Claudio Marcello et M. Antonio nupta; femina virtutum et literarum studiis commendatissima. Defunctam a. U. c. 743, laudavit Augustus. Corinthii templum ei sacrarunt. Sueton. in Iul. 27; Dio, LIV, p. 546; Pausanias, II, 3, in Corinth.; Plin. III, 2, sect. 3.

17. Caivs Clavdivs Marcellvs, Octaviae, sororis Augusti, coniux; consulatum gessit a. U. c. 704. Licet Caesari dictatori affinis, fuit tamen ei inimicissimus. Sueton. in Iul. 27; Dio, XL, p. 148.

18. Marcvs Marcellvs, Octaviae et Claudii Marcelli filius, maximae spei iuvenis, Augusto carissimus, et successionis, in quam alebatur, capax; sed flagrantibus populi romani studiis intra iuventam ereptus est a. U. c. 731. Memoriam eius maximis honoribus prosecutus est Augustus; immortalem fecit Virgilius. Tacit. Annal. II, 41, et III, 64; Dio, LIII, pag. 517; Virgil. Aeneid. VI, 883.

19. Pompeia, Sexti Pompeii filia, M. Marcello desponsa a. U. c. 715. Dio, lib. XLVIII, pag. 380.

Ivlia, Augusti et Scriboniae filia, M. Marcello nupta a. U. c. 729. Dio LIII, p. 515. De illa plura dicentur infra num. 47.

20. Marcella maior, Claudii Marcelli et Octaviae filia; primo uxor, ut mihi videtur, Apuleii, deinde Valerii Messalae. Sueton. in Aug. 53; Dio, LIV, pag. 543.

21. Apvleivs, Marcellae maioris maritus, forte filius Sexti Apuleii, qui consulatum gessit a. U. c. 725. Dio, LIV, pag. 543.

22. Apvleia Varilia, neptis Octaviae sororis Augusti, Apuleii et Marcellae maioris filia, damnata adulterii a. U. c. 770, et ultra ducentesimum lapidem ablegata. Tacit. Annal. II, 50.

23. M. Valerivs Messala Barbatvs, alter Marcellae maioris maritus, consul a. U. c. 742. Sueton. in Aug. 63, in Claud. 26; Dio, LIV, pag. 541.

24. M. Valerivs Messala Barbatvs, Messalae Barbati et Marcellae maioris filius, Messalinae pater. Sueton. in Claud. 26.

25. Domitia Lepida, Antoniae minoris et L. Domitii Ahenobarbi filia, uxor Messalae Barbati, mater Messalinae. Femina impudica, infamis, violenta; forma, aetate, opibus, vitiis, Agrippinae, Neronis matris, aemula: ideo morte damnata a. U. c. 807. Tacit. Annal. XI, 37; XII, 64. Sueton. in Claud. 26, in Ner. 7.

26. Valeria Messalina, Messalae Barbati et Domitiae Lepidae filia, uxor Claudii imperatoris: novae, et furori proximae, libidinis femina. Quum imperator Ostiae diversaretur, Silio nubere ausa est. Inauditum ob scelus occisa a. U. c. 801. Sueton. in Claud. 26; Tacit. Annal. XI, 26 et seqq.

In nummis appellatur ΟΥΑΛΕΡΙΑ ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ. ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ., id est, *Valeria Messalina*, *Messalina Augusta*. Olim fuit in museo collegii Ludovici Magni aerea eius statua, inscripta: Mes. Avg., id est, *Messalina Augusta*.

Tiberivs Clavdivs, imperator V, coniux Messalinae. De illo dicetur infra num. 101.

27. Marcella minor, Octaviae et Marcelli filia, primum M. Vipsanii Agrippae, deinde M. Iulii Antonii uxor. Sueton. in Aug. 63; Plutarch. in Anton. pag. 955.

Marcvs Vipsanivs Agrippa, Marcellae minoris maritus, postea Iuliae, Augusti filiae. De illo plura num. 47.

28. NN. liberi, quos Vipsanius Agrippa ex Marcella minore susceperat, antequam Iuliam, Augusti filiam, uxorem duceret. Sueton. in Aug. 63.

29. Marcvs Ivlvs Antonivs, M. Antonii triumviri et Fulviae filius, Marcellae minoris, ab Agrippa dimissae, maritus: consulatum gessit a. U. c. 744. Vir proiectae libidinis, et ob adulterium Iuliae, Augusti filiae, morte punitus. Egregium carmen illi inscripserat Horatius, Pindari laudator et aemulus. Tacit. Annal. III, 18; IV, 44. Dio, LIV, pag. 546; LV, p. 555; Horat. IV, od. 2.

30. Lvcivs Antonivs, Iuli Antonii et Marcellae minoris filius. Ob scelus patris, adhuc admodum adolescentulus in civitatem Massiliensem ab

Augusto sepositus est, ut specie studiorum nomen exsilii tegeretur. Obiit a. U. c. 778. Tacit. Annal. IV, 44.

31. Marcvs Antonivs, triumvir, M. Antonii, oratoris, filius, alter Octaviae, sororis Augusti, maritus, quam uxorem accepit a. U. c. 714. Eam vero repudiavit a. U. c. 722, ut Cleopatrae, Aegypti reginarum novissimae, ipse serviret. Caesare dictatore occiso, sestertium septies millies, gallicae monetae 134,503,876 fr., ad aedem Opis depositum occupaverat. Civis pessimus, in triumviratu praegravis, et scelere proscriptionum infamis. Summu saepe consecuturus, nisi fortuna sua inferiorem, aut potius indignum, se semper praestitisset. Ad Actium victus a. U. c. 724, multa desidiae crimina morte redemit, scriptis tamen et morte Ciceronis aeternum famosus. Vell. Patercul. II, 60 et 87; Dio, L, pag. 420; Plin. VII, 45; Plutarch. in Anton.; Cicero in Philippic.

In nummis appellatur M. Anton. M. f. M. n. avg. imp. cos. desig. iter. et. tert. iiivir. rpc., id est, *Marcus Antonius, Marci filius, Marci nepos, augur, imperator, consul designatus iterum et tertium, triumvir reipublicae constituendae.*

32. Antonia maior, Octaviae, Augusti sororis, et M. Antonii triumviri filia, uxor L. Domitii Ahenobarbi. A Tacito Antonia minor appellatur; forte Antoniam maiorem ex Fulvia ante susceperat Antonius. At Dio perperam scripsit Antoniam Cn. Domitio fuisse desponsatam. Dio, XLVIII, pag. 390; Tacit. Annal. IV, 44; Sueton. in Nerone, 5; Plutarch. in Anton. pag. 955.

33. Lvcivs Domitivs Ahenobarbvs, Cn. Domitio, Caesaris dictatoris interfectore, genitus, maritus Antoniae maioris. Vir profusus, arrogans, immitis: exercitu Albim transcendit; longiusque penetrata Germania, quam quisquam priorum, insignia triumphi adeptus est. Obiit a. U. c. 778. Sueton. in Nerone, 4; Tacit. Annal. IV, 44.

34. Cneivs Domitivs Ahenobarbvs, Antoniae maioris et Lucii Domitii filius; Agrippinam, Germanici filiam, uxorem duxit a. U. c. 781; consulatum gessit a. U. c. 785. Omni parte vitae ita detestabilis, ut ex se et Agrippina nihil boni nasci posse vere pronuntiaverit Suetonius in Nerone, 5; Tacit. Annal. IV, 75; Dio, LVIII, p. 633, et LXI, p. 690.

Agrippina, Germanici et Agrippinae, Vipsanio Agrippa genitae, filia, Cn. Domitii uxor, Neronis imperatoris mater. De hac imperii romani face dicemus, num. 93.

35. Lvcivs Domitivs Nero Clavdivs, imperator VI, Agrippinae et Cn. Domitii Ahenobarbi, pessimorum parentum filius pessimus: natus est decimo octavo kalendas Ianuarias, a. U. c. 790. A vitrico suo Claudio gener ac filius adoptatus, in familiam Claudiam et nomen Neronis transiit. Regnum ita auspicatus est a. U. c. 807, ut inter optimos principes haberi potuerit, ita gessit postea, ut inter nequissimos ac sceleratissimos semper sit annumerandus. Princeps nefandi ingenii, omnium immanitatum, omnium turpitudinum capax, et principatus libidine omnium reus. Illum, funeratis Caesaribus, tanquam pestem, incensa Roma exhorruit. Christiana religio, quod primum eum hostem habuerit, gloriatur.

Hominibus sibique invisus, et atroci senatusconsulto capite damnatus, ipse, scelerum suorum vindex, carnificis partes in se explevit a. U. c. 821. In eo defecit Caesarum progenies tot virtutibus olim illustrata, omnigenis recentiorum Caesarum vitiis infamata. Plutarch. in Anton. p. 955; Sueton. in Ner. 6; Tacit. Annal. XII, 25; Plin. XXII, 22, sect. 46; Dio, LXIII, pag. 727.

In nummis ante principatum appellatur NERO CLAVD. CAES. DRVSVS GERM. PRINC. IVVENT. COS. DESIG. SACER. COOP. IN OMN. CONL. SVPRA NVM. EX SC., id est, *Nero Claudius Caesar Drusus Germanicus, princeps iuventutis, consul designatus, sacerdos cooptatus in omnia collegia supra numerum, ex senatusconsulto.*

In principatu, NERO CLAVD. DIVI CLAVD. F. CAESAR AVG. GERM. PONT. MAX. IMP. TR. P. P. P., id est, *Nero Claudius, divi Claudii filius, Caesar, Augustus, Germanicus, pontifex maximus, imperator, tribunicia potestate, pater patriae.*

36. OCTAVIA, Claudii imperatoris et Messalinae filia, Britannici soror, nata a. U. c. 795, primum L. Silano desponsa, sed Neroni nupta a. U. c. 806. Femina incorrupta probitate, aliis temporibus, alio marito digna. Illam Nero repudiavit, repudiatam revocavit, ac tandem in insulam Pandatariam claudi et interimi iussit a. U. c. 815. Tacit. Annal. XII, 3 et 25; XIV, 60 et 64; Dio, LXII, pag. 706.

In nummis, OCTAVIA AVG. id est, *Octavia Augusta.*

37. POPPAEA SABINA, T. Ollii et Poppaeae Sabinae filia; primum Rufio Crispino, deinde M. Salvio Othoni, postea imperatori, demum Neroni nupta a. U. c. 815. Eam, summe dilectam, nec vitiis absimilem, ferox princeps calcis ictu occidit a. U. c. 818, et pro rostris laudavit. Corpus eius non fuit crematum, pro Romanorum more; sed odoribus differtum et foliorum tumulo conditum. Testatur Plinius Arabiam felicem non ferre tantum thuris annuo fetu, quantum Nero novissimo Poppaeae suae die concremaverit. Triennio post templum posuit SABINAE DEAE VENERI. Tacit. Annal. XIII, 45; XVI, 6; Sueton. in Nerone, 35; Dio, LXIII, p. 726.

In nummis POPPAEA AVG., id est, *Poppaea Augusta*; DIVA POPPAEA.

38. CLAVDIA AVGVSTA, Poppaeae et Neronis filia, nata Antii a. U. c. 816, et statim appellata *Augusta*. Quartum intra mensem defuncta est, Nerone, ut laetitiae in partu, sic in morte moeroris immodico. Tacit. Annal. XV, 23; Sueton. in Ner. 35.

In nummis DIVA CLAVDIA NER. F., id est, *Diva Claudia Neronis filia.*

39. STATILIA MESSALINA, T. Statilii Tauri abneptis, tertia Neronis uxor; qua ut potiretur, virum eius Atticum Vestinum consulem trucidavit a. U. c. 818. Sueton. in Nerone, 35; Tacit. Annal. XV, 68.

40. DOMITIA, Antoniae maioris et L. Domitii Abenobarbi filia, Neronis amita, Passieni Crispi uxor, quam Nero veneno interemit a. U. c. 812. Quintilian. Institut. Orat. VI, 1; Tacit. Annal. XIII, 19 et 21; Dio, LXI, p. 697.

PASSIENVS CRISPVS, maritus primo Domitiae, deinde Agrippinae Germanici filiae. De illo infra num. 94.

Domitia Lepida, Antoniae maioris et L. Domitii Ahenobarbi filia, primo M. Valerii Messalae Barbati, secundo C. Appii Iunii Silani uxor. De illa iam dictum supra num. 25.

Marcvs Valerivs Messala Barbatvs, Messalae Barbati et Marcellae maioris filius, primus Domitiae Lepidae maritus; de quo diximus supra num. 24.

41. Caivs Appivs Ivnivs Silanvs, Hispaniae praefectus, quem Claudius Domitiae Lepidae, Messalinae matri, collocavit, ac paullo post interfecit a. U. c. 795. Dio, LX, pag. 674.

42. Antonia minor, Octaviae sororis Augusti et M. Antonii triumviri filia, Neronis Drusi coniux, mater Germanici. Femina forma et castitate excellens. Post mariti obitum in viduitate consenuit, laudibus virilem familiae suae claritatem supergressa. Inter parva naturae insignia, Antoniam nunquam exspuisse observat Plinius, VII, 19; Sueton. in Caio 1; Tacit. Annal. III, 3; XI, 3; Plutarch. in Antonio pag. 955; Valer. Maxim. IV, 3, num. 3.

In nummis Antonia Avgvsta.

Nero Clavdivs Drvsvs, Antoniae minoris maritus, pater Germanici, utruque dignus. De illo infra num. 79.

43. Caivs Octavivs Caesar Avgvstvs, imperator, Atiae et C. Octavii filius, natus nono kalendas Octobris, a. U. c. 691, romani imperii conditor. Bella civilia anno aetatis nono decimo suscepit, ita gessit, ut triennio post nullus ex dictatoris Caesaris, adoptivi patris, interfectoribus superstes fuerit. Sextum Pompeium navali praelio apud Siciliam oppressit; M. Lepidum, triumvirum, imperio exutum, in ordinem redegit; M. Antonium ad Actium superavit; ac tandem unus Iulianarum etiam partium dux reliquus, cuncta, discordiis civilibus fessa, nomine principis sub imperium accepit. Tunc pacis studiosus, doctorum hominum cultor, egregiarum artium instinctor munificus, omnium animos per annus ferme quadraginta quatuor sibi adeo devinxit, ut Avgvstvs, pater patriae appellaretur. Scythae et Sarmatae, Garamantes ac Bactri, Seres et Indi, orando foederi legatos miserunt; Roma et celeberrimae provinciarum urbes, tanquam Deo, templa, sacerdotes et collegia vivo mortuove consecrarunt. Obiit decimo quarto kal. Septembris, a. U. c. 767. Vir, si diligenter aestimentur cuncta, fama quam virtutibus celebratior; nunquam principatum adepturus, nisi pessimi fuissent Lepidus et Antonius, maximus dictator Caesar, optimus Vipsanius Agrippa. Laudandus tamen quod imperium, aliena virtute partum, arte plurima sustinuerit, et Romam, quam lateritiam acceperat, marmoream reliquerit. In ipsa sua felicitate ita varius, ut inter omnes sortis humanae casus semper colluctatus, nemo magis ex omnibus mortalibus hominem esse se, dum inter homines erat, senserit. Sueton. in Aug. 5 et 100; Tacit. Annal. I, 1; XIII, 6; Florus, IV, 12; Aurel. Victor de Caesaribus, c. 1; Plin. VII, 45; Senec. consol. ad Polyb. cap. 34.

In nummis ante principatum appellatur C. Caesar divi f. imp. iiivir. rpc. cos. libertatis p. r. vindex., id est, *Caius Caesar, divi filius*,

imperator, triumvir reipublicae constituendae, consul, libertatis populi romani vindex.

In principatu, CAESAR AVG. AVGVSTVS. DIVI F. IMP. COS. PONT. MAX. TR. POT. PATER PATRIAE., id est, *Caesar Augustus. Augustus, Divi filius, imperator, consul, pontifex maximus, tribunicia potestate, pater patriae.* Post mortem, DIVVS AVGVSTVS. DEO AVGVSTO.

44. CLODIA, Publii Clodii et Fulviae filia, M. Antonii triumviri privigna, quam, firmandae pacis caussa, Augustus duxit uxorem, vixdum nubilem. At, simultate cum Fulvia socru exorta, dimisit intactam adhuc et virginem. Sueton. in Aug. 62.

45. SCRIBONIA, Lucii Scribonii Libonis soror, uxor Augusti: antea duobus consularibus nupta, quorum ex altero, Scipione dicto, Corneliam filiam habuerat. Augustus Scriboniam dimisit a. U. c. 715, sive, ut ipso scripsit, morum eius perversitatem pertaesus, sive potius, quod illa nimiam pellicis Liviae potentiam liberius doleret. Sueton. in Aug. 63 et 69; Dio, XLVIII, pag. 366 et 377; Propert. IV, Eleg. 2.

46. IVLIA, Augusto et Scribonia a. U. c. 715 genita, primo Marcelli, secundo Agrippae, tertio Tiberii uxor. Femina, turpitudinis avida, quaeque magnitudinem fortunae suae peccandi licentia metiebatur. Illam ob adulteria et consilia parricidae palam facta, in insulam Pandatariam Augustus ablegavit circa a. U. c. 752. Omnis spei egenam inopia ac tabe longa peremit Tiberius, exeunte a. U. c. 767. Plin. VII, 45; Dio, LV, p. 555; Tacit. Annal. I, 53; Vell. Patercul. II, 100.

In nummis ΙΟΥΛΙΑ. ΙΟΥΛΙΑ ΑΦΡΟΔΙΤΗ., id est, *Iulia. Iulia Venus.*

MARCVS MARCELLVS, Octaviae et Claudii Marcelli filius, maritus Iuliae Augusti filiae. De hoc optimo iuvene dictum est supra num. 18.

47. MARCVS VIPSANIVS AGRIPPA, ignobilis loco, et rusticitati propior, quam deliciis, sed optimus militia, et amicus integerrimus. Terra marique victor, Augusti imperium firmavit. In illa sua torvitate, literarum et artium studiosus, orbe terrarum diligentissime descripsit, et orbi spectandum in tabula geographica proposuit: praecipuam auctoritatem tabulis ac statuis publice fecit; easque omnes publicandas, nec in villarum exsilia pellendas magnifice scripsit. Non Urbem tantum, sed Italiam admirandis, tum ad ornamentum, tum ad utilitatem operibus locupletavit. Augustus, ne beneficiorum immemor videretur, geminatis consulatibus illum extulit, tribuniciae ac censoriae suae potestatis participem fecit; et, defuncto Marcello, generum sumpsit a. U. c. 733; maximis honoribus maiorem semper expertus. Novitate sua tam multis rebus nobilitata, obiit Agrippa a. U. c. 742, aetatis suae quinquagesimo primo. Augustum virtutum suarum olim aemulum, tunc laudatorem habuit; merito dictus CIVIVM MAXIMVS. Tacit. Annal. I, 3; Plin. III, 2; VII, 8; XXXV, 4, sect. 9; Dio, LIV, pag. 525, 541 et seq.; Vell. Patercul. II, 96.

In nummis appellatur M. AGRIPPA L. F. COS. DES. COS. TER. PRAEF. ORAE. MARIT. ET CLASS., id est, *Marcus Agrippa, Lucii filius, consul designatus, consul tertium, praefectus orae maritimae et classis.*

48. CAIVS CAESAR, Agrippae et Iuliae filius, natus a. U. c. 734. Ab

Augusto adoptatus, princeps iuventutis, consul; at fato brevis, nec tamen inglorius, in Lycia obiit, nono kal. Martias, a. U. c. 757, quum ex Armenia remearet. Tacit. Annal. I, 3; Dio, LIV, pag. 526; Noris Cenotaphia Pisana Dissert. II, 17, p. 347 et seqq.

In nummis C. CAIVS CAESAR AVGVSTI F. AVGVR. PONT. COS. DES. COS., id est, *Caius Caesar, Augusti filius, augur, pontifex, consul designatus, consul.*

LIVIA, soror Germanici, Caii Caesaris uxor. Tacit. Annal. IV, 40. De illa infra num. 71.

49. LVCIVS CAESAR, Agrippae et Iuliae filius, Caii Caesaris frater, natus a. U. c. 737. Augustus illum in Caesarum domum induxit, principem iuventutis appellavit, consulem destinavit. Massiliae occubuit mense Augusto a. U. c. 755, quum ad Hispanienses exercitus proficisceretur. Tacit. Annal. I, 3; Noris Cenotaphia Pisana Dissert. II, 15, pag. 265 et seqq.

In nummis L. AVG. F. PRINC. IVVENT., id est, *Lucius, Augusti filius, princeps iuventutis*

In amborum fratrum nummis, C. ET L. CAESARES AVG. F. COS. D. PRIN. IVVEN., id est, *Caius et Lucius Caesares, Augusti filii, consules designati, principes iuventutis.*

50. MARCVS AGRIPPA CAESAR POSTVMVS, Agrippae et Iuliae filius, Caii et Lucii Caesarum frater, post patris mortem genitus a. U. c. 742. Illum adoptavit Augustus, quinto kalendas Iulias anni 757; sed rudem bonarum artium, et robore corporis stolide ferocem, postea abdicavit, et in insulam Planasiam ablegavit. Nullius tamen flagitii eompertum, post ablegationem desideravit. Eius caede imperium auspicatus est Tiberius a. U. c. 767. Dio, LIV, pag. 542; Vell. Patercul. II, 104; Tacit. Annal. I, 3 et 6; Plin. VII, 45.

In nummis AGRIPPA CAESAR.

51. AGRIPPINA, Agrippae et Iuliae filia, Germanici uxor. Femina ingens animi, impenetrabilis pudicitiae; sed superbior et aequior quam ut artes Liviae ferret. Ipsa sua virtute infelix, occubuit in insula Pandataria, quinto decimo kalendas Novembris a. U. c. 786. Tacit. Annal. IV, 12; VI, 25; XIV, 63.

In nummis imperante filio suo Caio Caligula cusis, appellatur AGRIPPINA AVGVSTA. AGRIPPINA M. F. MAT. C. CAES. AVG. GERM. ΘΕΑ ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ, id est, *Agrippina, Marci filia, mater Caii Caesaris Augusti Germanici. Diva Agrippina.*

GERMANICVS, Neronis Drusi et Antoniae minoris filius, Agrippinae maritus. De hoc optimo Caesare dicetur infra num. 81.

52. IVLIA, Agrippae et Iulia filia, L. Aemilii Pauli uxor, matris suae libidinum aemula. Augustus convictam adulterii in insulam Trimetum proiecit a. U. c. 761. Illic obiit a. U. c. 781. Tacit. Annal. IV, 71.

53. LVCIVS AEMILIVS PAVLVS, Pauli Aemilii Lepidi, censoris a. U. c.

732, et Corneliae filius, Iuliae, Agrippa et Iulia genitae, maritus. Sueton. in Aug. 64; Dio, LIV, pag. 521.

54. Marcvs Aemilivs Lepidvs, Lucii Aemilii et Iuliae filius, Drusillae maritus, sororum eius stupratur, libidinum societate Caio Caligulae diu acceptissimus, et successioni destinatus. Maiestatis reus interemptus est a. U. c. 792. Caius, quasi superatis hostibus, donativum militibus distribuit, et tres gladios, in necem suam praeparatos, Marti Ultori consecravit. Dio, LIX, pag. 648 et 657; Sueton. in Caio, c. 24 et 36; Tacit. Annal. XIV, 2.

55. Aemilia Lepida, Lucii Aemilii et Iuliae filia, Augusti proneptis. Claudio admodum adolescenti, et postea imperatori desponsata, deinde Iunii Silani uxor. Sueton. in Claud. 26; Plin. VII, 13.

56. Ivnivs Silanvs, Aemiliae Lepidae maritus. Forte ille ipse Marcus Iunius Silanus, qui consulatum gessit cum L. Norbano Flacco a. U. c. 772. Tacit. Annal. II, 59.

57. Marcvs Ivnivs Silanvs, Iunii Silani et Aemiliae Lepidae filius, *quem divus Augustus neptis suae nepotem vidit genitum quo excessit anno a. U.* c. 767: Plin. VII, 13. Homo minime malus, quem Caius Caligula *pecudem auream* appellare erat solitus. Illum tamen, Asiae proconsulem, Nero veneno interemit a. U. c. 807. Tacit. Annal. XIII, 1.

58. N. uxor M. Iunii Silani, mater Lucii Silani Torquati. Nusquam nomen eius appellatur.

59. Lvcivs Silanvs Torqvatvs, M. Iunii Silani filius, atnepos Augusti, eiusque stirpis ultimus: ob claritudinem generis et modestam iuventam, nullo crimine, a Nerone interfectus a. U. c. 818. Tacit. Annal. XVI, 7, 8 et 9.

60. Lvcivs Ivnivs Silanvs, Iunii Silani et Aemiliae Lepidae filius, Augusti abnepos. Cladius filiam suam Octaviam ei desponsaverat a. U. c. 794: postea affinitatem diremit, Silanumque praeturam eiurare et mori coëgit a. U. c. 802. Dio, LX, pag. 668; Tacit. Annal. XII, 3 et 8.

61. Ivnivs Silanvs Torqvatvs, Iunii Silani et Aemiliae Lepidae filius, Augusti abnepos, Lucii Silani Torquati patruus. Quod supra Iuniae familiae claritudinem divum Augustum abavum ferret, illum Nero mori adegit a. U. c. 817. Uterque Torquatus mense Iunio interfectus. Tacit. Annal. XV, 35; XVI, 8 et 12; Dio LXII, pag. 714.

62. Ivnia Calvina, Iunii Silani et Aemiliae Lapidae filia, Augusti abneptis: decora et illustris femina, sed procax. Artibus Agrippinae Italia pulsam, patriae reddidit Nero a. U. c. 812. Ad Vespasiani tempora vitam protraxit. Tacit. Annal. XII, 4 et 8; XIV, 12; Sueton. in Vespas. 23.

63. Vitellivs, L. Vitellii censoris et Sextilliae filius, Iuniae Calvinae maritus, consul a. U. c. 801. Calvinam inter et Vitellium ante a. U. c. 802 divortium fuisse, patet ex Tacito Annal. XII, 4; Sueton. in Vitellio 3 et 18.

64. Lepida, Iunii Silani et Aemiliae Lepidae filia, uxor C. Cassii, Syriae praesidis, L. Silani Torquati amita. Confictis criminibus, Neronis iudicio permissa fuit a. U. c. 818. Tacit. Annal. XVI, 8 et 9.

65. Caivs Cassivs, Syriae praeses, Lepidae maritus, peritia legum celebratissimus, in insulam Sardiniam deportatus est a. U. c. 818, quod, inter maiorum imagines, C. Cassii effigiem, dvci partivm inscriptam, coluisset. Tacit. Annal. XII, 11 et 12; XVI, 8 et 9.

Tiberivs, tertius Iuliae maritus. De hoc imperii romani et dissimulationis principe dicetur infra num. 68.

66. Livia, dicta quoque Livia Drvsilla, post Augusti mortem vulgo appellata Ivlia Avgvsta, Livii Drusii Claudiani filia; primo uxor Tiberii Claudii Neronis, deinde Augusto nupta a. U. c. 716. Femina genere, forma, domus sanctitate Romanarum eminentissima, sed mater impotens, uxor facilis, cum Augusti artibus et Tiberii simulatione bene composita, dominationis cupida, Germanico et Agrippinae iniqua. Obiit a. U. c. 782, nata annos octoginta sex. Vell. Patercul. II, 75; Sueton. in Tiber. 3 et 4; Dio XLVIII, pag. 366 et 383; Tacit. Annal. V, 1.

In nummis Livia Avgvsta. Ivlia Avgvsta genetrix orbis. Avgvsta mater patriae.

Post mortem diva Livia divi Avg. ΙΟΥΛΙΑ ΘΕΑ CΕΒΑCΤΗ., id est, *diva Iulia, divi Augusti. Iulia diva Augusta.*

67. Tiberivs Clavdivs Nero, Liviae maritus, Tiberii imperatoris pater, praetorius et pontifex. Magni vir animi, doctissimique ingenii. Antonii triumviri partes secutus, in Siciliam a. U. c. 714 secessit cum Livia, quae per itinerum avia, uno comite, Caesaris, mox futuri sui mariti, arma fugiebat, et bimum Tiberium, futurum eiusdem Caesaris filiam et heredem sinu gestabat. Reconciliata pace, uxorem suam Liviam petenti Augusto concessit a. U. c. 716. Triennio post diem obiit a. U. c. 719. Vell. Patercul. II, 75; Sueton. in Tiber. 4 et 6; Dio XLVIII, pag. 366.

68. Tiberivs Nero, Tiberii Claudii Neronis et Liviae filius, natus sexto decimo kalendas Decembris, a. U. c. 712; ab Augusto adoptatus anno 757; princeps anno 767; mortuus septimo decimo kalendas Aprilis, anno 790. Romanos vicerat Iulius Caesar, victos foverat Augustus, servos fecit Tiberius; dominationis adhuc crudos, et Caesareae auctoritatis iam pertaesos vix aliter retenturus. Servitutis tamen ita temperans, ut quum servos faceret, serviles eorum animos argueret. Vir prorsus singularis, eminentium virtutum aeque ac vitiorum usor, bona inter ac mala anceps, ante principatum fortissimus, in principatu astutissimus, continua dissimulatione et imminentibus semper periculis factus hominum tristissimus. Ferale eius dictum percrebuit:

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.
Me mortuo terra misceatur igni.

Beatumque appellabat Priamum, qui simul cum patria et regno perierit.

Vell. Patercul. II, 75; Tacit. Annal. I, 3, et VI, 51; Plin. XXVIII, 2; Suidas, ΤΙΒΕΡΙΟΣ.

In nummis TI. CAESAR AVGVSTVS DIVI AVG. F. IMP. COS. AVGVR. PONT. MAX. TR. POT., id est, *Tiberius Caesar Augustus, divi Augusti filius, imperator, consul, augur, pontifex maximus, tribunicia potestate.*

69. VIPSANIA AGRIPPINA, M. Vipsanii Agrippae et Pomponiae filia, neptis Caecilii Attici, ad quem sunt scriptae Ciceronis epistolae; prima Tiberii imperatoris uxor, quam invitus gravidam dimisit a. U. c. 742, ut Iuliam, Augusti filiam, uxorem acciperet. Tacit. Annal. I, 12; Sueton. in Tiber. 7; Dio, LIV, p. 543. Post discidium Vipsania Agrippina nupsit Asinio Gallo, patri consulari, cuius stemma dedimus in excurs. ad Annal. III, 75. Una omnium Agrippae liberorum miti obitu excessit a. U. c. 773. Tacit. Annal. III, 19.

70. DRVSVS CAESAR, Tiberii imperatoris et Agrippinae filius, natus a. U. c. 739. Iuvenis impatiens aemuli, animo commotior et ad vinum ita pronus, ut non alio magis patrem suum Tiberium regenerasse diceretur. Illum iam ter consulem, et fortunae capacem, veneno extinxit Seianus a. U. c. 776. Dio, LIV, p. 543; Tacit. Annal. I, 55; III, 56; IV, 3 et 8; Plin. XIV, 22.

In nummis DRVSVS CAES. TI. AVG. F. DIVI AVG. N. PONT. COS. TR. P., id est, *Drusus Caesar, Tiberii Augusti filius, divi Augusti nepos, pontifex, consul, tribunicia potestate.*

71. LIVIA, dicta quoque LIVILLA, Neronis Claudii Drusi et Antoniae minoris filia, Germanici et Claudii soror, primo Caio Caesari, deinde Druso Caesari nupta. Ambitione demens femina. A Seiano, municipali adultero, foedatam, et in coniugii spem ac regni consortium erectam non puduit Drusi, mariti sui, necem machinari. Cognito scelere, non modo in ipsam, sed in effigies quoque ac memoriam eius atrociter saevitum est. Sueton. in Claud. 1, in Tiber. 62; Tacit. Annal. IV, 3 et 40; VI, 2; Dio, LVIII, p. 628.

72. TIBERIVS, Drusi Caesaris et Liviae filius, Tiberii nepos, natus cum fratre gemello a. U. c. 772. Quod tanto gaudio avum principem affecit, ut nulli ante Romanorum eiusdem fastigii viro geminam stirpem editam iactitaret. Caius Caligula illum imperio, deinde vita privavit a. U. c. 790. Tacit. Annal. II, 84; Dio, LIX, p. 640 et 645.

73. N. filius Drusi Caesaris et Liviae, frater gemellus Tiberii: mortuus est quadrimus a. U. c. 776. Tacit. Annal. II, 84; IV, 15. Ab erudito Harduino, Select. Oper. p. 693, appellatur DRVSVS. Postea in MSS. notis suo exemplari additis emendavit, GERMANICVS. Utrumque nomen divinavit.

74. IVLIA, Drusi Caesaris et Liviae filia; primo Neronis Caesaris, deinde Rubellii Blandi uxor, dolo Messalinae interfecta a. U. c. 796. Tacit. Annal. III, 29; VI, 27; XIII, 19 et 32. Dio, LX p. 677. Illam Seiano desponsam fuisse ait Zonaras, p. 550.

Nero Caesar, Germanici et Agrippinae filius, Iuliae maritus. De illo infra n. 82.

75. Rvbellivs Blandvs, avo, Tiburte, et equite romano, genitus, alter Iuliae coniux, quam uxurem duxerat a. U. c. 786. Tacit. Annal. VI, 27; Dio, LVIII, p. 634.

76. Rvbellivs Plavtvs, Rubellii Blandi et Iuliae filius, Tiberii pronepos; ob vota populi, qui illum imperio destinabat, a Nerone interfectus a. U. c. 815. Tacit. Annal. XIII, 19; XIV, 22 et 58.

77. Antistia Pollvtia, Lucii Autistii Veteris filia, Sextiae neptis, uxor Rubellii Plauti. A Nerone cum patre ac matre interfecta a. U. c. 818, quod, dum viveret, Rubellium, maritum suum, interfectum esse exprobrare videretur. Tacit. Annal. XIV, 58; XVI, 10 et 11.

Ivlia, Augusti et Scriboniae filia, Tiberio imperatori nupta a. U. c. 742. Dio, LIV, p. 543. De illa dictum supra n. 46.

78. N. Tiberii imperatoris et Iuliae filius, natus Aquileiae. Exstinctus est adhuc infans circa a. U. c. 748. Sueton. in Tiber. 7; Dio, LV, p. 554.

79. Nero Clavdivs Drvsvs, Tiberii Claudii Neronis et Liviae filius, Tiberii imperatoris frater, natus a. U. c. 716; *adolescens*, teste Velleio Paterculo, II, 97, *tot tantarumque virtutum, quot et quantas natura mortalis recipit, vel industria percipit.* Praetor, aedilis, consul, Germaniae domitor, et Germanici cognomen posteris adeptus, obiit a. U. c. 745. Merito appellatus eximia Claudiae familiae gloria, et rarum patriae ornamentum. Defunctum ita pro concione laudavit Augustus, *ut Deos precatus sit, similes ei Caesares suos facerent; sibique tam honestum quandoque exitum darent, quam illi dedissent.* Sueton. in Claud. 1, in Tiber. 4; Dio, LV, p. 548; Valer. Maxim. IV, 3, n. 3.

In nummis, Nero Clavdivs Drvsvs Germanicvs imp., id est, *imperator.*

Antonia minor, Octaviae sororis Augusti et M. Antonii triumviri filia, Neronis Claudii Drusi coniux. De hac spectatissima femina dictum supra num. 42.

80. NN. Neronis Claudii Drusi et Antoniae minoris filii. Ante a. U. c. 745 mortui. Sueton. in Claud. 1.

81. Germanicvs Caesar, Nerone Claudio Druso et Antonia minore genitus, optimorum parentum filius optimus, et populo romano carissimus. Tiberius, iubente Augusto, illum adoptavit a. U. c. 757; factus princeps, invidit; Livia Pisonis et Plancinae veneno interemit a. U. c. 772, haud multum triginta annos egressum: iuvenem civilis ingenii, voluptatis modicum, visu et auditu venerabilem, comem in socios, mansuetum in hostes, virtutibus Alexandro Magno comparandum, nulla vitiorum societate superiorem. Ereptum et cum eo perditam omnem libertatis spem doluit Roma; indoluere gentes exterae, et aeternum optimi Caesaris manet desiderium. Tacit. Annal. I, 3; II, 72 et 73. Dio, LV, p. 557.

In nummis, dum vivebat, GERMANICVS CAESAR TI. AVG. F. DIVI AVG. N. COS. DES., id est, *Germanicus Caesar, Tiberii Augusti filius, divi Augusti nepos, consul designatus.*

Post mortem, imperitante filio Caio Caligula, GERMANICVS CAES. P. CAES. AVG. GERM., id est, *Germanicus Caesar, pater Caesaris Augusti Germanici.* In nummis Mitylenaeorum, ΘΕΟΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ, *divus Germanicus.*

AGRIPPINA, Vipsanii Agrippae et Iuliae filia, uxor Germanici. Femina nobilitate et virtute princeps, de qua dictum supra n. 51.

82. NERO CAESAR, Germanici et Agrippinae filius, matri suae percarus. Artibus Seiani, Drusique fratris sui scelere periit a. U. c. 784. Tacit. Annal. IV, 59 et 60; V, 3 et 4. Sueton. in Tiber. 54; Dio, LVIII, pag. 626.
In nummis eum fratre suo Druso coniunctus, NERO ET DRVSVS CAESARES.

IVLIA, Drusi Caesaris et Liviae filia, Neroni Caesari nupta a. U. c. 773. Tacit. Annal. III, 29. De illa iam egimus supra n. 74.

83. DRVSVS CAESAR, Germanici et Agrippinae filius, Neronis Caesaris frater; iuvenis praeferox, et fratris sui necis particeps. Custodia clausum a. U. c. 783, Tiberius illum fame enecuit a. U. c. 786. Tacit. Annal. IV, 60; VI, 23 et 24; Dio, LVIII, p. 623.
In nummis eum fratre suo Nerone coniunctus, NERO CAESAR DRVSVS CAESAR IIVIRI., id est, *duumviri.*

84. AEMILIA LEPIDA, M. Lepidi filia, uxor Drusi Caesaris, quem crebris criminibus insecuta est. Impunita, dum superfuit pater; post a delatoribus correpta, se ipsa interemit a. U. c. 789. Tacit. Annal. IV, 20; VI, 27 et 40.

85. CAIVS CAESAR, Germanici et Agrippinae filius, amabili pueritia et insigni festivitate, Augusto, vel post mortem, carissimus. Iam puerascens obiit. Sueton. in Caio, 7 et 8.

86. CAIVS CAESAR, dictus CALIGVLA, IMPERATOR IV, Germanici et Agrippinae filius, natus Antii pridie kalendas Septembres, Germanico et Capitone Coss. a. U. c. 765. Gnarus simulationis, dum vixit Tiberius. Animos prodidit et efferavit principatus. Nihil iam nisi portentosum cogitavit ac gessit: et quum Deus haberi vellet, fax generis humani evasit. Adeo sanguinis avidus, ut solitus esset dicere: *Utinam populus romanus unam cervicem haberet, quam praecideret!* Immensas opes, totumque illud Tiberii vicies ac septies millies sestertium, gall. mon. 518,800,667 fr. non toto vertente anno, absumpsit. Nec mirum in eo, qui uno die centies sestertio, gall. mon. 1,921,484 fr. coenaret, et super alia muliebria socculos e margaritis induceret. Interemptus est nono kalendas Februarii, a. U. c. 794. Princeps, *quem videtur rerum natura edidisse, ut ostenderet quid summa vitia in summa fortuna possent.* Senec. consol. ad Helviam, 9; Sueton. in Caio, 8, 37 et 58. Plin. VII, 8; XXXVII, 2. Tacit. Annal. VI, 20.
In nummis, C. CAESAR AVG. GERMANICVS TI. AVG. F. DIVI AVG. N.; in aliis, DIVI AVG. PRON. ΓΑΙΟϹ ΚΑΙϹΑΡ ΘΕΟϹ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ: id est, *Caius*

Caesar Augustus Germanicus, *Tiberii Augusti filius*, *divi Augusti nepos*, *divi Augusti pronepos*. *Caius Caesar*, *Deus*, *imperator*. Ut filius adoptivus Tiberii, erat Augusti nepos; ut filius Germanici, erat Augusti pronepos.

87. Clavdia, appellata a Suetonio Ivnia Clavdilla, M. Silani filia, nupta Caio Caligulae a. U. c. 786, ex partu mortua. Tacit. Annal. VI, 20; Suetoo. in Caio, 12.

88. Livia Orestilla, a Dione dicta Cornelia Orestina, uxor Caii Caligulae, qui illam, C. Calpurnio Pisoni nubentem, rapuit, et intra paucos dies repudiavit. Sueton. in Caio, 25; Dio, LIX, p. 646.

89. Lollia Pavlina, avum habuit M. Lollium, Caii Caesaris, Agrippa geniti, iuventae moderatorem, et regum muneribus in toto Oriente infamatum: uxor Caii Caligulae, qui illam C. Memmio Regulo rapuit, et deinde repudiavit. Plinius testatur se eam vidisse, *ne serio quidem, aut sollenni caerimoniarum aliquo apparatu*, *sed mediocrium etiam sponsalium caena smaragdis margaritisque opertam*, *alterno textu fulgentibus*, *toto capite crinibus*, *spira*, *auribus*, *collo*, *monilibus digitisque: quae summa quadringenties* HS. (gall. mon. 7,685,936 fr.) *colligebat*. *Nec dona prodigi principis fuerant*; *sed avitae opes*, *provinciarum scilicet spoliis partae*. Pliu. IX, 35, sect. 57; Sueton. in Caio, 25; Dio, LIX, p. 648.

90. Milonia Caesonia, Vestiliae filia, quam, ita gravidam, uxorem duxit Caligula a. U. c. 792, ut trigesimo post die partum ediderit. Coniugi pessimo uxor simillima et gratissima. Cum illo interfecta fuit a. U. c. 794. Suetoo. in Caio, 25 et 59; Dio, LIX, p. 658 et 663; Pliu. VII, 5.

91. Ivlia Drvsilla, Caii Caligulae et Miloniae filia, quam amens pater per omnia Dearum templa circumtulit, et Minervae alendam instituendamque commendavit. In ipsa sua infantia, parentum saevitiae proles haud degener. Cum iis periit, parieti illisa a. U. c. 794. Sueton. in Caio, 25 et 59; Dio, LIX, p. 663.

92. NN. Germanici et Agrippinae duo filii, infantes mortui. Suetoo. in Caio, 7 et 8.

93. Agrippina, Germanici et Agrippinae filia, nata a. U. c. 769; ter nupta, primo Cn. Domitio a. U. c. 781, secundo Passieno Crispo, tertio Claudio imperatori a. U. c. 801. Femina literarum studiis nobilis, libidinibus infamis, dominationis cupiditate atrox. Infelix uteri, Neronem, generis humani hostem, genuit a. U. c. 790. Ab illo occisa a. U. c. 812, indigna quidem, sed merita, persolvit supplicia. Tacit. Annal. II, 54; IV, 53; V, 75; XII, 74; XIV, 8. Sueton. in Caio, 7; Dio, LX, p. 686.
In nummis, Agrippina. Agrippina Avgvsta.

Cneivs Domitivs Ahenobarbvs, Antoniae maioris et Lucii Domitii filius, maritus Agrippinae. De hoc homine detestabili dictum est supra num. 34.

94. Passienvs Crispvs, orator, bis consul; primo Domitiae, deinde Agrippinae maritus. Scitum eius dictum percrebuit, Caio Caesare, Caligula,

neque meliorem unquam servum, neque deteriorem dominum fuisse. In omnibus rebus, ac maxime in distinguendis et curandis vitiis subtilissimus, saepe dicebat *adulationi nos opponere, non claudere ostium* Plin. XVI, 44, sect. 91; Tacit. Annal. VI, 20; Senec. Quaest. natural. 4. Praef.

Clavdivs imperator, tertius Agrippinae maritus. De hoc socordi principe dicetur infra n. 100.

95. Drvsilla, Germanici et Agrippinae filia, nata a. U. c. 770; primum Lucio Cassio Longino consulari nupta a. U. c. 786, deinde M. Lepido. Mortuam a. U. c. 791, Caius Caligula frater et adulter in Dearum numerum retulit, et *Panthean* appellavit, senatoremque Livium Geminium, qui se eam in caelum ascendentem vidisse iuraverat, decies sestertio, gallicae moo. 192,130 fr. muneravit. Tacit. Annal. VI, 15; Sueton. in Caio, 7 et 24; Dio, LIX, p. 648 et 657.

In nummis, Drvsilla. ΔΡΟΥCΙΛΛΑ CΕΒΑCΤΗ., id est, *Drusilla Augusta.*

96. Lvcivs Cassivs Longinvs, Drusillae maritus a. U. c. 776, consulatum gessit a. U. c. 783, et Drusum Caesarem, Drusillae fratrem accusavit. Sueton. in Caio, 24; Tacit. Annal. VI, 15; Dio, LVIII, p. 623.

Marcvs Aemilivs Lepidvs, Lucii Aemilii et Iuliae filius, Drusillae maritus. De hoc ambitioso ac scelerato iuvene dictum est supra n. 54.

97. Ivlia, Suetonio Livilla, Germanici et Agrippinae filia, nata a. U. c. 771; ob libidines a Caio in insulas Puntias relegata a. U. c. 792. Illam postea odio, invidia, crimine incerto, nec ulla defensione data, primo in exsilium egit, deinde occidit Messalina a. U. c. 796. Tacit. Annal. II, 54. Sueton. in Caio, 7 et 24, in Claud. 29; Dio, LIX, p. 657; LX, p. 670 et 677.

In nummis, Ivlia.

98. Qvinctilivs Varvs, Claudiae Pulchrae, quae erat Agrippinae sobrina, filius, Iuliae maritus. Illum a. U. c. 780, corripuere delatores Domitius Afer et Dolabella. Senec. I Controvers. 3; Tacit. Annal. IV, 52 et 66.

99. Marcvs Vinicivs, Iuliam uxorem a. U. c. 786. Bis consul, veneno Messalinae interemptus est a. U. c. 799. Vinicio compendiariam et elegantissimam historiam, sed adulatoriis Tiberii ac Seiani laudibus falsam ac putidam dicavit Velleius Paterculus. Tacit. Annal. VI, 15; Dio, LX, p. 683.

Livia, dicta quoque Livilla, Neronis Claudii Drusi et Antoniae minoris filia, uxor Caii et Drusi Caesarum. De hac ambitiosa femina dictum est supra n. 71.

Caivs Caesar Agrippae et Iuliae filius, maritus Liviae. Supra n. 48.

Drvsvs Caesar, Tiberii imperatoris et Agrippinae filius, Liviae maritus. De hoc infelice Caesare egimus supra n. 70.

100. Tiberivs Clavdivs Drvsvs Germanicvs, Imperator V, Neronis

Claudii Drusi et Antoniae minoris filius, Germanici frater, Lugduni natus kalendis Augusti, a. U. c. 744. Puer animo et corpore hebetato. Princeps a. U. c. 794, imperiis coniugum et libertorum patuit obnoxius. Veneno Agrippinae occubuit inglorius, tertium ante idus Octobris a. U. c. 807. Post mortem relatus est inter Divos, et a Seneca acrius, quam philosophum deceret, irrisus. In hac sua socordia, literarum et artium cultor, plurima latina et graece haud ineleganter scripsit, varia opera publica magnifice perfecit. Sueton. in Claud. 2, 10, 41 et 42; Tacit. Annal. XII, 69; Senec. in Apocolocynt.; Plin. XXXVI, 15, sect. 24, n. 10 et 11.

In nummis, TI. CLAVD. CAES. AVG. GERM. IMP. COS. P. M. TR. P. CENSOR. id est, *Tiberius Claudius Caesar Augustus Germanicus, imperator, consul, pontifex maximus, tribunicia potestate, censor.*

Post mortem, DIVVS CLAVDIVS AVGVSTVS.

101. PLAVTIA VRGVLANILLA, Auli Plautii, triumphalis viri, filia, Claudii imperatoris uxor. Ob libidinum probra et homicidii suspicionem repudiata. Sueton. in Claud. 26; Dio, LX, p. 685.

102. DRVSVS, Claudii imperatoris et Plautiae Urgulanillae filius, cui socer destinatus fuit Seianus a. U. c. 773. At impubes Pompeiis obiit, pyro per lusum in sublime iacto, et hiatu oris excepto, strangulatus. Sueton. in Claud. 27; Tacit. Annal. III, 29.

103. CLAVDIA, Plautiae Urgulanillae filia. Illam, ut liberto suo Botere conceptam, quamvis ante quintum mensem divortii natam, et ali coeptam, exponi tamen ad matris ianuam, et nudam abiici, Claudius iussit. Sueton. in Claud. 27.

104. AELIA PETINA, Q. Aelii Tuberonis, a. U. c. 743 consulis, filia, Claudii imperatoris uxor, ex levibus offensis repudiata. Sueton. in Claud. 26; Tacit. Annal. XII, 1 et 2.

105. ANTONIA, Claudii imperatoris et Aeliae Petinae filia, primo Cn. Pompeii, deinde Cornelii Syllae uxor. Illam, interfecta Poppaea, nuptias suas recusantem, quasi novarum rerum molitricem Nero interemit. Suet. in Claud. 27; in Nerone, 35; Tacit. Annal. XII, 68.

106. CNEIVS POMPEIVS MAGNVS, nobilissimus iuvenis, Antoniae maritus a. U. c. 794; ab imperatore Claudio occisus. Dio, LX, p. 668; Sueton. in Claud. 27 et 29; Zonaras, p. 563. Vide quoque Stemma Pisonis in Excurs. ad Hist. I, 14.

107. FAVSTVS CORNELIVS SYLLA, nobilissimus iuvenis, alter Antoniae maritus. A Nerone in Galliam Narbonensem amotus; et Roma pervectis Massiliam percussoribus interfectus a. U. c. 815. Sueton. in Claud. 27; Tacit. Annal. XIII, 23; XIV, 57.

VALERIA MESSALINA, Messalae Barbati et Domitiae Lepidae filia, Claudii imperatoris uxor. De hoc libidinis portento diximus supra n. 26.

108. BRITANNICVS, Claudii imperatoris et Messalinae filius, supremus

Claudiorum sanguis. Natus est pridie idus Februarias, a. U. c. 794. Natalium iure, ipsa patris destinatione heres imperii, et illius capax. At novercae Agrippinae artibus postpositus Neroni, qui illum veneno interemit a. U. c. 808, propinquo die, quo quartumdecimum aetatis annum explebat. Sueton. in Claud. 27; Tacit. Annal. XII, 25; XIII, 15 et 16.

[1] In nummis, BRITANNICVS CAESAR. AVG. F. PRIN. IVVENT. ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡ, id est, *Britannicus Caesar, Augusti filius, princeps iuventutis. Claudius Britannicus Caesar.*

OCTAVIA, Claudii imperatoris et Messalinae filia, Britannici soror. De hac spectatissima femina dictum supra n. 36.

AGRIPPINA, Germanici et Agrippinae filia, Neronis mater, Claudii uxor, de qua dictum supra n. 93. Nostra stemmatis Caesarum explicatio in hac exitiabili domus Caesarum peste merito desinit.

BROTIER.

ANECDOTA

DE TIBERIO,

ALIISQVE IMPERATORIBVS,

AVCTORE

GABR. BROTERIO.

QVVM multa ab optimis scriptoribus omittantur, quae tamen scire interest, ut Principum ingenia, et temporum usus moresque innotescant, anecdota de Tiberio, Caio Caligula, Claudio, Nerone, aliisque imperatoribus subiiciam, ne curiosus lector meam hac in re diligentiam desideret.

ANECDOTA DE TIBERIO.

TALEM sui memoriam reliquit Tiberius, ut omnes eius tum corporis, tum animi dotes pernoscere, neque inutile, neque lectoribus ingratum duxerim. Quae Cornelii Taciti et Suetonii scriptis innatuere, haud repetam. Verum anecdata, et aliis auctoribus per transennam dicta seligam.

Ac primo quidem *ferunt Tiberio Caesari, nec alii genitarum mortalium fuisse naturam, ut expergefactus noctu paullisper haud alio modo, quam luce clara contueretur omnia, paullatim tenebris se obducentibus.* Plin. XI, 37, sect. 54. Id postea multorum exemplis firmatum est. Vide notas Reimari ad Dionem LVII, pag. 603.

Inter cibos *cucumis mira voluptate* illi fuit *expetitus*: Plin. XIX, 5. Quumque in explenda principum gula summa semper fuerit industria, vasis ac specularibus cautum, ut *fere toto anno cucumis* illi *pararetur*: Columell. de Re Rustic. XI, 3.

Laser quoque (*l'Angélique*) *nobilitavit*, illud *flagitans omnibus annis e Germania*: Plin. XIX, 5, sect. 28. Ceterum, ut mos est iis, qui vilioribus delectantur, sumptuosiores cibos respuebat. Missum sibi *mullum ingentis formae* (*quatuor pondo et ad selibram fuisse* aiunt) *in macellum deferri et venire iussit: Amici, inquit, omnia me fallunt, nisi istum mullum aut Apicius emerit, aut P. Octavius. Ultra spem illi coniectura processit: licitati sunt: vicit Octavius, et ingentem consecutus est inter suos gloriam, quum quinque millibus HS* (gallicae monetae 962 fr.) *emisset piscem, quem Caesar vendiderat, ne Apicius quidem emerat.*

Numerare tantum Octavio fuit turpe. Nam ille qui emerat, ut Tiberio mitteret (quamquam illum quoque reprehenderim), admiratus est rem, qua putavit Caesarem dignum. Senec. Epist. XCV.

Quod vero singulare, pervicax ille animus superstitione laboravit. Quumque tonitrua praeter modum expavesceret, *tonante caelo, coronari* lauro erat *solitus contra fulminum metus:* Plin. XV, 30. *In capillo etiam tondendo servavit interlunia:* Plin. XVI, 39. Et nescio qua sternutamentorum religione tractus, ut sternutans consalutaretur, vel in vehiculo exigebat: Plin. XXVIII, 2. Quam fuerit astrologiae deditus, omnibus compertum.

Superstitione incertum an religione ductus, forte grati animi caussa, quod a Seiani facinore Iudaei abhorruissent, sacra Iudaica tanti fecit, ut nullus ferme esset ex eius domo, cuius donaria non exstarent in templo Hierosolymitano; in quo ipse mandavit quotidianas in perpetuum mactari victimas suis sumptibus, Deo votas altissimo. Quae quidem sacra, imperatoriae venerationis monumentum, Caio principe, adhuc peragebantur: *Οὕτως ὡσιοῦτο περὶ τὰ ἡμέτερα, ὥστε μονονοὺ πανοίκιος ἀναθημάτων πολυτελείαις τὸ ἱερὸν ἡμῶν ἐκόσμησε, προστάξας καὶ δι' αἰῶνος ἀνάγεσθαι θυσίας ἐντελεχεῖς ὁλοκαύτους καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐκ τῶν ἰδίων προσόδων, ἀπαρχὴν τῷ ὑψίστῳ θεῷ· αἳ καὶ μέχρι νῦν ἐπιτελοῦνται, καὶ εἰς ἅπαν ἐπιτελεσθήσονται, μήνυμα τρόπων ὄντως αὐτοκρατορικῶν.* Philo, Leg. ad Caium. p. 1014 et 1015.

In cogitando acerrimus, in consultando rarus exstitit. Unde Augustus, Tiberium innuens, dixit Romanis se imperii heredem relicturum, qui nunquam bis una de re consultaverit: *Ῥωμαίοις δὲ τῆς ἀρχῆς ἔλεγεν ἀπολείψειν διάδοχον, ὃς οὐδέποτε περὶ τοῦ αὐτοῦ πράγματος δὶς ἐβουλεύσατο· Τιβέριον λέγων.* Plutarch. Apophthegm. Laconic. tom. II, pag. 207.

Ut cresceret reverentia, amicitias exuit. *Inter initia* principatus *dicenti cuidam, Meministi: antequam plures notas familiaritatis veteris proferret, Non memini, inquit, quid fuerim. Aversabatur enim omnium amicorum et aequalium notitiam, et illam solam praesentem fortunam suam aspici, illam solam cogitari ac narrari volebat: inquisitorem habebat, veterem amicum.* Senec. de Benefic. V, 25.

Ne qua re tanta maiestas violaretur, quam sibi, eamdem suis imaginibus venerationem esse voluit. Testisque Philostratus, vel in ipsis remotissimis provinciis maiorem fuisse Tiberii statuam, quam Iovis Olympii metum ac religionem. *Οἱ καὶ τοῦ Διὸς τοῦ ἐν Ὀλυμπίᾳ φοβερώτεροι τότε καὶ ἀπολέστεροι ἦσαν. Τιβερίου γε ὄντες (ἀνδριάντες)*, Philostrat. Vit. Apollon. I, 15.

Quanto magis servituti imminens, tanto crebrior libertatis laudator, conviciorumque patientior, dicebat *in civitate libera, linguas liberas esse, et mentes hominum* oportere. Ioan. Saresberiensis in Policratic. III, 14.

Legum duritiem, ut virtuti et utilitati publicae consuleret, mollivit. Quumque more esset receptum, ut civica corona donaretur, *qui civem servaverat, eodem tempore etiam hostem occiderat, neque locum in ea pugna reliquerat, consultus est Tiberius an civicam coronam capere posset, qui civem in proelio servasset, et hostes ibidem duos occidisset, sed locum in quo pugnabat, non retinuisset, eoque loco hostes potiti essent; rescripsit eum quoque civica dignum videri, quod appareret tam iniquo*

loco civem ab eo servatum, ut etiam a fortiter pugnantibus retineri non quiverit. Gellius, V, 6.

Liberalitatem, qua inter bonas malasque principum dotes nullam ambiguam magis puto, eo temperamento flexit, ut quum exhaustas aliquot fortunas reparasset, idemque subsidium a nepote M. Allio praetorio efflagitaretur, *edere illum sibi nomina creditorum iussit. Quum edita essent, scripsit, nepoti iussisse se pecuniam solvi.* Alios deinde complures privata hac contumelia haud deterritos (audax enim et inverecunda paupertas) *iussit reddere in senatu aeris alieni caussas.* Sicque effraenam nepotum proterviam pudore paullulum repressit. Quis enim eam penitus coërcuerit? Hac de re aliter sentit, rationesque beneficiorum, principibus haud semper parabiles, laudat Seneca de Benefic. II, 7 et 8, ingeniosior, quam prudentior philosophus.

Non siluerim percrebuisse, *Tiberio principe excogitatum vitri temperamentum, ut flexibile esset: et totam officinam artificis eius abolitam, ne aeris, argenti, auri metallis pretia detraherentur.* Verum ut recte observat Plinius XXXVI, 26: *Ea fama crebrior diu, quam certior fuit.* Architectum, huiusce artis repertorem, vas vitreum contusum, manibusque contritum, coram principe, refecisse; ideoque capite damnatum narrat Dio LVII, pag. 617. Fusius etiam Petronius in Satyric. LI. Neuter tamen fidem fecit.

Certior et luctuosior, novus morbus, *Colum* dictus. *Tiberii Caesaris principatu irrepsit id malum. Nec quisquam id prior imperatore ipso sensit, magna civitatis ambage, quum edicto eius excusantis valetudinem, legeretur nomen incognitum.* Plin. XXVI, 1.

Nunc vero qui haec, ceteraque sex prioribus Annalium libris contenta, revolverit, animadvertet duos exstitisse principes, ingenio persimiles, arte dominandi celebratissimos, Tiberium et Ludovicum XI, Galliae regem. Quorum, ut virtutes, sic vitia reputanti mihi saepe in mentem venit utrum expers criminis esse valeret summa ars politica. Quumque mens exemplorum multitudine, rerum et sententiarum varietate fatisceret, tandem visum est artium omnium praestantissimam esse artem politicam: in privatis hominibus, quanta quanta sit, mancam semper esse ac mutilam: summam reperiri non posse nisi in principibus. Dominationem, exiguis finibus constrictam, summae arti politicae vix esse parem; vulgo per dolos, quandoque per crimina grassari: inde repetendum Machiavelli vitium, qui quum non videret, unde virtutes educaret, ad scelera deflexit: contra vero Tacitum, regnorum imperiorumque maiestati assuetum, crimina odisse, et vel in recensendis principum vitiis virtuti semper patrocinari. Nulla esse politicorum principum vitia, quae virtutibus pensari non valeant: secretum dissimulatione, dexteritatem fraude, vim violentia, virtutem scelere praestare. Itaque artis politicae summam adsequi posse principem valido corpore, mente acerrima, haud exigua dominatione dotatum, libidinum modicum, laboris patientem, futuri magis quam praesentis curiosum, iisque seculis constitutum, in quibus summae virtuti locus: nihil enim perfecti ab aetatibus barbaris exspectaveris. Quinam vero ad artis politicae fastigium, quo nihil principibus gloriosum magis, nihil populis

magis optandum, pervenerint, propiusve accesserint, lectorum indicio permiserim: me hae de re pronuntiare forat invidiosum.

ANECDOTA DE CAIO CALIGVLA.

Caio Caligvlae non illiteratum fuit ingenium. De rhetorica latine scripsit: Suidas verbo Γάϊος.

At luxu, quam literis, celebratior: immo luxus, qui romanum imperium perdidit, auctor et princeps, *centies sestertio* (gallicae monetae 1,924,484 fr.), *coenavit uno die; et in hoc omnium adiutus ingenio, vix tamen invenit, quomodo trium provinciarum tributum una coena fieret*: Senec. Consol. ad Helviam, 9.

Pomponius Secundus, vates, luxuriae aemulos, coenam fecit principi, in qua singulae unciae vini constitere DCCCCLX nummis, gallicae monetae 184 fr.: Plin. XIV, 4.

Instituit Caius *solia*, id est balinea, *unguento temperari*; ut balineis simul et odoribus recrearetur; nec *principale* diu fuit *hoc bonum*, quod quidam *ex servis Neronis* postea aemulatus est: Plin. XIII, 3; Sueton. in Caio 37.

Ad muliebria delapsus, *socculos* induit e *margaritis*: Plin. XXXVII, 2.
Inter haec pudendae mollitiei, rem magnificentia imperii dignam ausus est. Tum enim *abies admirationis praecipuae visa est in navi, quae ex Aegypto, Caii principis iussu, obeliscum in Vaticano circo statutum quatuorque truncos lapides eiusdem ad sustinendum eum adduxit: qua nave nihil admirabilius visum in mari certum est. C X X M*, id est, centum viginti millia, *modium lentis pro saburra* (gallice le lest) *ei fuere. Longitudo spatium obtinuit magna ex parte Ostiensis portus latere laevo. Ibi namque demersa est a Claudio principe, cum tribus molibus, turrium altitudine, in ea aedificatis obiter Puteolano pulvere, advectisque. Arboris eius crassitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat*: Plin. XVI, 40. Haec est Caii navis, qua nulla, teste Plinio, admirabilior in mari visa: maior proinde undecimremi Demetrii, ad quam succisa est in Cypro cedrus *centum triginta pedum, crassitudinis vero ad trium hominum complexum*: Plin. ibid.

Quod vero admirationem vincit, stat adhuc Romae obeliscus ille ante sedem D. Petri, pondere librarum 963,537 et 35/44: antea stabat *in* Caii et Neronis circo, cuius triplici muro pars ecclesiae D. Petri innititur. Inde anno 1586 eum transferri curavit Sixtus Quintus, pontifex maximus, ad Urbis splendorem et ornamentum pari cum Caesaribus animo. In id opus, quum modicum adhuc esset argenti pretium, impendit 37,975 nummos romanos, *scudi*, non numeratis amplissimis praemiis, quae Dominico Fontanae, architecto ducique operis, dono dedit. Haecque impensa fuit tantum, ut obeliscus deiiceretur, e circo Vaticano ad aream ecclesiae D. Petri duceretur, et extolleretur: totaque moles tot materiis, ferreis vinculis, funibus, ne laederetur, compacta est, ut, quum attolleretur, aestimata sit pondo 1,043,537. Quantae ergo, Caio principe, factae

sunt impensae ut obeliscus ille ex Aegypto efferretur, Nilo navibus subveheretur, in admirabili Caii nave collocaretur, per mare deferretur, inde novis navibus Tiberi impositus Romam duceretur, rursus extraheretur; et, vel ad ripam circo Vaticano propiorem eductus, ad doplo longius spatium, quam quo Sixtus V duxerat, traheretur, ac demum quatuor truncis lapidibus, pariter ex Aegypto advectis, superimponeretur! Et quum haec in uno obelisco miramur, quid si cogitemus fuisse Romae sex magnus obeliscos, et parvos quadraginta duos, teste Victore, de Regionibus Urbis? Praeter Dominicum Fontanam, qui egregium opus scripsit, *della Trasportazione dell' Obelisco Vaticano*, vide Bonanni, *Numismata summorum pontificum templi Vaticani fabricam indicantia*, cap. 33, et *Castelli e Ponti di Maestro Niccola Zabaglia, con la descrizione del trasporto dell' Obelisco Vaticano, del Cavaliere Domenico Fontana*; in Roma; Pagliarini, 1743; tab. 38, et 40, et seqq.

Ut magis adhuc perspiciatur quanta fuerit Caii navis, observaverim minorem fuisse, maximam tamen, navem, qua Augustus obeliscum ante advexerat. De hac nave ita MS. Bibliothecae Caesareae Viodoboneosis, num. 648, in quo *Imperia Caesarum* summatim continentur: *Hoc imperatore*, Augusto, *navis Alexandrina primum in portum romanum introivit, nomine Acatus* (forte *Achates*), *quae attulit frumenti modios CCCC, vectores MCC, piper, linteamen, cartu, vitria et opoliscum*, corrige *cartam*, nempe factam ex papyro, *vitrea*, et *obeliscum*, *cum sua sibi base, qui est in circo Maximo, altum pedes LXXXVII S*, id est, *cum semipede*.

Caius, quum Augustum superasset, aemulatus est Syriae et Aegypti reges, qui inopia abietis cedro ad classes ferebantur usi: *fabricavit de cedris liburnicas gemmatis puppibus versicoloribus velis*: Sueton. in Caio, 37.

Cleopatram quoque vicit, commentus *portentosissima genera ciborum atque coenarum, ut pretiosissimas margaritas aceto liquefactas sorberet; convivis ex auro panes et opsonia apponeret: aut frugi hominem esse oportere dictitans, aut Caesarem*: Suetoo. ibid.

ANECDOTA DE CLAVDIO.

Clavdivs haberetur virtutes inter et vitia ambiguus, ni principatus eum hebetem prodidisset.

Smaragdos induebat et sardonychas: Plin. XXXVII, 6, sect. 23. Quod non supra imperatoris romani fortunam. At principis luxu pares superioresque liberti. Testatur Plinius, XXXVI, 7, sect. 12, se vidisse amplas triginta columnas ex onyche in coenatione, *la salle à manger*, quam *Callistus, Caesaris Claudii libertorum potentia notus, sibi exaedificaverat.*

Quum gemmae promiscue haberentur, excogitata nova luxus inventa. *Multi nullas admisere gemmas, auroque ipso signavere: id Claudii principatu repertum*: Plin. XXXIII, 1, sect. 6.

Immo in vestes aurum transiit; visaque Agrippina, Claudii uxor, induta *auro textili sine ulla materie*: Plin. XXXIII, 3, sect. 19.

In tanto auri usu, modestiae fines non egredi visus est *servus* Claudii, *Drusillanus, nomine Rotundus, dispensator Hispaniae Citerioris, quum quingenariam lancem* (un plat d'argent du poids de 500 livres) *cui fabricandae officina prius exaedificata fuerat; et comites eius octo DCCCL librarum* (huit autres plats pour le même service du poids de 850 livres): *quaeso ut quam multi eas conservi eius inferrent, aut quibus coenantibus?* Plin. XXXIII, 11, sect. 52.

Nulla in re maiora, quam in luxu, fastidia. Romanos gemmarum, auri, argenti taeduit: coepere *et lapidem* (le marbre) *pingere. Hoc Claudii principis inventum: Neronis vero, maculas, quae non essent, crustis inserendo, unitatem variare, ut ovatus esset Numidicus, ut purpura distingueretur Synnadicus, qualiter illos nasci optarent deliciae*: Plin. XXXV, 1. Qua de re vide quoque el. *de Caylus* (*Mémoires de l'Académie royale des Inscriptions*, tom. XXIX, pag. 167). At quum neque Plinius, neque el. *de Caylus*, neque eruditi Academici Herculauenses, *Pitture Antiche d'Ercolano*, tom. I, pag. 1, Aegyptiam huius inventi antiquitatem noverint, hic tradere iuvat, quod artem illustret. Picti marmoris splendida multa monumenta manent Thebis, quae antiquissimis temporibus, ante Persas Graecosque, et sub ipsis Pharaonibus, condita sunt. Ea inspexit *P. Sicard*, annis 1718 et 1721. Egregii quidem eius operis, eruditis viris valde desiderati, legi tantum MSS. schedas aliquot, ab interitu vindicatas, quas cum antiquitatis et artium amatoribus libenter communico. Et ne ex latina interpretatione aliqua suboriatur in re technica obscuritas, ipsius auctoris verba referam. Multa tamen omittam, licet maximae stupendaeque magnificentiae, quod nihil huc pertinent. At reliquias palatii regii, quae superstites adhuc exstant in ea parte Thebarum, quae nunc dicitur *Carnaq*, memorabo, ut pictum antiquitus ab Aegyptiis marmor pateat. Sic autem eas describit *P. Sicard*. Ac primo quidem generatim: *Appartemens singuliers, qui se trouvent à l'est des petites aiguilles. Ce sont quelques allées découvertes, ou chambres, dont le plafond est tombé. Elles sont revêtues de granit peint de vives couleurs, selon l'exigence des personnages, de leur corps ou de leurs draperies.* Deinde particulatim: *Entre les premières salles et le grand salon royal, il y a les petits appartemens du roi, dont les murailles et le plancher, revêtus d'un granit très-fin, sont d'une beauté ravissante et très-singulière; car ce marbre est en pièces carrées de la longueur des chambres (c'est-à-dire six ou sept pas), et de trois pieds de largeur: ses couleurs sont diverses, d'un cramoisi foncé, moucheté de noir et de blanc, ou d'un rouge clair, mêlé de bleu et de vert. Le cramoisi fait tantôt les fonds, et alors les figures sculptées, qui représentent les dieux et les déesses, les prêtres et les prêtresses, les animaux sacrés, etc., sont vertes et bleuâtres; ou bien les figures taillées étant rouges, le relief de l'entre-deux est turquin ou vert tigré. Toutes ces nuances de couleurs ne sont point naturelles, mais l'effet d'un art singulier et d'une peinture finement et ineffaçablement appliquée. Là, il y a un petit cabinet, dont la porte et les murs sont de marbre noir. Plusieurs de ces merveilleux appartemens sont encore entiers. Au sortir du grand salon, tirant à l'est, sont deux statues gigantesque de marbre noir, dont l'une est sans tête, et l'autre toute brisée: c'étaient peut-être les figures du roi et*

de la reine. A quelques pas de là, on trouve deux obélisques de granit rouge, qui se terminent en carré. Sur ce carré, s'élevaient sans doute les statues du prince et de son épouse. Ces obélisques sont de six palmes de diamètre au bas, sur environ quarante de haut. Les deux faces est, ouest, brillent de hiéroglyphes creusés profondément; et d'une conservation qui les fait paraître neufs. Dix pas après ces deux petits obélisques, et sur la même ligne, sont deux autres obélisques de marbre granit, d'une beauté, d'une profondeur et d'une conservation de traits admirables, de cent vingt palmes environ de haut, et dix d'épaisseur au bas, parfaitement égaux pour la mesure et toutes les proportions aux deux aiguilles du palais d'Osymandias, à Luxor. La seule différence qu'il y ait, c'est que les deux obélisques dont nous parlons, n'ont qu'une ligne de sculpture hiéroglyphique depuis le pied jusqu'à un tiers de leur fût, et les deux tiers suivans pleins. A vingt pas de ceux-ci, dans un terrain plus bas, on trouve deux autres obélisques moins élevés, mais semblables pour la matière, la forme et les ornemens. A côté de ces derniers obélisques, sont des chambres à personnages, gravés dans le granit peint de différentes couleurs, comme dans les petits appartemens du roi.

Pullulantia inter opes crimina coërcere voluit Claudius; at male consultus ea monstravit patius, quam emendavit. Inde Neronem alloquens Seneca, de Clementia, I, 23: *Pater tuus plures intra quinquennium culleo insuit, quam omnibus seculis insutos, accepimus.* Quod egregie illustrat MS. bibliothecae Caesareae Vindobonensis, de Imperiis Caesarum: *Hoc Imperatore* (Claudio) *primum venenarii et malefici comprehensi sunt; homines XLV, mulieres LXXXV, ad supplicium ducti sunt.*

Leges tamen aliquot, utilitate et humanitate commendandae, hoc principatu latae. Scilicet ut coërceretur libertorum perfidia; et reverentia erga patronos, Tiberii Caiique suspicionibus crudelitateve infracta, restitueretur. *Divus Claudius libertum, qui probatus fuerit patrona delatores summisisse, qui de statu eius facerent ei quaestionem, servum patroni esse iussit eum libertum*: Digest. lib. XXXVII, tit. 14, *de Iure patronatus*; leg. 5, ex Marciano.

Pariter dominorum duritiam punivit. Nam *serva, quem pro derelicto dominus ob gravem infirmitatem habuit, ex edicto Divi Claudii competit libertas*: Digest. lib. XL, tit. 8, *Qui sine manumissione ad libertatem perveniunt*; leg. 2, ex Modestino.

Subvenit matribus; et ad solatium liberorum amissorum matri legitimam eorum detulit hereditatem: Iustinian. Institut. lib. III, *de Senatusconsulto Tertulliano.*

Consuluit et miseris naufragio perculsis. *Senatusconsultum Claudianis temporibus factum est, ut si quis ex naufragio clavos, vel unum ex his, abstulerit, omnium rerum nomine teneatur. Item alio senatusconsulto cavetur, eos, quorum fraude aut consilio naufragi suppressi per vim fuissent, ne navi, vel iis periclitantibus opitulentur, legis Corneliae, quae de sicariis lata est, poenis afficiendos: eos autem, qui quid ex miserrima naufragiorum fortuna rapuissent, lucrative fuissent dolo malo, in quantum edicto praetoris actio daretur, tantum et fisco dare debere*: Digest. lib.

XLVII, tit. 9, *de Incendio*, *Ruina*, *Naufragio*, *Rote*, *Nave expugnata*; leg. 3, ex Ulpiano.

Cavit quoque ne levi de caussa status defunctorum inquietaretur. *Divus Claudius Claudiano rescripsit, si per quaestionem nummariam praeiudicium statui defuncti videbitur fieri, cessare quaestionem*: Digest. lib. XL, tit. 15, *Ne de statu defunctorum post quinquennium quaerotur*; leg. 4, ex Callistrato.

Repressa, invalescens in dies, testamentorum captatio. *Divus Claudius edicto praecepit adiiciendum legi Corneliae* de falsis, *ut, si quis quum olterius testamentum, vel codicillos, scriberet, legotum sibi sūa monu scripserit, perinde teneatur, ac si commisisset in legem Corneliom; et ne vel iis venio detur, qui se ignorosse edicti severitatem proetendont. Scribere autem sibi legatum videri, non solum eum, qui manu sua id fecit, sed etiam qui per servum suum, vel filium, quem in potestatem habet, dictante testatore, legato honoratur*: Digest. lib. XLVIII, tit. 10, *de Lege Cornelia de folsis, et de Senntusconsulto Liboniano*; leg. 15, ex Callistrato.

Maximum Nili *incrementum od hoc oevi fuit cubitorum decem et octo; Claudio principe*: Pliu. V, 9, sect. 10. Et illa Nili altitudo cubitorum 18, seu pedum 27, adhuc maxima est. Nam, quum *P. Sicard* anno 1720 Syenen, nune *Assouan*, inviseret, ibi reperit ruinas Nilometri, quibus constabat maximo suo incremento aqnas Nili ascendere ad 20 atque etiam ad 25 pedes. Quae altitudo, inquit, est triente maior, quam quae in urbe Cayro, *le Caire*, observatur.

Proceríssimum hominum aetos nostra, Divo Claudio principe, Gabbaram nomine, ex Arabio advectum, IX pedum et totidem unciarum, vidit: Plin. VII, 16. Mensura autem gallica, 8 *pieds* 10 *pouces*.

Legi literas MSS. P. *Ducros*, S. I. in Iudia missionarii, scriptas die 27 Decembris, anno 1727, quae nuntiarent repertum fuisse prope insulam *Ceylan* nummum Claudii imperatoris; alium recens inventum in regno *Maysѕur*, qui Traiani esse videretur; alios memorari nondum satis perspectos. Hi nummi, non dominationis romanae, sed commerciorum, testes.

Eruditi Herculanenses Academici, *Antichità di Ercolono*, tom. VI, pag. 309, publicavere egregiam Clandii imperatoris statuam aeream, altam palmos IX et uncias III, inventam Retinae, nunc *Resina*. Imperator nudus hastae innititur; basi inscriptum:

TI. CLAVDIO. DRVSI. F.
CAISARI. AVGVSTO.
GERMANICO.
PONTIF. MAX. TR. *pot*. VIII.
imp. XVI. COS. *iiII*.
Patri. PATRI*oe*. *censori*.
EX. TESTAM*en*. MESSI. L. F. *mn*. SENECAE.
MILIT. COHOR. XIII. *ur*BANAE. ET.
DEDICATIONI. EIVS. LEGAVIT. MVNICIPIB.
SINGVLIS. HS. IIII. N.

Fuit ille Messius Seneca, Lucii filius, ex tribu, ut videtur, Menenia. Ex testamento legavit dedicationi eius statuae municipibus singulis sester-

tios quaternos. Miror cruditos Academicos aestimasse quaternos illos sestertios *uno*, ut loquuntur, carlino, id est, gallicae nostrae monetae assibus octo cum denariis quatuor. Quatuor sestertii aestimandi sunt gallicae monetae assibus quindecim cum denariis ferme septem, ac proinde uno ferme tarino neapolitano. Praecavebunt sane eruditi Academici ne egregium ac praestantissimum suum opus, quod in sequentibus voluminibus frequentem nummorum romanorum mentionem habebit, aestimatione, quae semisse fere minor est, labefactetur.

ANECDOTA DE NERONE.

Neronem, ad romani imperii ruinam genitum, aegre parturire visa est natura. *In pedes procedere nascentem, contra naturam est.... Neronem, paullo ante principem, et toto principatu suo hostem generis humani, pedibus genitum parens eius scribit Agrippina*: Plin. VII, 8.

Initiis tamen principatus emicuere quidam virtutum igniculi, quibus adolatur Seneca, Natural. Quaest. VI, 8: *Centuriones duos, quos Nero Caesar, ut aliarum virtutum, ita veritatis inprimis amantissimus, ad investigandum caput Nili miserat, audivi narrantes, longum illos iter peregisse, quum a rege Aethiopiae instructi auxilio, commendatique proximis regibus penetrassent. Ad ulteriora quidem, aiebant, pervenimus, ad immensas paludes, quarum exitum nec incolae noverant, nec sperare quisquam potest, ita implicitae aquis herbae sunt, et aquae nec pediti eluctabiles, nec navigio, quod, nisi parvum et unius capax, limoso et obsita palus non ferat. Ibi, inquit, vidimus duas petras, ex quibus ingens vis fluminis excidebat.* Verum centuriones a Nerone missi, ut et priore seculo Lusitani missionarii Societatis Iesu, Astapi, nunc *Abawi*, fontes pro Nili fontibus perperam accepere. Vere Lucanus X, 268:

> Quae tibi noscendi Nilum, Romane, cupido,
> Et Phariis, Persisque fuit, Macedumque tyrannis;
> Nullaque non aetas voluit conferre futuris
> Notitiam, sed vincit adhuc natura latendi.

Vide et el. *d'Anville* (*Dissertation sur les sources du Nil; Mémoires de l'Académie royale des Inscriptions*, tom. XXVI, pag. 46).

Salubritatis incertum, an voluptatis, tunc iuventum aquam decoquere, et nivibus refrigerare. Plin. XXXI, 3: *Neronis principis inventum est, decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare. Ita voluptas frigoris contingit sine vitiis nivis. Omnem utique decoctam utiliorem esse convenit: item calefactam magis refrigerari.*

A studiis non illiberalibus ad malas canendi artes deflexit Nero, curaque fuit imperatoris romani porro aestivo, plumbi lamina, ceterisque id genus inventis, vocem alere: Plin. XIX, 6, sect. 33, et XXXIV, 18.

Crevit infamia; nec pudor fuit canere, aurigare publice. Undequaque et quoquomodo paratae sunt opes, ut dignum principe spectaculum instrueretur. Vir consularis, quum maximus esset luxus murrhinorum vasorum, *vases faits d'une pierre précieuse d'Orient et fragiles*, murrhinum unum *LXX talentis* (gallicae monetae 376,574 fr.), emerat, *capaci plane*

ad sextarios tres calice. Idem in reliquis generis eius quantum voraverit licet existimare ex multitudine, quae tanta fuit, ut ea auferente liberis eius Nerone Domitio, theatrum peculiare trans Tiberim hortis exposita occuparent: Plin. XXXVII, 2.

Alias *visum est Neronis principis spectaculis arenam circi chrysocolla sterni, quum ipse concolori panno aurigaturus esset*: Plin. XXXIII, 5.

In hos usus vocatum quoque succinum; quantoque sumptu! *Sexcentis fere M. pass. a Carnunto Pannoniae*, exstant Carnunti rudera inter Hainbourg et Petronelli, *abest litus id Germaniae, ex quo invehitur succinum, praecognitum nuper. Vidit enim eques romanus, missus ad id comparandum a Iuliano curante gladiatorium munus Neronis principis, qui haec commercia et litora peragravit, tanta copia invecta, ut retia arcendis feris podium protegentia succino nodarentur; arma vero, et libitina, totusque unius diei apparatus esset e succino. Maximum pondus is glebae attulit XIII librarum*: Plin. XXXVII, 3.

Quum multum temporis in spectandis gladiatorum ludis insumeret Nero, ne oculi lassitudine fatiscerent, eos viridi lenitate smaragdi recreabat. *Quorum enim smaragdorum corpus extensum est, eadem, qua specula, ratione supini imagines reddunt. Nero princeps gladiatorum pugnas spectabat smaragdo*: Plin. XXXVII, 5.

In tanto principis luxu, haud miror eum *sceptra et personas histrionum et cubilia amatoria, unionibus* construxisse: Plin. XXXVII, 2.

His profecere, aut potius adulteratae sunt artes. Tum enim coepit pictura in linteo, quum antea ligno tantum tabulaeve pingerentur: at statim foedata picturae nobilitas. *Nostrae aetatis insaniam ex pictura non omittam. Nero princeps iusserat colosseum se pingi CXX pedum in linteo, incognitum ad hoc tempus. Ea pictura, quum peracta esset in Maianis hortis, accensa fulmine cum optima hortorum parte conflagravit. Libertus eius quum daret Antii munus gladiatorum, publicas porticus investivit pictura, ut constat, gladiatorum ministrorumque omnium veris imaginibus redditis*: Plin. XXXV, 7.

Tum quoque, *Nerone principe, in Cappadocia repertus est lapis duritia marmoris, candidus atque translucens, etiam qua parte fulvae inciderant venae, ex argumento Phengites appellatus. Hoc construxerat aedem Fortunae, quam Seiam appellant, a Servio rege sacratam, Aurea domo complexus. Quare etiam foribus opertis interdiu claritas ibi diurna erat, alio quam specularium modo, tamquam inclusa luce, non transmissa*: Plin. XXXVI, 22, sect. 46.

Reperta quoque, Neronis principatu, *vitri ars, quae modicos calices duos, quos appellant pterotos, HS. sex millibus* (gallicae monetae 1,153 fr. 60 cent.) *venderet*: Plin. XXXVI, 26. Vitrum illud, diversum fuit a communi vitro, iam pridem noto: perfectius nempe, et candidius, quod crystallum imitaretur. Mansit tamen crystallo fama, ac pretium. Unde Plinius XXXVII, 2: *Nero, amissarum rerum nuntio accepto, duos calices crystallinos in suprema ira fregit. Haec fuit ratio seculum suum punientis, ne quis alius ex his biberet. Fragmenta sarciri nullo modo queunt. Mire ad similitudinem accessere vitrea, sed prodigii modo, ut suum pretium auxerint crystalli, non diminuerint.* Hi sunt duo scyphi, de quibus

Suetonius in Ner. 47: *Nuntiata ceterorum exercituum defectione, literas prandenti sibi redditas concerpsit, mensam subvertit, duos scyphos, gratissimi usus, quos Homericos a caelatura carminum Homeri vocabat, solo illisit.*

Demum *nuper in Dalmatia, principatu Neronis*, inventum in summa tellure aurum, *singulis diebus etiam quinquagenas libras fundens*: Plin. XXXIII, 4.

Dum recens inventa celebrabantur, artes obliterabantur vetere fama nobiles, uti fieri adsolet, quum portentosa sectantur principes. *Omnem amplitudinem statuarum vicit aetate nostra Zenodorus, Mercurio facto in civitate Galliae Arvernis*, l'Auvergne, *per annos decem, HS. CCCC.* (gallicae monetae 7,685,936 fr.) *manipretio. Postquam satis ibi artem approbaverat, Romam accitus est a Nerone, ubi destinatum illius principis simulacrum, colossum fecit, CX pedum longitudine.... Mirabamur in officina non modo ex argilla similitudinem insignem, verum et ex parvis admodum surculis, quod primum operis instar fuit. Ea statua indicavit interisse fundendi aeris scientiam, quum et Nero largiri aurum argentumque paratus esset, et Zenodorus scientia fingendi caelandique nulli veterum postponeretur.... Quantoque maior in Zenodoro praestantia fuit, tanto magis deprehendi aeris obliteratio potest*: Plin. lib. XXXIV, cap. 7.

Nec mirum fundendi aeris scientiam periisse, quum aerea perfectissimae artis monumenta princeps auro deturparet. *Fecit* Lysippus *Alexandrum Magnum multis operibus, a pueritia eius orsus. Quam statuam inaurari iussit Nero princeps, delectatus admodum illa. Dein quum pretio perisset gratia artis, detractum est aurum: pretiosiorque talis existimatur, etiam cicatricibus operis atque concisuris, in quibus aurum haeserat, remanentibus*: Plin. XXXIV, 8, sect. 19, num. 6.

Hoc insano luxu, indignus qui divinae artis miracula possideret, eorum tamen desiderio flagravit, et praeter Olympicas statuas, quingentas aereas, tum deum, tum hominum imagines Delphis subripuit: Pausanias, V, 446, et X, 813.

Cetera Neronis luxus non persequar, ne infinitus sim. Dixerim tantum *tricliniaria babylonia* (des tapis pour les lits à manger) *quadragies sestertio* (gallicae monetae 768,707 fr.) ei stetisse: Plin. VIII, 48. Eum trecentis talentis (gallicae monetae 345,828 fr.) capidem unam murrhinam *paravisse. Memoranda res tanti imperatorem patremque patriae bibisse!* Plin. XXXVII, 2.

Principis vitia in publicos mores transiere; pervulgataque unguentorum insania. *Vidimus etiam vestigia pedum tingi: quod M. Othonem monstrasse Neroni principi ferebant. Quaeso ut qualiter sentiretur, iuvaretque ab ea parte corporis*: Plin. XIII, 3.

In hac fortunae satietate, unica cura excogitare nova luxus genera. Fastiditis ergo in supellectile ligno et ebore, quaesita et adulterata testudo. *Placuit deinde materiam et in mari quaeri: testudo in hoc secta; nuperque portentosis ingeniis principatu Neronis inventum, ut pigmentis perderet se, plurisque veniret imitata lignum.... Modo luxuria non fuerat contenta ligno: iam lignum enim e testudine facit*: Plin. XVI, 43.

Haec fatali quadam necessitate gliscebant, quum Neronis servitia, opibus superba, opulentos quosque ad luxos aemulationem adigerent. *Bina olim iugera populo romano satis erant; nullique maiorem modum attribuit* Romolus: *quo servos paullo ante principis Neronis, contemptis huius spatii viridariis, piscinas iuvat habere maiores*: Plin. XVIII, 2.

Quantae autem forent servorum illorum opes monstrabit pretium hominis in servitio geniti. *Armeniaci belli, paullo ante propter Tiridatem gesti, dispensatorem, Nero HS. CXXX* (gallicae monetae 2,498,061 fr.), *manumisit*. Vere Plinius, *hoc pretium belli, non hominis fuit*. Plin. VII, 39.

Tantas inter opes, immensa fuit possidendi cupido: eui favebant principes, ut unico crimine, vero fictove, plura raperent. *Latifundia perdidere Italiam; iam et provincias. Sex domi semissem Africae possidebant, quum interfecit eos Nero princeps*: Plin. XVIII, 6. Haec tamen ne de tota Africa accipias, sed de Africa, provincia romana, seu zeugitana, nunc *le royaume de Tunis et partie du royaume de Tripoli.*

Quanta autem foret Africae fecunditas novo experimento compertum. *E modio* tritici, *si sit aptum salum, quale est in Byzacio, Africae campo, centeni quinquageni modii* redduntur..... *Misit Neroni* procurator eius *CCCLX stipulas ex uno grano*: Plin. XVIII, 10.

Extremo Neronis principatu, commercia indica novum annonae genus Italiae attulere. Teste enim Plinio, XVIII, 7, num. 3: *Milium intra hos decem annos ex Indiam in Italiam invectum est, nigrum colore, amplum grano, arundineum culmo. Adolescit ad pedes altitudine septem, praegrandibus culmis: lobas vocant: omnium frugum fertilissimum. Ex uno grano terni sextarii gignuntur.* Milium illud nunc dicimus *le blé d'Inde*, vel *le maïs*, ut recte observavit P. *Lafiteau* (*Moeurs des sauvages Américains, comparées avec les moeurs des premiers temps*, tom. II, pag. 71).

At quum ita vigerent libidines, modica fuit legum cura. *Factum tamen est senatusconsultum, temporibus Neronis, octavo kalendas Septembres, Annaeo Seneca et Trebellio Maximo consulibus*, suffectis, ut vulgo fertur, anno U. c. 814, I. C. 61, *cuius verba haec sunt. Quum esset aequissimum in omnibus fideicommissariis hereditatibus, si qua de his bonis iudicia penderent, ex his eos subire, in quos ius fructusque transferretur, potius quam cuique periculosam esse fidem suam: placet ut actiones, quae in heredem heredibusque dari solent, eas neque in eos, neque his dari, qui fidei suae commissum, sicut rogati essent, restituissent; sed his, et in eos, quibus ex testamento fideicommissum restitutum fuisset: quo magis in reliquum confirmentur supremae defunctorum voluntates*: Digest. libr. XXXVI, tit. 1, ad senatusconsultum Trebellianum; leg. 1, ex Ulpiano.

Literae, quae a seculo corrumpuntur magis, quam seculum corrumpunt, communi peste fuere afflatae. Eloquentia verbosa fuit et quaestuosa: philosophia arguta magis, quam virilis: poësis turgida potius, quam vivida: tragoediae exigua laus, quum aetas nec virtutes ferret, nec punita vellet crimina: comoedia nulla fuit, quae semper esse desinit, quum validiora sont vitia, quam ut, aut exprobrentur, aut emendentur. Viguit quidem musice, sed effeminata, et impudicis modis fracta: placuit pictura compendiaria ac monstrosa, quam gallice dicimus *les Grotesques*.

Publica quoque placita secuta est medicina, quae sese hominum ingeniis, aeque ac morbis, attemperat. Quum vana cuncta essent, et venalia, *Q. Stertinius imputavit principibus, quod HS. quingenis annuis* (gallicae monetae 96,065 fr.) *contentus esset: sexcena enim* (gall. mon. 115,278 fr.) *sibi quaestu Urbis fuisse, numeratis domibus, ostendebat. Par et fratri eius merces a Claudio Caesare infusa est: censusque, quamquam exhausti, operibus Neapoli exornata, heredi HS. CCC* (gallicae mon. 5,764,452 fr.) *reliquere, quantum ad eam aetatem Arruntius solus. Exortus deinde est Vectius Valens, adulterio Messalinae Claudii Caesaris nobilitatus, pariterque eloquentiae assectator. Is eam potentiam nactus, novam instituit sectam. Eadem aetas Neronis principatu ad Thessalum transilivit, delentem cuncta maiorum placita, et rabie quadam in omnis aevi medicos perorantem: quali prudentia ingenioque, aestimari vel uno argumento abunde potest, quum monumento suo* (*quod est Appia via*) *iatronicea*, id est, medicorum victorem, *se inscripserit. Nullius histrionum equarumque trigarii comitatior egressus in publico erat: quum Crinas, Massiliensis*, de Marseille, *arte geminata, aut cautior religiosiorque, ad siderum motus ex ephemeride mathematica cibos dando, horasque observando, auctoritate eum praecessit. Nuperque centies HS.* (gallicae monetae 1,921,484 fr.) *reliquit, muris patriae, moenibusque aliis pene non minori summa exstructis. Hi regebant fata, quum repente civitatem Charmis ex eadem Massilia invasit, damnatis non solum prioribus medicis, verum et balineis: frigidoque etiam hibernis algoribus lavari persuasit. Mersit aegros in lacus; videbamus senes consulares usque in ostentationem rigentes. Qua de re exstat etiam Annaei Senecae adstipulatio. Nec dubium est omnes istos, famam novitate aliqua aucupantes, anima statim nostra negotiari.* Plin. XXIX, 1, sect. 5.

Thespesius quidam commentus est vidisse se in inferis animam Neronis, tot flagitiorum poenas luentem, miris et horrendis vexatam tormentis, aureisque clavis confixam. Qui fabulam legere voluerit, adeat Plutarchum, tom. II, *de His qui sero a numine puniuntur*, pag. 567.

Nos veriora utilioraque sectamur, tantae tamque effrenae libidinis caussam repetituri: quam indicasse videtur Plutarchus, plerumque consultissimus ac sapientissimus. Vera tot malorum caussa adulatio: Τί δὲ Νέρωνα τραγικὴν ἐπήξατο σκηνὴν, καὶ προσωπεῖα καὶ κοθόρνους περιέθηκεν; οὐχ ὁ κολακευόντων ἔπαινος; οἱ δὲ πολλοὶ τῶν βασιλέων, οὐκ Ἀπόλλωνες μὲν, ἂν μινυρίσωσι, Διόνυσοι δὲ, ἂν μεθυσθῶσιν, Ἡρακλεῖς δὲ, ἂν παλαίσωσι, προσαγορευόμενοι, καὶ χαίροντες, εἰς πᾶσαν αἰσχύνην ὑπὸ τῆς κολακείας ἐξάγονται; *Quid Neroni scenam erexit tragicam, larvasque et cothurnos induit, quam ululantium laudes? Annon plerique reges, dum cantillarent, Apollines; dum ebrii essent, Bacchi; dum palaestram exercerent, Hercules salutati: iisque gaudentes nominibus, assentatione ad extremam sunt adacti turpitudinem?* Plutarch. tom. II, *de Adulatoris et Amici discrimine*, pag. 56.

ANECDOTA

DE GALBA, OTHONE ET VITELLIO.

Breve ac ferale fuit horum principum imperium, civium caedibus cruentatum. Inde Iulianus, imperator, in Caesaribus, eos dixit feras fuisse, quae ne suo quidem generi parcerent. φείδεται γὰρ οὐδὲ τῶν ὁμοφυλετέρων ταῦτα τὰ θηρία.

Ob subitariam fluxamque eorum auctoritatem, monogrammata tum Galbae, tum Othonis, nonnullis Tiberii Neronisque nominis impressa reperiuntur. Quod sane factum, ut citius ac sine dispendio pararetur eorum moneta. Tales nummos vide apud cl. *Pellerin*, *Mélange de Médailles*, vol. II, p. 37.

Haud inglorius tamen fuisset, si longior, Galbae principatus. Multa sapienter furtiterque iam providerat. Vectigalia quoque imminuit. Remissam quadragesimam testantur eius nummi ex aere magno et mediocri: SER. GALBA IMP. AVG. Laureatum Galbae caput. In aversa parte: QVADRAGENS. REMISSAE. SC. Arcus triumphalis, cui equitea impositi. Nummi alii habent: XXXX. REMISSAE. SC. Eodem plane sensu. De quadragesimae abolitione vide dicta supra, Annal. XIII, 51.

Ob eas egregii principatus spes, et positum a Galba SIGNVM LIBERTATIS RESTITVTAE, nummos Galbae restituere optimi principes Vespasianus, Nerva et Traianus. Vide cl. *Le Beau*, *Mémoires de l'Académie royale des Inscriptions*, vol. XXIV, p. 181 et seq.

Percelebris fuit, et multorum eruditorum virorum coniectationibus iactatus, Galbae argenteus nummus, quem ita exhibebant: GALBA IMPERATOR. Caput Galbae laureatum. In postica parte, REST. NVM. Caput muliebre monili ornatum. Alii interpretabantur, RESTITVTO NVMMO; alii RESTITVTO NVMINE; alii RESTITVTA NVMIDIA; alii RESTITVTA NVMANTIA. Haec omnia vana esse docuit cl. *Barthélemy*. Seguinianus ille nummus, qui nunc in gaza regia adservatur, non habet REST. NVM., sed RESTITVTA: nec integer est, et in parte, quae exstat, affrictu detritus; unde literae TVTA corruptae sunt in NVM. At nummum plane similem, sed integrum habet cl. *D'Enery*, in quo manifeste scriptum, LIBERTAS RESTITVTA. Vide cl. *Barthélemy*, *Mémoires de l'Académie royale des Inscriptions*, vol. XXVI, p. 547 et seq.

Tabulas honestae missionis a Galba datas memoravi supra in Excurs. ad Annal. XIV, 27.

De Othone, luxurioso principe, pauca dixero. Satis sit monuisse eum fuisse ipsi Neroni libidinis ac luxus magistrum; et quum omnia luxus genera anteoccupata reperisset, eo usque descendisse, ut unguentis vestigia pedum tingere monstraret. Quod iam monuimus inter Anecdota de Nerone.

Ineunte hoc seculo, reperta in agro Brixelliano (Bresceello) magna vis aureorum nummorum, qui ibi defossi fuisse creduntur, versa in exitium Othonis fortuna. Vide cl. *Muratori*, *Annali d' Italia*, vol. I, anno 69.

Inter hos bellorum motus, novo cibo aucta est mensa romana, teste

Plinio, X, 49: *Venere in Italiam Bebriacensibus bellis civilibus trans Padum et novae aves (ita enim adhuc vocantur) turdorum specie, paulłum infra columbas magnitudine, sapore gratae.* Nova illa avis appellatur *starna*, id est, externa; et perdicis species est, quam perdicem cineream, *perdrix grise*, dicimus. Vide eruditum Manelphum, Mensa Romana, c. 24, p. 84.

At quantulum hoc ad ventrem gulamque Vitellii! de quibus quum dictum sit satis supra, pag. 32 et seqq. in Excurs. ad Hist. II, 62, nihil superest dicendum de principe, qui semper vixit inter patinarum paludes; et unde sub mortem, quum vera sunt nomina, dictus est *Patinarius*. Sueton. in Vitellio, 17.

ANECDOTA

DE VESPASIANO, TITO ET DOMITIANO.

Ubi primum Vespasianus pacem imperio attulit, id enixe curavit, quod Romanis semper gratissimum fuit, ut Roma magnificis operibus attolleretur. Praeter Iovis ut Capitolini Pacisque templa, amphitheatrum exstruxit tam magnifice tantisque impensis, ut cl. *Barthélemy*, peritissimus antiquitatis aestimator, quum stupendas, quae adhuc supersunt, partes inviseret, solius fabricae pretium, aestimatione per cubicos materiae pedes facta, repererit esse 17,000,000 gallicae monetae, *Mémoires de l'Académie royale des Inscriptions*, vol. XXVIII, p. 583. Quid, si nunc cogitemus tantae molis fundamenta, interiorem ambitum, cunctaque ornamenta ipsamque inferiorem amphitheatri partem, viginti duorum palmorum altitudine, sub ruderibus aggestisque terris latitantem? Manifestum sane erit Theodoricum regem merito scripsisse, Vespasianum, *divitiarum profusa flumine, cogitasse aedificium fieri, unde caput urbium potuisset* (Cassiodor. Variat. V. 42). Tanta autem tamque incredibili celeritate immensum id opus confectum est, ut ipse Vespasianus ad tres gradus illud erexerit, editisque ludis dedicaverit. Duos gradus postea adiecit Titus, iterumque dedicavit. Domitianus ad clypea usque perduxit, penitusque perfecit, ut iam dixi supra. Tunc vere scripsit Martialis, I, 1:

Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis,
Assiduus iactet nec Babylona labor:
Nec Triviae templo molles laudentur honores,
Dissimuletque Deum cornibus ara frequens.
Aere nec vacuo pendentia Mausolea
Laudibus immodicis Cares in astra ferant.
Omnis Caesareo cedat labor amphitheatro:
Unum pro cunctis fama loquatur opus.

Ibi non veteres tantum opes explicuit architectura; novas quoque addidit, et bases Doricis columnis supposuit: unde columnis non modo decus et elegantia, sed et soliditas ac firmamentum venit. Vide clar. T. Maior, *les Ruines de Poestum, ou de Posidonie, dans la Grande-Grèce*, p. 27.

Operum quidem magnificentia commendetur Vespasianus, aeque commendandus mihi videtur, quod iis plebeculam pascere studuerit. Curam, vigilantissimo principe dignissimam, memorat Suetonius in Vesp. c. 18: *Mechanico grandes columnas exigua impensa perducturum in Capitolium pollicenti, praemium pro commenta non mediocre obtulit, operam remisit, praefatus: Sineret se plebeculam pascere.*

Statuam Nili, ex basalte lapide, seu marmore, confectam, et a Vespasiano in templo Pacis dicatam, celebrat Plinius, XXXVI, 7: *Invenit eadem Aegyptus in Aethiopia, quem vocant basalten, ferrei coloris atque duritiae; unde et nomen ei dedit. Nunquam hic maior repertus est, quam in*

templo Pacis ab imperatore Vespasiano Augusto dicatus: argumento Nili, XVI liberis circa ludentibus, per quos totidem cubita summi incrementi augentis se amnis intelliguntur. Diu creditum est illam ipsam statuam in cavaedio pontificiarum Vaticani palatii aedium nunc adservari. Quae ibi adservatur inventa est, teste Serlio, in thermis Constantini, in monte Quirinali. Temporum iniuria rubiginem contraxerat; unde a recentioribus quibusdam scriptoribus ex basalte esse credita est. At constat eam esse ex marmore albo statuario. Manifestum itaque est non esse statuam a Vespasiano dicatam, sed antiquum eius exemplum, et ad similitudinem statuae ex basalte efformatum,

Idem fuit Tito principi magnificentiae studium; eiusque domum absolutissimis artium monumentis praefulsisse docet Laocoontis statua, quam celebrat Plinius, XXXVI, 5, o. 11; *Nec multo plurium fama est, quorumdam claritati in operibus eximiis obstante numero artificum, quoniam nec unus occupat gloriam, nec plures pariter nuncupari possunt, sicut in Laocoonte, qui est in Titi imperatoris domo, opus omnibus et picturae et statuariae artis praeponendum. Ex uno lapide eum et liberos, draconumque mirabiles nexus, de concilii sententia fecere summi artifices, Agesander et Polydorus et Athenodorus Rhodii.* Egregium illud artis opus, quod nemo sine maxima admiratione inspexerit, nunc videre est in pontificiis Vaticani palatii hortis. A Felice *de Fredis* inventum fuit sub Iulio secundo, pontifice maximo, in Thermis Titi. Nunc quidem diligenti contemplatione observatum est, illud non ex uno lapide, id est, marmore, fuisse confectum, sed plus minus quatuor compaginibus esse ferruminatum. Quod, quum recens adhuc foret, ab artificibus occultari dissimularique potuit, nunc post tot secula, aggestaque olim rudera, ipsamque demum exportationem, anxia tantum cura deprehenditur.

Hactenus magnificentiae consuluerant egregii principes Vespasianus et Titus. Portentosa libidinum miracula, quae sub Caio Caligula et Nerone Romam attonuerant, aemulatus est Domitianus. Visaque sunt in Caesarea domo Adonea, seu horti pensiles, quibus victam Assyriam gloriabatur princeps, incredibilium cupitor. De his hortis, vide cl. *Bianchini, del Palazzo de' Cesari*, Tab. 8. Praeter illos hortos videre erat alia immensae prodigentiae opera a Domitiano exstructa, porticum ante Caesaream domum, basilicam, balneum, pellicum diaetam; in quae singula, teste Plutarcho in Poplicola, p. 105, cadebat illud Epicharmi ad gurgitem dictum:

Non benignus es, habes morbum, gestis tu largiens.

Nam in his non se religiosum, nec magnificum probabat Domitianus, sed morbo tenebatur, gaudebatque quum in aedificia omnia profunderet; et, ut Midas, omnia sibi aurea et gemmea cupiebat: Ὁ μέντοι θαυμάσας τοῦ Καπιτωλίου τὴν πολυτέλειαν, εἰ μίαν εἶδεν ἐν οἰκίᾳ Δομετιανοῦ στοάν, ἢ βασιλικήν, ἢ βαλανεῖον, ἢ παλλακίδων δίαιταν, οἷόν ἐστι τὸ λεγόμενον τοῦ Ἐπιχάρμου πρὸς τὸν ἄσωτον, Οὐ φιλάνθρωπος τύ γ' ἐσσί· ἔχεις νόσον· χαίρεις διδούς· τοιοῦτον ἄν τι πρὸς Δομετιανὸν εἰπεῖν προήχθη· Οὐκ εὐσεβής, οὐδὲ φιλότιμος τύ γ' ἐσσί· ἔχεις νόσον, χαίρεις κατοικοδομῶν, ὥσπερ ὁ Μίδας ἐκεῖνος, ἅπαντά σοι χρυσᾶ καὶ λίθινα βουλόμενος γίνεσθαι.

Domitiani opera eiusque tempora plurimum illustrat Martialis in suis Epigrammatum libris, quibus Domitianum passim celebrat, eique adulatur.

In gaza serenissimi Aurelianensium ducis extat egregia gemma. Achates est (*une agathe précieuse*), cuius diameter duos ferme aequat pollices. In ambitu, sculpta sunt duodecim signa Zodiaci. In medio, videtur pars posterior templi rotundi, ante quod, in parte dextra, sedet vir togatus, capite nudo, cui vir pariter togatus stans offert coronam radiatam. Hos inter, iuvenis quoque togatus stans, et multo minor, manus attollit, venerans. Hinc et inde, ad pedes viri sedentis, sunt duo vasa. Sedes et antiqua, et affabre facta: posita est supra planum, quod sustinetur capite inter duas alas.

Multi multa, nec probabilia, excogitavere, ut hanc gemmam explicarent. Unus ad veritatem accessit cl. *Belley*, *Mémoires de l' Académie royale des Inscriptions*, vol. XXVI, p. 475. Quum enim observasset extare nummum Domitiani, cusum, quum ludi seculares facti sunt, qui quamdam similitudinem cum gemma habebat, existimavit in nummo et in achate exhiberi Domitianum, qui suffimenta pro ludis secularibus populo distribueret. At alia est gemmae mens, sublimis magis magisque divina, quam non deprehendit cl. *Belley*, quod ad locum Panegyrici, quem Plinius Traiano dixit, non attenderit. Locus ille Plinii gemmam egregie explicat. Quod ut clarius percipiatur, et nummum et gemmam afferam.

Nummus est ex aere magno, nec rarus: IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. VIII. caput Domitiani laureatum. In postica parte: COS. XIIII. LVD. SAEC. S. C. Vir togatus sedet in suggestu, capite nudo; dextram porrigit viro togato stanti, et dextram porrigenti. Hos inter stat, ante suggestum, iuvenis togatus, sed minor. Ante pedes viri sedentis sunt duo vasa. In recessu, videtur frons templi, aut basilicae, quatuor columnis insignis. In imo suggestu scriptum est: SVF. P. D., id est, *suffimenta populo data*. Nempe quum adessent ludi seculares, quindecim viri in Capitolio, et in templo Palatino, sedentes in suggesto, suffimenta, lustrationis caussa, populo dabant, faces scilicet, et sulphur et bitumen, ut docet Zosimus, II, p. 669: Ἐν τῷ Καπετωλίῳ καὶ ἐν τῷ νεῷ τῷ κατὰ τὸ Παλάτιον, οἱ δεκαπέντε ἄνδρες ἐπὶ βήματος καθήμενοι, τῷ δήμῳ διανέμουσι τὰ καθάρσια· ταῦτα δὲ ἐστι δᾷδες καὶ θεῖον καὶ ἄσφαλτον. Haec sunt suffimenta a quindecim viris data, quae in hoc Domitiani nummo, sicuti in compluribus aliis eius nummis aliae ludorum secularium cerimoniae, exhibentur. Immo videre est in Philipporum nummis ipsa etiam animalia, quae per seculares eorum ludos spectata sunt.

Gemma autem non ludos, ludorumve ritus, sed divinos honores, Domitiano oblatos et adsertos, ostentat. Id significat corona radiata, idem loquuntur Zodiaci signa; nec aliter Virgilius, Georgic. I, 32, Caesarem laudat, oratque ut novum tardis sidus se mensibus addat. Ita etiam artifex Zodiacum disposuit, ut retro post Domitianum viderentur signa Virgo et Libra, quae intra se Domitianus reciperet, quum caelos peteret. Carissima enim fuere Domitiano illa signa, qui ideo menses Septembrem et Octobrem ex suis appellationibus Germanicum et Domitianum transnominavit; ut vi-

dere est apud Suetonium in Domit. cap. 13, apud Plutarchum in Numa, p. 72, quod horum altero imperium suscepisset, altero natus esset. Divinitatis argumenta adhuc sunt in templo, in capite inter duas alas in ipsa sede, antiqua et cum scabello, quae deorum est, non hominum. Liberalitate autem Domitiano partam esse divinitatem indicant duo vasa. Haec autem omnia paucis complexus est Plinius in Panegyric. c. 52. Quum enim Traianum laudasset, quod pro se parcus, in publicum magnificus, Urbem porticibus, delubris, exornaverat, maximum circi latus splendidissime refecerat, multa ibi loca addiderat populo, quem congiarii facilitate auxerat, ait: *Horum unum si praestitisset alius, illi iamdudum radiatum caput, et media inter Deos sedes auro staret aut ebore, augustioribusque et grandioribus victimis invocaretur.* Quae, ut certo certius Domitianum notant, ita quoque gemmam serenissimi Aurelianensium ducis clarissime explicant.

ANECDOTA

DE NERVA ET TRAIANO.

De optimis illis principibus, quorum tempora satis illustravi, pauca addidero. Satis sit observasse, Romam nunquam fuisse, quam sub eorum principatu, magnificentiorem ac feliciorem: illos magnificentiae et felicitatis publicae egregia sua studia liberalitate et clementia cumulasse. Quod, post tot principes superbia, avaritia, crudelitate commaculatos, adeo suave gratumque visum est, ut id omnium vocibus fuerit celebratum, repertaque sint prope forum Nervae complura marmora inscripta, POTISSIMA DOS IN PRINCIPE LIBERALITAS ET CLEMENTIA. Praedicantur adhuc in Traiano SANCTITAS DOMI, IN ARMIS FORTITVDO, VTROBIQVE PRVDENTIA. Aurel. Victor, in Epitome.

Iis virtutibus in immensum crevit sub auspicatissimo Traiani principatu romana gloria; et quanto maior gloria, tanto maior fuit felicitas. Inde in veteribus monumentis passim occurrit, TRAIANVS RESTITVTOR ITALIAE, PROPAGATOR ORBIS TERRARVM, LOCVPLETATOR CIVIVM, PATER PATRIAE, PRINCEPS OPTIMVS. Alter quoque Romvlvs dicebatur, teste Dione, LXX, pag. 800. At quum eius nomen, ob multitudinem operum, quae aut nova struxerat, aut reipublicae temporibus insigniora, sed vetustate collapsa, refecerat, parietibus ubique inscriptum legeretur, plebs, cui vel laus maxima in iocum saepe cessit, eum herbam parietinam (*la parietina*), cognominavit. Ammian. Marcellin. XXVII, 2. Nec ingratum nomen fuit principi, cui liberae omnes voces placebant: adulationem tantum oderat: ideoque laudatus a Martiale, Epigram. X, 72:

Frustra, blanditiae, venitis ad me
Attritis miserabiles labellis:
Dicturus dominum, Deumque non sum.
Iam non est locus hac in urbe vobis:
Ad Parthos procul ite pileatos,
Et turpes humilesque, supplicesque
Pictorum sola basiate regum.
Non est hic dominus, sed imperator,
Sed iustissimus omnium senator:
Per quem de Stygia domo reducta est
Siccis rustica Veritas capillis.
Hac sub principe, si sapis, caveto
Verbis, Roma, prioribus loquaris.

Suis verisque laudibus attollatur Traiani virtus, qua certe nullam illustriorem vidit imperium romanum, at fabularum rursum pudeat Christianos quosdam scriptores, qui eum ab inferis, ob eius clementiam et mansuetudinem, lacrymis et fletibus Divi Gregorii liberatum fuisse commenti

sunt. Vide *Acta Sanctorum*, vol. II, mensis Martii, pag. 136, 137 et 155.

Traianus commentarios rerum suarum scripserat: qui si ad nos pervenissent; egregium suppeditassent historiae argumentum. In iis ampla quoque fuisset eruditionis materia; nullus enim principum, quos prisca Romanorum, Graecorum, aliorumve imperiorum aetas celebravit, maiora gessit, quam Traianus, plusve terrarum peragravit et illustravit.

Praeter insignem columnam Traiani, quam saepissime supra memoravi, erat eius arcus in prima Urbis regione, teste P. Victore, anaglyphis aliisque ornamentis nobilitatus. At quum Constantini aetate periissent artes, eique tamen ob victorias arcus dicaretur, nova quidem et rudia structa sunt, quibus addita egregia decora ab arcu Traiani ablata. Haec inter videtur anaglyphum, in quo Traianus stat sacrificans cum suovetaurilibus. Erant quoque octo insignes statuae, eximii operis, quorum capita clam nocte, iussu Laurentii de Medicis, amputata sunt, et Florentiam asportata. Post veterem illam exspoliationem, manebant adhuc marmora arcus Traiani, quibus clarissimus Michael - Angelus Buonarotti usus est, quum strueret elegantissimam basim, cui imposita est in area capitolina equestris statua M. Aurelii. Sic monumentorum

Vetus interit aetas,
Et iuvenum ritu florent modo nata, vigentque.
Debemur morti nos, nostraque.

(Horat. Art. Poetic. 61.)

FINIS ANECDOTORVM DE IMPERATORIBVS

APPENDIX CHRONOLOGICA,

AVCTORE

GABRIELE BROTERIO.

Appendix haec Chronologica summam, qua Cornelius Tacitus in scribenda historia usus est, artem reteget. Tristia enim et saeva tempora cursaturus, ita totius aevi romani molem complexus est, ut assidua temporum, rerum, hominum, eventuumque comparatione, et ab historia taedium amoverit, et legentium animos ad scelerum odia, studia virtutis, atque eximiam in adversis ac secundis rebus prudentiam erexerit. Multos quoque iuvabit nosse, quomodo Tacitus praecipuas variasque populi romàni res spectaverit. Potuissem equidem altius veterem memoriam repetere, et quae de Mose, Bocchori, Rhamse, Cyro, aliisque populorum antiquitatibus memorat, colligere. At haec disiecta nimis, iamque innotescunt, nec in tantas patent utilitates. Sit ergo satis romana tantum tempora relegere, eaque usque ad Traiani initia continuare.

APPENDIX CHRONOLOGICA.

A. V. C. 1, A. C. 752.

Romvlvs Urbis Romae conditor. Tacit. Annal. IV, 9.
Pomerium Urbis a Romulo positum. Annal. XII, 24.
Urbem Romam a principio reges habuere. Annal. I, 1.
Romulus, ut libitum, imperitat. Annal. III, 26.

A. V. C. 2, A. C. 751.

Romulus patres legit. Eae patriciorum familiae dictae postea *maiorum gentium*. Annal. XI, 25.

A. V. C. 6, A. C. 747.

Aedem Statoris Iovis vovet Romulus. Annal. XV, 41.

A. V. C. 7, A. C. 746.

Capitolium a T. Tatio Urbi additum. Annal. XII, 24.
Tatius, retinendis Sabinorum sacris, sodales Tatios instituit. Annal. I, 54; Hist. II, 95.

A. V. C. 16, A. C. 737.

Romulus tantum sapientia valet, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habeat. Annal. XI, 24.

A. V. C. 39, A. C. 714.

Quirinus Deum numero additus. Annal. IV, 38.

A. V. C. 40, A. C. 713.

Numa religionibus et divino iure populum devincit. Annal. III, 26.
Numae regia. Annal. XV, 41.

A. V. C. 85, A. C. 668.

Sacra piaculaque ex legibus Tulli regis instituta. Annal. III, 26; XII, 8.

A. V. C. 115, A. C. 638.

Reperta quaedam ab Anco divini iuris. Annal. III, 26.

A. V. C. 140, A. C. 613.

Equorum certamina a Thuriis accita. Annal. XIV, 21.

A. V. C. 141, A. C. 612.

Capitolium vovet Tarquinius Priscus rex, bello Sabino, iacitque fundamenta, spe magis futurae magnitudinis, quam quo modicae adhuc populi romani res sufficerent. Hist. III, 72.

A. V. C. 177, A. C. 576.

Servius Tullius sanctor praecipuus legum fuit, queis etiam reges obtemperarent. Annal. III, 26.
Templum Lunae a Servio Tullio sacratum. Annal. XV, 41.

A. v. c. 183, A. c. 570.

Servius Tullius, sociorum studio, Capitolium exstruere aggreditur. Hist. III, 72.

A. v. c. 225, A. c. 528.

Tarquinius Superbus, capta Suessa Pometia, Capitolium exstruit: haud perfecit. Sed gloria operis libertati reservata. Hist. III, 72.

A. v. c. 244, A. c. 509.

Tarquinii exacti. Annal. XI, 22.

A. v. c. 245, A. c. 508.

Libertatem et consulatum L. Brutus instituit. Annal. I, 1.

Brutus patrum numerum supplet. Eae familiae *minorum gentium* appellatae. Annal. XI, 25.

A. v. c. 247, A. c. 506.

Horatius Pulvillus, iterum consul, Capitolium dedicat, ea magnificentia, quam immensae postea populi romani opes ornarent potius, quam augerent. Hist. III, 72.

Urbs Porsenae dedita, Tuscisque dati obsides. Hist. III, 72; Ann. XI, 24.

A. v. c. 250, A. c. 503.

Attus Clausus, origine Sabina, gentis Claudiae auctor. Annal. IV, 9; XI, 24.

Patricii Claudii ab Atto Clauso continui duravere sine ulla adoptione, usque ad Domitium a Claudio principe adoptatum. Annal. XII, 25.

A. v. c. 256, A. c. 497.

Dictaturae ad tempus sumptae. Annal. I, 1.

A. v. c. 258, A. c. 495.

A. Postumius, dictator, Libero Liberaeque et Cereri aedem iuxta Circum Maximum vovet. Annal. II, 49.

A. v. c. 277, A. c. 476.

Cremerensis clades. Hist. II, 91.

A. v. c. 300, A. c. 453.

Adversus patrum factiones multa populus parat, tuendae libertatis et firmandae concordiae caussa. Accita quae usquam legum egregia. Annal. III, 27.

A. v. c. 303, A. c. 450.

Creati decemviri, et compositae duodecim tabulae, finis aequi iuris. Annal. III, 27.

Vetus Urbi fuenebre malum, et seditionum discordiarumque creberrima caussa. Duodecim tabulis sanctum, ne quis unciario foenore amplius exerceret; quum antea ex libidine locupletium agitaretur. Annal. VI, 16.

Decemviralis potestas haud ultra biennium. Annal. I, 1.

A. v. c. 307, A. c. 446.

Quaestores creati Valerius Potitus et Aemilius Mamercus, ut rem militarem comitarentur. Annal. XI, 22.

A. v. c. 310, A. c. 443.

Tribunorum militum consularo ius non diu valuit. Annal. I, 1.

A. V. C. 364, A. C. 389.

Alliensis clades. Hist. II, 91.

Capta a Gallis Roma. Annal. XI, 24.

XIV kalendas Sextiles captam Urbem Senones inflammant. Annal. XV, 41.

Post gallica incendia, Urbs nulla distinctione passim erecta. Annal. XV, 43.

A. V. C. 390, A. C. 363.

Histriones a Tuscis acciti. Annal. XIV, 21.

A. V. C. 407, A. C. 346.

Unciarium foenus, rogatione tribunicia, ad semuncias redactum. Annal. VI, 16.

A. V. C. 412, A. C. 341.

Vetita versura. Annal. VI, 16.

Post multis plebiscitis obviam itum foeneratorum fraudibus. Sed toties repressae, miras per artes rursum oriebantur. Annal. VI, 16.

A. V. C. 423, A. C. 330.

Arbela, castellum insigne fama, quod postremo inter Darium atque Alexandrum proelio Persarum illic opes concidere. Annal. XII, 13.

A. V. C. 430, A. C. 323.

Mors Alexandri Magni. *Eius virtutem fatorumque cum Germanici virtutibus fatisque comparatio.* Annal. II, 73.

A. V. C. 433, A. C. 320.

Caudina clades. Annal. XV, 13.

Samnitium iugum subeunt Romani. Annal. XI, 24.

A. V. C. 476, A. C. 277.

Fabricius consul senatusque romanus venenum in Pyrrhum regem vetant produntque. Annal. II, 88.

A. V. C. 485, A. C. 268.

Duplicatus quaestorum numerus, stipendiaria iam Italia, et accedentibus provinciarum vectigalibus. Annal. XI, 22.

A. V. C. 490, A. C. 263.

Primum bellum Punicum. Spei aedem hoc bello vovet Atilius. Annal. II, 49.

A. V. C. 494, A. C. 259.

Iani templum apud forum olitorium a C. Duillio structum, qui primus rem romanam prospere mari gessit, triumphumque navalem de Poenis meruit. Annal. II, 49.

A. V. C. 512, A. C. 241.

Aulum Postumium, consulem, sed flaminem Dialem, in Siciliam ad classem proficiscentem, ad sacra retinet L. Metellus pontifex maximus. Annal. III, 71.

A. V. C. 536, A. C. 217.

Secundum bellum Punicum. Hannibal in Italiam ingruit. Annal. III, 34.

Cremona condita. Hist. III, 34.

A. V. C. 541, A. C. 212.

Oppiae leges, queis constricta feminarum licentia. Annal. III, 33.
Bellum Macedonum. Icta cum Romanis Lydorum foedera. Annal. IV, 55.

A. V. C. 550, A. C. 203.

Lex Cincia, qua cavetur ne quis ob caussam orandam pecuniam donumve accipiat. Annal. XI, 5; et XV, 20.
Marcus Lepidus Ptolemaei liberis tutor in Aegyptum missus. Ann. II, 67.

A. V. C. 553, A. C. 200.

Syphacem P. Scipio triumphans populo romano ostendit. Ann. XII, 38.

A. V. C. 559, A. C. 194.

Smyrnaei, primi omnium, templum urbis Romae statuunt: magnis quidem iam Romam imperii rebus, nondum tamen ad summum elatis, stante adhuc Punica urbe, et validis per Asiam regibus. Annal. IV, 56.

A. V. C. 562, A. C. 191.

Bellum Syriacum. Byzantii copias mittunt in Antiochum. Ann. XII, 62.

A. V. C. 564, A. C. 189.

L. Scipio, pulso Antiocho, fidem atque virtutem Magnetum decorat. Annal. III, 62.

A. V. C. 583, A. C. 170.

Bellum Persei, Macedonum regis. Quo in bello studia urbium Asiae in populum romanum. Annal. IV, 55.
Byzantii copias mittunt in regem Persen. Annal. XII, 62.

A. V. C. 587, A. C. 166.

L. Paulus Aemilius triumphat, ducto ante currum Perse Macedonum rege. Annal. XII, 38.

A. V. C. 604, A. C. 149.

Servius Galba a Catone censorio accusatus. Annal. III, 66.

A. V. C. 605, A. C. 148.

Magistratuum avaritia parit Calpurnia scita de repetundis. Ann. XV, 20.
Tertium bellum Punicum. P. Scipio, quamvis flagrante adhuc Poenorum bello, apud Siciliam romanum militaremque cultum exuit, ut externorum morum aemulatione animos devinciat. Annal. II, 59.

A. V. C. 606, A. C. 147.

Byzantiorum ictum cum Romanis foedus, qua tempestate bellatum adversus regem Macedonum, cui, ut degeneri, Pseudo-Philippi vocabulum impositum. Annal. XII, 62.

A. V. C. 608, A. C. 145.

Possessa Achaia Asiaque, ludi curatius Romae editi. Annal. XIV, 21.
L. Mummius primus graeci certaminis spectaculum in Urbe praebet. Annal. XIV, 21.

A. V. C. 610, A. C. 143.

Aqua Marcia ad Urbem deducta. Annal. XIV, 22.

A. V. C. 617, A. C. 136.

Numantina clades. Annal. XV, 13.

A. V. C. 621, A. C. 132.

Dissensione ordinum, et apiscendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava latae leges. Annal. III, 27.

Tiberius Gracchus turbator plebis. Annal. III, 27.

Discordiae consulum apud tribunos, agrariae frumentariaeque leges, plebis et optimatium certamina. Annal. IV, 32.

L. Cotta a Scipione Africano accusatus. Annal. III, 66.

A. V. C. 623, A. C. 130.

Bellum Aristonici. Byzantii copias mittunt in Aristonicum. Annal. IV, 55, et XII, 62.

Ubi subacto orbe, et aemulis urbibus regibusve excisis, securas opes concupiscere vacuum fuit, prima inter patres plebemque certamina exarsere. Modo turbulenti tribuni, modo consules praevalidi, et in Urbe ac foro tentamenta civilium bellorum. Hist. II, 38.

A. V. C. 632, A. C. 121.

Semproniis rogationibus equester ordo in possessione iudiciorum locatur. Annal. XII, 60.

C. Gracchus turbator plebis. Annal. III, 27.

A. V. C. 641, A. C. 112.

Cimbrorum arma primum audita sunt, Caecilio Metello ac Papirio Carbone consulibus. De Mor. German. cap. 37.

Papirius Carbo consul a Germanis fusus. Ibid.

A. V. C. 645, A. C. 108.

P. Rutilius a M. Scauro accusatus. Annal. III, 66.

Rutilius et Scaurus suam ipsi vitam postea narravere, fiduciam potius, morum, quam arrogantiam arbitrati. Vit. Agric. cap. 1.

A. V. C. 646, A. C. 107.

Aurelius Scaurus a Germanis captus. De Mor. German. cap. 37.

A. V. C. 647, A. C. 106.

Cassius a Germanis victus caesusque. De Mor. German. cap. 37.

A. V. C. 648, A. C. 105.

Serviliae leges senatui iudicia reddunt. Annal. XII, 60.

A. V. C. 649, A. C. 104.

Servilius Caepio et Cn. Manlius a Germanis fusi. De Mor. Germ. c. 37.

A. V. C. 653, A. C. 100.

Germani a C. Mario in Italia victi; at non impune. De Mor. German. cap. 37.

A. V. C. 654, A. C. 99.

Saturninus turbator plebis. Annal. III, 27.

A. V. C. 658, A. C. 95.

Ptolemaeus, Cyrenarum rex, cui cognomentum Apionis fuit, agros populo romano cum regno relinquit. Annal. XIV, 18.

A. V. C. 662, A. C. 91.

L. Crasso et Domitio censoribus, rhetores cludere ludum impudentiae iussi sunt. Dialog. de Orat. cap. 35.

A. V. C. 663, A. C. 90.

Turbator plebis, nec minor largitor, nomine senatus, Drusus: corrupti spe, aut illusi per intercessionem socii. Inde bellum Italicum. Ann. III, 27.

A. V. C. 666, A. C. 87.

Mithridaticum bellum. Athenienses socii sunt Mithridatis adversus Sullam. Annal. II, 55.

Iussu regis Mithridatis apud cunctas Asiae insulas et urbes trucidantur Romani. Annal. IV, 14.

Coi, fidem suam tum testati, cives romanos templo Aesculapii induxere. Annal. IV, 14.

Multa eorundem in populum romanum merita, sociaeque victoriae. Annal. XII, 61.

Gravissimo in discrimine exercitus, ob asperitatem hiemis et penuriam vestis, quum id Smyrnam in concionem nuntiatum foret, omnes, qui adstabant, detraxere corpori tegmina, romanisque legionibus miserunt. Ann. IV, 56.

Bellum civile. Multae et diversae leges. Annal. III, 27.

Marius et Sulla de iudiciorum iure praecipue bellant. Annal. XII, 60.

E plebe infima C. Marius, et nobilium saevissimus L. Sulla, victam armis libertatem in dominationem vertunt. Hist. II, 38.

Cn. Pompeius octavodecimo aetatis anno civilia bella sustinet. Annal. XIII, 6.

Cn. Pompeius Mario Sullaque occultior, non melior. Et nunquam postea nisi de principatu quaesitum. Hist. II, 38.

A. V. C. 667, A. C. 86.

Haud longa Cinnae dominatio. Annal. I, 1.

Proelio, quo apud Ianiculum adversus Cinnam pugnatum est, Pompeianus miles fratrem suum, dein, cognito facinore, seipsum interficit. Tanto acrior apud maiores, sicut virtutibus gloria, ita flagitiis poenitentia fuit. Hist. III, 51.

Cornelii Merulae, flaminis Dialis, caedes. Sex et septuaginta annis nemo post eum suffectus. Annal. III, 58.

A. V. C. 670, A. C. 84.

L. Sulla, pulso Mithridate, fidem atque virtutem Magnetum decorat. Annal. III, 62.

A. V. C. 671, A. C. 83.

Ardet Capitolium civili bello, sed fraude privata. Annal. VI, 12, et Hist. III, 72.

Arsere et Sibyllini libri. Quaesita Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam, et italicas colonias carmina Sibyllae, una seu plures fuere; datumque sacerdotibus negotium, quantum humana ope potuissent, vera discernere. Annal. VI, 12.

Capitolium iisdem rursus vestigiis situm exstruendi curam victor Sulla suscipit. Hist. III, 72.

A. V. C. 672, A. C. 81.

L. Sulla dictator, abolitis vel conversis prioribus legibus, plura addit; et tribunorum plebis licentiam tollit. Annal. III, 27.

Lege Sullae viginti quaestores creati supplendo senatui, cui iudicia tradiderat. Annal. XI, 22.

A. v. c. 673, A. c. 80.

Pomerium Urbis a L. Sulla auctum. Annal. XII, 23.

A. v. c. 675, A. c. 78.

Haud longa Sullae dominatio. Annal. I, 1.

A. v. c. 676, A. c. 77.

Sulla moritur. Hoc solum felicitati eius negatum, quod Capitolium non dedicaverit. Hist. III, 72.

Lutatius Catulus, consul, Capitolium dedicat; eiusque nomen, inter tanta Caesarum opera, usque ad Vitellium mansit. Hist. III, 72.

Turbidae Lepidi rogationes, ut acta mortui Sullae rescinderentur. Annal. III, 27.

A. v. c. 680, A. c. 73.

Sertorii atque Mithridatis ingentibus bellis labat respublica. Ann. III, 73.

A. v. c. 681, A. c. 72.

Cyziceni circumsessi haud minus sua constantia, quam praesidio Luculli, Mithridaten regem pellunt; ideoque libertatem adepti. Annal. IV, 36.

Servile bellum. Spartaco tamen, post multas consularium exercituum clades inultam Italiam urenti, haud datum ut pacto in fidem acciperetur. Annal. III, 83, et XV, 46.

A. v. c. 684, A. c. 69.

Tribunis plebis reddita licentia. Annal. III, 27.

Tum non modo in commune, sed in singulos homines latae quaestiones et corruptissima republica multae leges. Annal. III, 27.

A. v. c. 685, A. c. 68.

L. Lucullus Armeniam penetrat, et itinera aperit. Annal. XV, 27.

Lex Roscia de equitum romanorum loco apud theatrum. Annal. XV, 32.

A. v. c. 687, A. c. 66.

Cn. Pompeio, Piraticum bellum gesturo, multum a populo romano potestatis datum. Annal. XV, 25.

Piratico bello Antonium adiuvant Byzantii. Annal. XII, 62.

A. v. c. 691, A. c. 62.

Romanorum primus Cn. Pompeius Iudaeos domuit; templumque iure victoriae ingressus est. Muri Hierosolymorum diruti; delubrum mansit. Hist. V, 9.

A. v. c. 696, A. c. 57.

Germani a Iulio Caesare in Gallia victi. De Mor. German. cap. 37.

A. v. c. 699, A. c. 54.

Primus omnium Romanorum Iulius Caesar, cum exercitu Britanniam ingressus, quamquam prospera pugna terruerit incolas, ac litore potitus sit, potest videri eam ostendisse posteris, non tradidisse. Vit. Agric. c. 13.

Cn. Pompeius mansuram theatri sedem posuit; ideoque incusatus a senioribus. Annal. XIV, 20.

Antea subitariis gradibus, et scena in tempus structa, ludos edi solitum,

Vetostioribus adhuc temporibus, ataus populus lodos spectabat, ne si considerct, theatro dies totos ignavla eontinuaret. Aonal. XIV, 20.

Pompeii Crassique potentia cito in Caesarem cessura. Annal. I, 1.

A. V. C. 701, A. C. 52.

Crassns a Parthis trucidatus. Annal. II, 2; de Mor. German. c. 37.

Cassius debellati exercitus romani reliquias servat; ipse postea Parthorum victor. Inde familia Cassia per illas gentes celebrata. Aunal. XII, 2.

A. V. C. 702, A. C. 51.

Galli Iulium Caesarem apod Alesiam obsident. Annal. XI, 23.

Victore Caesare, nullum breviore spatio, quam adversus Gallos confectum est bellum. Annal. XI, 24.

Cn. Pompeins, tertium consul, corrigendis moribus delectus. At gravior remediis, quam delieta erant, suarumque legum auctor idem ac subversor. Annal. III, 28.

A. V. C. 706, A. C. 47.

Pharsalica pugna. Qnae armis tuebatur, armis amittit Cn. Pompeius. Annal. III, 28.

Pompeii potentia in Caesarem eedit. Aonal. I, 1.

Exin coutiuua per viginti annos discordia: non mos, non ins; deterrima quaeque impuue; ae multa honesta exitio suut. Annal. III, 28.

A. V. C. 707, A. C. 46.

Lex dietatoris Caesaris de modo credendi possidendique Iutra Italiam. Annal. VI, 16.

Caesar seditiooem exercitus verbo uno compescit, *Quirites* vocando, qui sacramentum eius detrectabaot. Aonal. I, 42.

A. V. C. 708, A. C. 45.

Dietator Caesar lege Cassia patricios sublegit. Annal. XI, 25.

A. V. C. 709, A. C. 44.

Consol uno die fuit Caninius Bibulus, C. Caesare dictatore, quum belli civilis praemia festinarentur. Hist. III, 37.

A. V. C. 710, A. C. 43.

Repentina vis dictatorem Caesarem opprimit. Hist. III, 68.

Caesar Octavianus nonodecimo aetatis auno civilia bella sustinet. Annal. XIII, 6.

Is, adolesceos privatus, veteranos cupidine dominandi conceitos per largitiones inflammat, exercitum parat, corrumpit eonsulis legiones, simulat Pompeianarum gratiam partium. Annal. I, 10.

A. V. C. 711, A. C. 42.

Caesis Hirtio et Pansa consnlibos, ntrinsque copias Octavius occupat; extorqoet invito senatn consulatnm; armaque, quae in Antonium acceperat, contra rempublicam vertit. Annal. I, 10.

Triumviratns, proscriptio civium, divisiones agrorum. Annal. I, 10.

Cicero interficitur. Ab ejus iuteritu mutata eloqnentia. Dialog. de Orat. cap. 24.

A. V. C. 712, A. C. 41.

Philippensis acies. Bruto et Cassio caesis, nulla iam publica arma. Annal. I, 2, et III, 76.

A. V. C. 714, A. C. 39.

Perusinum bellum. Annal. V, 1.

Brundisinum foedus. Annal. I, 10.

Stratonicenses Parthorum irruptionem, nihil mutata in populum romanum constantia, perferunt. Annal. III, 62.

Regnum Iudaeae ab Antonio Herodi datum. Hist. V, 9.

A. V. C. 715, A. C. 38.

Pax inter Sex. Pompeium ac triumviros pacta. Annal. V, 1.

Pacorus, Iudaea potitus, a P. Ventidio interficitur; et Parthi trans Euphraten redacti. Hist. V, 9.

Amisso Pacoro, infra Ventidium deiectus Oriens. De Mor. Germ. c. 37.

A. V. C. 716, A. C. 37.

Caesar, cupidine formae, aufert Tiberio Neroni uxorem Liviam, incertum an invitam; adeo properus, ut ne spatio quidem ad enitendum dato, penatibus suis gravidam induxerit. Annal. V, 1.

Consulti per ludibrium pontifices, an concepto, necdum edito partu, rite nuberet. Annal. I, 10.

A. V. C. 717, A. C. 36.

Tarentinum foedus. Annal. I, 10.

Agrippa Ubiorum gentem, Rheno transgressam, in fidem accipit. Annal. XII, 27.

Experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocantur, ut arceant, non ut custodiantur. De Mor. German. cap. 28.

Iudaeos C. Sosius subigit. Hist. V. 9.

A. V. C. 718, A. C. 35.

Lepidus, postquam socordia senuit, specie quoque amicitiae, legionibus exuitur. Annal. I, 2, 9 et 10.

Caesar bellis civilibus Cilnium Maecenatem, equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam praeponit. Annal. VI, 2.

A. V. C. 719, A. C. 34.

Sextus Pompeius, pacis imagine deceptus, apud Siciliam opprimitur. Annal. I, 2 et 10.

A. V. C. 723, A. C. 30.

Actiaca victoria. Annal. I, 3.

Caesar vultu et aspectu actiacas legiones Brundisii turbantes exterret. Annal. I, 42.

A. V. C. 724, A. C. 29.

Antonio per libidines pessumdato, eoque interfecto, Caesar, posito triumviri nomine, cuncta discordiis civilibus fessa, nomine *Principis*, sub imperium accipit. Annal. I, 2 et 9.

Luxus mensae, a fine actiaci belli, ad ea arma queis Ser. Galba rerum adeptus est, per annos centum profusis sumptibus exerciti. Annal. III. 55.

Princeps Augustus lege Saenia patricios sublegit. Annal. XI, 25.
Mauros Iuba rex accipit, donum populi romani. Annal. IV, 5.
Phraates, Parthorum rex, cuncta venerantium officia ad Augustum vertit; partemque prolis firmandae amicitiae mittit: haud perinde Romanorum metu, quam fidei popularium diffisus. Annal. II, 1.

A. V. C. 725, A. C. 28.

Augustus, inter alia dominationis arcana, seponit Aegyptum, vetitis, nisi permissu, ingredi senatoribus aut equitibus romanis illustribus: ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam, claustraque terrae ac maris, quamvis levi praesidio, adversum ingentes exercitus insedisset. Ann. II, 59.
C. Oppius, Cornelius Balbus, Matius, Vedius, aliaque equitum romanorum, sub Augusto principe, praevalida nomina. Oppius et Balbus primi Caesaris opibus potuere conditiones pacis et arbitria belli tractare. Annal. XII, 60.
Statilius Taurus, Marcius Philippus, Corn. Balbus hostiles exuvias, aut exundantes opes, ornatum ad Urbis et posterum gloriam conferunt. Ann. III, 72.
Augustus sibi atque urbi Romae templum apud Pergamum sisti non prohibet. Annal. IV, 5.

A. V. C. 726, A. C. 27.

Sexto suo consulatu Caesar Augustus, potentiae securus, quae triumviratu iusserat, abolet; datque iura, queis pace et principe uteremur. Ann. III, 28.

A. V. C. 731, A. C. 22.

Piso, qui civili bello resurgentes in Africa partes acerrimo ministerio adversus Caesarem iuverat, mox Brutum et Cassium secutus, concesso reditu, petitione honorum abstinebat, delatum ab Augusto consulatum accipit. Annal. II, 43.
Marcellus, flagrantibus plebis studiis, intra iuventam morte ereptus. Annal. II, 41.
M. Agrippae Mitylenense secretum. Annal. XIV, 53.

A. V. C. 733, A. C. 20.

Augustus M. Agrippam generum sumit. Annal. I, 3, et Hist. I, 15.
Eius filii Caius ac Lucius in familiam Caesarum postea inducti. ibid.

A. V. C. 734, A. C. 19.

Datus rex Armeniis a Caesare Tigranes, deductusque in regnum a Tiberio Nerone. Annal. II, 3.

A. V. C. 736, A. C. 17.

M. Agrippa socius tribuniciae potestatis deligitur. Annal. III, 56.

A. V. C. 737, A. C. 16.

Ludi seculares ab Augusto editi. Annal. XI, 11.

A. V. C. 738, A. C. 15.

Lolliana clades. Annal. I, 10.

A. V. C. 742, A. C. 11.

M. Agrippa vita concessit. Annal. I, 3.

Sulpicius Quirinius, impiger militiae, et acribus ministeriis, consulatum, mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis, insignia triumphi adeptus. Annal. III, 48.

A. V. C. 743, A. C. 10.

Germani a Druso in suis sedibus perculsi. De Mor. Germ. cap. 37.

A. V. C. 745, A. C. 8.

Drusus extinctus magnam sui apud populum romanum memoriam reliquit: credebatur enim, si rerum potitus foret, libertatem redditurus. Annal, I, 3 et 33.

Is aggerem coërcendo Rheno inchoaverat. Annal. XIII, 53.

A. V. C. 746, A. C. 7.

Pomerium Urbis ab Augusto auctum. Annal. XII, 23.

Germani a Tiberio in suis sedibus perculsi, ac saepe postea fusi. De Mor. Germ. cap. 37.

Maecenas, Augusti amicitia praecipuus, moritur. Provecta tamen aetate speciem magis in amicitia principis, quam vim tenuit, fato potentiae raro sempiternae. Annal. III, 30.

A. V. C. 747, A. C. 6.

Tiberii de Germanis triumphus. Annal. I, 4 et 34; II, 26.

Cum Germanis Tiberius, Germanicus, aliique duces rursum bellavere: multaque invicem damna. Non Samnis, non Poeni, non Hispaniae, Galliaeve, ne Parthi quidem saepius admonuere: quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. De Mor. Germ. cap. 37.

A. V. C. 748, A. C. 5.

Iussu Augusti Armeniis impositus rex Artavasdes; post non sine clade romana deiectus. Annal. II, 3.

Defuncto Agrippa, Augustus Tiberium Neronem potestatis tribuniciae socium delegit, ne successor in incerto foret. Annal. III, 56.

A. V. C. 749, A. C. 4.

Tiberius, ab uxore sua Iulia spretus, Rhodum abscedit: ibique iram et simulationem, secretas libidines meditatur. Annal. I, 4 et 53.

A. V. C. 750, A. C. 3.

Post mortem Herodis, Simon quidam in Iudaea regium nomen invadit. Is a Quinctilio Varo, obtinente Syriam, punitus; et gentem coërcitam liberi Herodis tripartito rexere. Hist. V, 9.

A. V. C. 752, A. C. 1.

Caius Caesar componendae Armeniae deligitur. Is Ariobarzanem, origine Medum, ob insignem corporis formam et praeclarum animum, volentibus Armeniis praefecit. Annal. II, 4.

Caio Caesari obtinenti Armeniam datus rector Sulpicius Quirinius. Annal. III, 48.

Ut valida Augusto in rempublicam fortuna, ita domi improspera fuit. Iulia, eius filia Tiberiique uxor, ob impudicitiam Pandataria insula, mox oppido Rheginorum, qui Siculum fretum accolunt, clausa. Annal. I, 53, et III, 24.

Iulius Antonius, ob adulterium Iuliae, morte punitus. Annal. IV, 44.
Sempronius Gracchus, Iuliae pervicax adulter, amotus Cercinam, Africi maris insulam. Annal. I, 53.

A. V. C. 755, I. C. 2.

Lucium Caesarem euntem ad hispanienses exercitus mors, vel Liviae dolus, opprimit. Annal. I, 3.

A. V. C. 757, I. C. 4.

Caium Caesarem remeantem Armenia, et vulnere invalidum, mors fato propera, vel novercae Liviae dolus, abstulit. Annal. I, 3.
Tum in Tiberium cuncta vergere: filius, collega imperii, consors tribuniciae potestatis adsumitur. Annal. I, 3; Hist. I, 15.
A Tiberio quoque, super propriam stirpem, Germanicus adsumptus. Annal. XII, 25.

A. V. C. 759, I. C. 6.

Capito Ateius principem in civitate locum studiis civilibus obtinet. Consulatum ei adceleravit Augustus, ut Labeonem Antistium iisdem artibus praecellentem anteiret. Annal. III, 75.

A. V. C. 760, I. C. 7.

Livia senem Augustum devinxerat adeo, uti nepotem unicum Agrippam Postumum in insulam Planasiam proiiceret. Annal. I, 3.

A. V. C. 761, I. C. 8.

Iulia, Augusti neptis, convicta adulterii, proiicitur in insulam Trimetum, haud procul Apulis litoribus. Annal. IV, 71.
D. Silanus, eius adulter, amicitia Augusti prohibetur; exsiliumque sibi demonstrari intelligens, fugit. Annal. III, 24.
Augustus, commotus Cassii Severi libidine, qua viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat, primus cognitionem de famosis libellis, specie legis maiestatis, tractat. Annal. I, 72.
Apud veteres fuit quoque lex maiestatis; sed alia in iudicium veniebant. Si quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus, denique male gesta republica maiestatem populi romani minuisset, facta arguebantur, dicta impune erant. Annal. I, 72.

A. V. C. 762, I. C. 9.

Augustus legem Papiam Poppaeam incitandis caelibum poenis et augendo aerario sancit. Annal. III, 25.
Bellum Dalmaticum a Tiberio confectum. Oruospades haud inglorius auxiliator, eoque civitate romana donatus. Annal. VI, 37.
Variana clades. Tres cum Varo legiones periere. Victor Arminius. Annal. I, 10, 59 et 62; de Mor. German. cap. 37.

A. V. C. 765, I. C. 12.

Tiberii de Pannoniis ac Dalmatis triumphus. Annal. I, 4 et 34.
Caius, Germanici et Agrippinae filius, in castris nascitur: eum, in contubernio legionum eductum, militari vocabulo *Caligulam* appellant, quia

plerumque ad conciliandi vulgi studia eo tegmine pedum induebatur. Annal. I, 41.

A. V. C. 766, I. C. 13.

Augustus, quum Tiberio tribuniciam potestatem a patribus rursum postularet, quamquam honora oratione, quaedam de habitu vultuque et institutis eius iecerat, quae velut excusando exprobraret. Inde fama ne Tiberium quidem caritate, aut reipublicae cura adscitum: sed quoniam arrogantiam saevitiamque eius introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quaesivisse. Annal. I, 10.

A. V. C. 767, I. C. 14.

Gravescere coepit valetudo Augusti; et quidam scelus uxoris suspectabant. Tiberius properis matris literis accitur; neque satis compertum, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam, an exanimem repererit. Excessisse Augustum et rerum potiri Tiberium, fama eadem fert. Ann. I, 5.

Hactenus veterem memoriam relegimus. Res autem Tiberii, Caii Caligulae, Claudii, Neronis, Galbae, Othonis, Vitellii, ipsaque Vespasiani initia, ab anno U. c. DCCLXVII, ad annum U. C. DCCCXXIV, Annalium, Historiarum, Supplementorum, Appendicisque libris, quos in nostris editionibus publicavimus, satis innotuere. At, ut brevitati simul et utilitati consulam, Vespasiani, Titi Domitiani, ac Nervae res, quas cognascere interest, in Appendice Chronologica summatim complectar.

A. V. C. 825, I. C. 72.

Vespasiano Augusto IV, Tito Caesare II, consulibus. Invaluerant duo praecipua bellorum civilium mala, legum oblivio, et adversus dominantes audacia. In hac imperii pace, utrique subvenit Vespasianus. Urbi leges, regnatrici domui munimenta addita. Quo praecaverentur militares motus, praetoriarum cohortium praefecturam Titus accepit: magnum equestris ordinis ornamentum et paterni imperii tutamentum. Coërcita autem feminarum licentia, poena ancillas fore, quae se alieno servo iungerent. Repressa quoque creditorum saevitia; et interdictum ne filiorum familias foeneratoribus exigendi crediti ius unquam esset, ne post patrum quidem mortem. Simul reficiebatur pulcherrimum ac vetustissimum imperii monumentum. Nempe tria millia aerearum tabularum, quibus continebantur, pene ab exordio Urbis, senatusconsulta, plebiscita de societate, foedere, privilegio cuicuque concessis, quae incenso Capitolio conflagraverant, undique investigatis exemplaribus, reposita. Ad conciliandos populi animos, datum a Tito congiarium. Haec popularitatis studia aversabatur

Accepit. Plinius, in praefat.

Iungerent. Sueton. in Vespas. 11. Vide iam dicta supra Annal. XII, 53.

Mortem. Sueton. ibid. Id iam statuerat Claudius, ut dictum est Annal. XI, 13.

Reposita. Sueton. in Vespas. 8.

Congiarium. Memoratur in Titi nummis. Vide supra p. 157.

Helvidius Priscus, Thraseae gener, et severioris philosophiae placita sectatus. Integrae libertatis cupitor, querebatur publicum servitium civilibus Vespasiani studiis certius, quam priorum principum vitiis, induci. Inde acerbior quaevis principatus acta carpebat, sententiarum quoque, quas princeps in senatu afferret, assiduus obtrectator. Vespasianus tales sui contumelias diu tulit, Helvidii integritatem, et Thraseae, cui ipse amicus fuerat, virtutem reveritus. Ne tamen infringeretur auctoritas, Helvidium monuit, ut vel contumaciam exueret, vel sileret. Contra ille in dies pervicacior et infensior, primum exsilio, dein morte, vel invito principe, multatus est. Philosophi, ut procacia ingenia, Urbe submoti. Musonius, favore Muciani, commune discrimen solus effugit. Demetrius et Hostilius, maioris petulantiae, in insulas relegati. Interim Petilius Cerialis, confecto bello Germanico, in Britanniam fuerat missus. Decessore suo Vettio Bolano validior, terrorem statim intulit, Brigantum civitatem aggressus. Multa proelis, et aliquando non incruenta; magnam Brigantum partem aut victoria amplexus est, aut bello.

A. V. C. 826, I. C. 73.

Fl. Domitiano Caesare II, M. Valerio Messalino consulibus, ut cresceret favor, congiarium a Domitiano datum. In eo visi senes, qui se a divo Augusto semel atque iterum accepisse congiarium narrabant. Grandaevos alios multos prodidit census, qui tum peragebatur; et ne singulis moremur, res est confessa in regione Italiae octava centenum annorum censos fuisse homines LIV, centenum denum homines XIV, centenum vicenum quinum homines duos, centenum tricenum homines quatuor, centenum tricenum quinum aut septenum totidem, centenum quadragenum homines tres. Id tanto curiosius observatum, quod mortalitas in longi aevi spes sit semper intenta, et aetas principis ad senium vergeret. Placuit in eadem censura explorari magnitudinem Urbis, quam ex tantulis initiis virtus romana in immensum extulerat. Compertum moenia eius collegisse ambitu pass. XIII M CC. Eiusdem spatium mensura currente a milliario in capite romani fori statuto ad singulas portas numero triginta septem effecisse passuum per directum XXX M DCCLXV. Ad extrema vero tectorum cum castris praetoriis ab eodem milliario, per vicos omnium viarum numerata fuisse paullo amplius septuaginta millia passuum. Quo si quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto aestimationem concipiat, fateaturque

Helvidius Priscus. Iam laudatus supra Annal. XVI, 28 et 35. Eius mores, offensae gloriaeque initium vidimus in Hist. IV, 5.

Vel sileret. De his plura Arrianus in Epictet. I, 2.

Relegati. Dio, LXVI, p. 751.

Aut bello. Tacit Vit. Agric. c. 17, et Hist. IV, 68 et seq.

Congiarium. De quo dictum supra, tom. IV, p. 259.

Narrabant. Tacit. Dialog. de Orat. cap. 17.

Regione Italiae octava. Inter Ariminum: *Rimini*, et Placentiam, *Plaisance*.

Homines tres. Haec omnia Plinius, VII, 49.

Pass. XIII M CC. De hac urbis Romae magnitudine disseruimus supra.

nullius urbis magnitudinem in toto orbe potuisse ei comparari. Ne magnificentia ulli cederet, advectae undique opes externe, novaque in dies attollebantur monumenta. Haec augebat Vespasianus, refectis, quae labarent, taeito quidem suo nomine, sed servata veterum inscriptionum gloria, quum ipse additis novis splendidissimisque operibus satis inclaresceret. Atque ut Urbis splendori ex civium moribus ac dignitate accederet decus, senatum et equitem recensuit: submoti indignissimus quisque, et honestissimi Italicorum ae provincialium adlecti. Ita amplissimos ordines sub prioribus principibus caede varia exhaustos, veterive contaminatos negligeotia, purgavit supplevitque, ut, quum ducentas gentes in senatu vix reperisset, mille composuerit. Et ne paopertas probro esset, consulares inopes quingenis sestertiis annuis sustentavit.

A. V. C. 827, I. C. 74.

Vespasiano Augusto V, Tito Caesare III, consolibus. Peracto censu, conditum est lustrum imperii supremum. Tum princeps Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, Tracheam Ciliciam, et Commagenem in provinciarum formam redegit. Succensuit quidem Apollonius, et acrius, quam philosophum decebat: Neronem laudans, quod libertatem Graecis dedisset, Vespasianum qui eam tolleret. literis increpavit. At ipse postea edoctus quas coras pro republica recte et consulte ordinanda princeps sustineret, posuit iras et in publicae laetitiae partem laodesque venit. Una tunc femina, Caenis nomine, famam Vespasiani ioumbrabat. Antoniae quondam liberta, fidem ita probaverat, ut secretioribus adhibita inssaque nuntiara Tiberio, quae adversus eum pararet Seianus; post Vespasiani voluptatibus, antequam Flaviam Domitillam uxorem duceret, innexa. Is, privatus adhuc, amissa uxore, Caenidem in contubernium revocavit, atque etiam princeps pene iustae uxoris loco habuit. Caenis in id fastiginm evecta, nihilque in auctoritate magnificum, nisi immensas opes, reputans, fortunam ad lucra vertit; provinciarum et exercituum praefecturas, magistratus, sacerdotia, ipsaque principis responsa venalia proponebat. Tanta

Comparari. Haec et superiora Plinius, III, 5.

Provincialium adlecti. Sueton. in Vespasian. 9.

Mille composuerit. Aurel. Victor. de Caesaribus.

Quingenis sestertiis. Sueton. in Vespasian. 17. Quingena autem sestertia sunt gallicae monetae lib. 97,265.

Imperii supremum. Censorinus, de Die natali, cap. 18. De censu lustroque Romanorum diximus in Excurs. ad Annal. XI, 25.

Redegit. Sueton. in Vespasian. 8; Euseb. in Chronic. et Aurel. Victor. in Epitome. Perperam autem in Suetonio *Thraciam Ciliciam*, pro *Tracheam Ciliciam*, legitur, ut patet ex Victore; idque iam aliis observatum. Inde facile intelligas cur Flaviopolis, urbs Ciliciae, initium aerae suae in nummis ab hoc anno ceperit. Nummos vide apud cl. *Pellerin* [*Premier Supplément aux Recueils de Médailles*, p. 34]. Trachea Cilicia nunc Turcis dicitur *Itch-iil.*

Literis increpavit. Quas vide apud Philostratum, Vit. Apollon. V, 41.

Caenis nomine. Sueton. in Vespasian. 3, Dio, LXVI, p. 751.

foeditas laudes principis obruisset, ni inexplebilem feminae cupidinem finisset mors. Tum si quid adhuc obtrectationis ex tributorum vectigaliumque magnitudine supererat, Vespasianus publica necessitate et principalibus impensis, quae in Urbis totiusque imperii decus ac magnificentiam unice cederent, fuit excusatus. Hoc anno feliciter se exernit agricolarum industria. Quum enim praegelidae hiemis acerbitate spes tota segetum interiisset, reperti in agro Treverico qui, adversis temporum obluctati, mense Martio campos resarrientes, novam sementem telluri credidere. Natura, labore vinci laeta, agrestem patientiam uberrimis messibus pensavit.

A. V. C. 828, I. C. 75.

Vespasiano Augusto VI, Tito Caesare IV, consulibus, templum Pacis, quo nullum in Urbe fuit maius pulchriusque, dicatum est: ibi, ceteras inter opes undique terrarum advectas, posita templi Hierosolymitani spolia. Simul attollebatur ingens magnificentiae et luxuriae miraculum, amphitheatrum, divo Augusto quondam meditatum, tranquillioribus servatum temporibus. Architectura, libere exspatiata, et undequaque spectabilis, suas omnes opes explicuit. Admirationem auxit in huius monumenti decora tractum colosseum Neronis simulacrum, sed damnatis eius sceleribus, venerationi Solis dicatum. Hac operum audacia Urbs se priscis Orientis et Aegypti prodigiis aequabat, quum Vespasianum ab belli curas retrahere voluit Vologeses, Parthorum rex. Is nuntiabat, *Alanos, barbaram gentem, fugatis regibus Pacoro et Tiridate, Medium Armeniamque populari; Parthis iam imminere, inde Romanorum agros incursaturos. Adversus communem hostem arma sociari; alterutrum de Vespasiani filiis ducem belli mitti* flagitabat. Designabaturque Domitianus, et iuvenili impetu, et fraternae gloriae aemulatu in haec praeceps. At Vespasianus, filii naturam, dominationis avidam, reveritus, laetusque Arsacidarum fastigium barbara vi imminui, hanc belli aleam detrectavit; praetexens Romanos ab exteris

Publica necessitate. Quam Neronis libidines et civilia bella tantam induxerant, at Vespasianus, quem imperium capesseret, professus sit *quadringenties millies* [gallicae monetae lib. 7,782,010,000] *opus esse, ut respublica stare posset.* Sueton. in Vespasian. 16.

Hoc anno. Plin. XVIII, 20.

Agro Treverico. Nunc *Treves.*

Templum Pacis. Dio, LXVI, p. 752; Sueton. in Vespasian. 9.

Spolia. Vide supra in Appendice ad librum Historiarum, V, 52.

Amphitheatrum. Sueton. ibid. Huius amphitheatri pars magna adhuc exstat, et dicitur *il Colosseo.* Accipimus ex MS. Vindobonensi edito supra, Vespasianum illud ad tres gradus erexisse; aditisque ludis, dedicavisse; deinde a Tito rursus dedicatum, adiectis duobus gradibus. Domitianus illud ad clypea usque perduxit, penitusque perfecit.

Dicatum. Plin. XXXIV, 7.

Alanos. Supra Tanaim et paludem Maeotidem habitabant Alani. Ioseph. Bell. Iud. VII, 7, n. 4.

Mitti flagitabat. Sueton. in Domitian. 11.

Detrectavit. Dio, LXVI, p. 752.

domesticisque proeliis recentiores, novis periculis non obiectandos. Iratus Vologeses superbas mittit epistolas, quibus inscripserat: *Arsaces, rex regum, Flavio Vespasiano.* Modestiore responsu, quod huiusmodi fuit, *Arsaci, regi regum, Fl. Vespasianus*, adeo irritata Vologesis ferocia, ut Syriam occupare statim pararet. Adversus barbarum impetum restitit iu-territa Traiani, Syriae praesidis, constantia, et virtus iam vivida eius filii, qui puer admodum in maximas spes adolescebat. Parthorum superbia metu solo cohibita, Vologeses in pacem coactus est. Decreta Traiano, qui hoc decus antiquis natalibus addidit, triumphalia ornamenta; editique ludi, quos fere funestavit cynicorum malignitas. Ii pulsi, ut philosophorum vulgus, clam in Urbem irrepserant: publicis moribus tanto iratiores, quanto diutius coërcita maledicentia, rebantur se opportunam populum romanum insectandi occasionem nactos. Diogenes, ut nomine, sic re, veterem famam aemulatus, in plebem, spectaculis intentam, conviciis invehitur. Effrena procacitas verberibus multata. Heras, supplicio iuvi-tatus magis, quam territus, atrocius criminari audet. Iterata licentia rei capite expiata. Silentibus bellis, in hac pacis tranquillitate, et quum studia liberalitate principis refoverentur, iuvit expendere quomodo Urbs, quae tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque effloruisset, ea laude ita tunc esset orbata, ut vix nomen ipsum oratoris retineret. Hac quidem de re disseruere M. Aper, Iulios Secundus, Curatius Maternus et Vipstanius Messala, ingenii fama tum insignes. Singula rei momenta rite perpensa; et quae olim studia alerent, quae deinde vel ipsa ingenia pessum dederint tractata. In confesso tamen fuit eloquentiam alumnam esse licentiae ac libertatis; nullos unquam fuisse oratores in iis civitatibus, quae severissimis legibus uterentur; bono seculi sui utendum; sapientissimi uniusque principis pacem contumaci arrogantique eloquentia meliorem esse atque utiliorem. Haec quum Tacitus iuvenis admodum audiisset, postea literis tradidit, et utilitati publicae consecravit.

A. V. C. 829, I. C. 76.

Vespasiano Augusto VII, Tito Caesare V, consulibus. Domitianus ab externis bellis hactenus retractus, ne vel successu elatus, vel Orientis so-

Inscripserat. Dio, ibid.

Traiani. Ad hunc Traianum, Traiani Imperatoris patrem, pertinet praestantissimus e Museo Pembrockiano nummus, quem erudite explicavit cl. *Belley* [*Mémoires de l'Académie royale des Inscriptions*, vol. XXX, p. 271 et seq.].

Puer admodum. Plin. in Panegyric. XIV.

Coactus est. Victor de Caesaribus, et in Epitome.

Triumphalia ornamenta. Plin. in Panegyric. IX et XVI.

Multata. Dio, LXVI, p. 752.

Expiata. Dio, ibid.

Liberalitate. De quo vide Tacitum in Dialog. de Orat. 9, et Suetonium in Vespasian. 18.

Iuvit expendere. Habitusque Dialogus de Oratoribus, editus supra.

Iuvenis admodum. Tacit. Dialog. de Orat. 1. Inde patet Quintilianum, qui alterum

cietate audax, fortunam praesumeret, adversus Sarmatas missus est, ex queis gloriae spes, nullus novarum rerum metus. Recepit signa ante capta, victorque in Urbem rediit. Interim visa Titi virtus clauguescere. Otia tamen fallebat studiis; et de acontia, quae hoc anno apparuit, praeclaro carmine perscripsit. At haec leviora adversus animum iuventutis fervore et novae fortunae licentia aestuantem. Parta quidem bellis gloria diu fuit gliscentibus vitiis velamen. Erupere tandem luxu, libidine, ex impotentiori in dies amore Berenices, quae non modo Romam venerat, et in palatium fuerat recepta, sed et ei Titus nuptias pollicitus ferebatur. Urbs, barbarum dedecus exosa, verebatur adhuc ne cetera Neronianae aulae mala redirent. Tum enim Titus ad mediam noctem comessationes cum profusissimo quoque familiarium extendebat; inter exoletorum et spadonum greges frequens. Foeda quoque rapacitate constabat cum in cognitionibus patris nundinari praemiarique solitum. Invisa et saevitia, quum suspectum quemque et oppositum sibi violenter opprimeret. Haec eo maius ferebantur, vel ipsis patris virtutibus, qui nec suspicione, nec metu ad perniciem cuiusquam compulsus est: immo monentibus amicis cavendum esse Metium Pomposianum, quod vulgo crederetur genesim habere imperatoriam, consulem eum fecit, spondens *quandoque beneficii memorem futurum*. Ea tamen haud perinde fuere in Tito Caesare naturae vitia, quam morbida luxuriantis fortunae tabes, quae, optima eius indole, in melius post susceptum principatum statim cessit, ut mox sumus dicturi. Hadrianus, postea rerum potiturus, hoc anno Romae natus est IX kalendas Februarias.

A. V. C. 830, I. C. 77.

Flavio Vespasiano VIII, Tito Caesare VI, consulibus, annus, ut civilibus rebus inturbidus, ita caeli inclementia fuit insignis. Notatum est papilionum proventum ter repetito frigore fuisse exstinctum, advenasque volucres ad VI kalendas Februarii spem veris attulisse, mox saevissima hieme conflictatas. Quod autem luctuosius, carbunculus, peculiare olim

et tricesimum aetatis annum attigerat, non esse huius dialogi auctorem. Contra vero iuvenis admodum Tacitus, tunc octodecim circiter annos natus.

Missus est. Hanc expeditionem testantur nummi multi, hoc anno cusi. CAESAR AVG. F. DOMITIANVS. Caput Domitiani. In aversa parte Sarmata genuflexus signum militare restituit. Infra COS. V, id est, *consul quintum*. Hoc anno consul quintum suffectus fuit Domitianus.

Acontia. Acontias stellas (seu, ut verius loquimur, cometas) Romani dixere ob iaculi formam. Plin. II, 25.

Berenices. De qua dictum supra Hist. II, 2.

Receptam. Dio, LXVI, p. 752.

Ferebatur. Sueton. in Tit. 7.

Solitum. Sueton. ibid.

Opprimeret. Aurel. Victor. in Epitome.

Memorem futurum. Sueton. in Vespasian. 14.

Dicturi. Infra ad a. U. c. 832.

Hadrianus. Spartian. in Hadrian. 1.

Conflictatas. Plin. XVIII, 25.

Carbunculus. Morbum illum adhuc dicimus *charbon*.

Narbonensis provinciae malum, qui L. Paullo et Q. Marcio censoribus primum in Italiam venerat, hoc anno foede saeviit, duosque consulares exanimavit, Iulium Rufum et C. Laecanium Bassum: illum medicorum inscientia sectum; hunc pollice laevae manus avulso seu a semetipso, tam parvo vulnere, ut vix cerni posset. His acerbitatibus quum Urbs esset intenta, C. Plinius, ob studiorum claritudinem Vespasiano familiaris, naturae historiarum triginta septem libros edidit: opus diffusum, eruditum, nec minus varium quam ipsam naturam, quod utinam maiore delectu, minori credulitate fuisset collectum, nec foedatum insanabili librariorum imperitia aut incuria. In hoc tamen suo squalore, maximum humani ingenii, naturae, atque artis promtuarium semper habebitur. Cn. Iulius Agricola, quum Vespasianus senatum lectissimis viris suppleret, inter patricios adscitus, dein, egregie administrata pene per triennium Aquitania provincia laudem adsecutus, in Urbem revocatus est ut suffectus foret consul. Fama quoque erat provinciam ei Britanniam destinari. Ibi Iulius Frontinus, Petilio Ceriali, decessori suo, quem supra memoravimus, haud impar, validam et pugnacem Silurum gentem subegerat; super virtutem hostium, locorum quoque difficultates eluctatus. Saborensibus in Hispania permissum, ut oppidum sub principis nomine exstruerent.

A. V. C. 831, I. C. 78.

L. Ceionio Commodo, Decimo Novio Prisco consulibus, Vespasiani clementia, vel sua inter pericula hactenus illaesa, insolito casu est infracta; quem ut exponam, res altius repetenda. Iulius Sabinus, apud Gallos opibus praecipuus, et falsa divi Iulii stirpe vanus, Caesarem se salutari iusserat. Sequanos, Romanis fidos, bello provocare ausus, uti iam supra relatum est. Contra fuit fortuna: ipse cum popularibus suis Lingonibus fusus. Captivos, maxime duces, et Sabino intimos, manebant supplicia, rebellionis poena. Multi aut fuga aut voluntaria morte, infamiae se subduxere. Sabinus, amore uxoris suae Eponinae, nec fugam, nec mortem tentare sustinuit; at arte usus est, ut famam exitii sui vulgaret. Nempe concessit in villam, in qua sibi certum esse vitam finire simulat; ideo-

Censoribus. Censores fuere a. U. c. 590.

Iulium Rufum. Quem consulem a. U. c. 830 vidimus in Supplemento Annal. XVI, 49.

Laecanium Bassum. Consulem a. U. c. 817, iam memoratum supra Annal. XV, 33.

Cerni posset. Haec et superiora Plinius, XXVI, 1.

Familiaris. Plin. Epist. III, 5.

Edidit. Et dicavit Tito sexies consuli. Vide Plinii epistolam, Historiae naturalis libro primo praefixam.

Quam ipsam naturam. Haec totidem verbis Plin. Epist. III, 5.

Supra memoravimus. Vide annum 825.

Eluctatus. Tacit. Vit. Agric. 9.

Saborensibus. Tabula aenea reperta Cognoti prope Malacam, nunc *Malaga*, populorum sedem ibi fuisse indicat. Inscriptionem vide apud Gruterum, p. 164, n. 1, et Marianam Hist. Hispaniae, IV, 4.

Relatum est. Tacit. Hist. IV, 67.

Sabinus. Egregium illud historiae fragmentum debemus Plutarcho, in Amatorio, p. 770 et 771, quem ducem hic maxime sequimur.

que dimissis servis, duos tantum libertos sibi fidissimos retinet. Iis secreti consciis, subterraneam specum, condendis thesauris clam olim paratam, subit: mox incensa villa, Martialem, e duobus libertis alterum, mittit, qui Eponinae nuntiet maritum veneno occubuisse, eiusque corpus flammis haustum: certus, quanto atrocior foret uxoris luctus, tanto citiorem, manifestioremque fore mortis suae fidem. Eponina, luctu amens, tres dies totidemque noctes muliebribus lamentis et eiulatibus absumpserat, quum Sabinus, veritus ne longior tristitia dilectam uxorem obrueret, Martialem remittit, qui maritum vivere, artem locumque secessus doceat, moneat tamen ut per doloris imitamenta adultam viduitatis famam nutriat. Eponina, quo re laetior, eo specie tristior, lacrimas, questus, ceteraque lugentium atra ingeminat; ac tandem obscuro noctis usa, in mariti amplexus ruit; alloquioque recreata, domum repetit, ad notas artes paratior. Sic exacti septem menses, quum spes illuxit esse in Urbe veniae locum. Huc statim proficiscitur cum marito, quem mutato habitu, tonso capillo, galericuloque capiti adaptato, ita composuit, ut gratiae, si sit locus, non iniuriae, si metus ingrueret, pateat. Ibi, ut miseris plerumque evenit, comperto, lacta ab amicis temere promissa, tristis imminere, in Gallias redit, et maritum sua in specu recondit. Saevientis fati solatia fuere, mutuus amor, meliorum temporum vota, grataque vel summa in miseria fecunditas. Plurima enim arte et uterum et parturientis necessitates occultans, Eponina aucta est duobus liberis virilis sexus, qui in tanto cariores spes adolevere, quanto calamitosior erat parentum fortuna. Sabinus his artibus latebrisque vitam per novem annos traduxerat, quum tandem eum vivere auditum est. Statim ipse eiusque uxor ac liberi comprehensi, Romamque vecti, ante Vespasianum sistere se iussi sunt. Viso principe, Sabinus obmutuit, rebellionis flagitio pressus. Eponina, sexu, amore, conscientia animosior, rumpit silentia, preces intendit, testatur *se peperisse ut plures haberet, qui efflagitarent veniam.* Vespasianus, insontes liberos intuens, illacrimavit; iisque datum vivere. At Sabinus lege maiestatis, non illa nova et sub prioribus principibus reperta, sed vetere, qua perduelles puniuntur, mortis damnatus est. Tracta quoque in mariti ruinam Eponina, forte consiliorum societate et virilibus curis nocens visa. Nulla iam spe vitae, cassisque quos per tot annos sustinuerat laboribus, ferox femina preces in iras vertit, Vespasianoque insultans, profitetur, *vitam morte sibi libenter mutari; se feliciorem vel in obscuris terrae visceribus, quam ipsum in principatus splendore, vixisse.* Multi, feminae fortitudinem mirati eius malis indoluere; vulgus

Veniam. Dio, LXVI, p. 752.

Datum vivere. Horum alter postea in Aegypto occubuit; alterum secum nuper fuisse Delphis, nunc *Castri*, testatur Plutarchus, loc. cit.

Puniuntur. Vide Tacit. Annal. I, 72.

Vixisse. Argumentum, quo vix ullum tragoedia habet eventuum varietate splendidius, et ad movendos animos validius, tractandum suscepere apud nos cl. *Richer* (*Sabinus et Eponine, Tragédie, par M. Richer; Paris, Prault*, 1735); apud Italos cl. *Bartoli* (*Eponina, Tragedia di Giuseppe Bartoli; in Torino, Mairesse*, 1767). Idem argumentum retractaturos manet ampla gloriae seges.

autem, cuncta, maxime quae principes spectant, interpretari solitum, mox secutam Vespasiani, haud laetam Titi mortem, dein Domitiani scelera caedemque, et totius Flaviae gentis excidium, huius supplicii poenas fuisse, ut sero, sic adseveranter, iactitavit. Haec quum in Urbe diversis rumoribus agitarentur, laetiores de Britannia nuntii venere. Iulius Agricola, quamquam media iam aestate in insulam transgressus, Ordovicum civitatem, quod haud multo ante eius adventum alam in suis finibus agentem obtrivisset, ingenti clade affecerat; caesaque prope universa gente, Monam insulam, a Suetonio Paullino prospere olim tentatam, petiit, hostesque ita terruit, ut petita pace deditaque insula, clarus ac magnus statim haberetur. Ipse, ne laureatis quidem gesta prosecutus, dissimulatione famae famam auxit. Tres urbes in Cypro insula terrae motu corruere.

A. U. C. 832, I. C. 79.

Vespasianus Augustus IX, Titus Caesar VII, consules, contionis ferme magistratibus imperium firmare intendebant. Haec dominationis studia Alienum Caecinam et Eprium Marcellum in novas res impulere. Compertis consiliis, Titus, patris caritate suoque periculo in vindictam praeceps, Caecinam vocatum ad coenam, ac vixdum e triclinio egressum, confodi iussit: sane urgente discrimine, quum etiam chirographum eius praeparatae apud milites coniurationis deprehendisset. Hunc finem habuit Caecina, ante Vitellii proditor. Marcellus autem, a senatu interrogatus damnatusque, sectis novacula faucibus, vitam multis sub Nerone foedatam flagitiis, nunc perfidia adversus principem amicum consiliis infamem, finivit.

Tum quidem fuit securitas. At principis valetudo motiunculis levibus in Campania tentari coepit; vulgata statim portenta: *Mausoleum Caesarum derepente patuisse, crinitam stellam in caelo visam.* Haec quidem irrisit princeps, *Alterum ad Iuniam Calvinam e gente Augusti pertinere,*

Iactitavit. Idem peccavit Plutarchus, loc. cit. Melior locupletiorque testis Suetonius in Vespasian. 15: *Non temere quis punitus insons reperitur .... neque Vespasianus caede cuiusquam unquam laetatus, iustis suppliciis illacrimavit etiam et ingemuit.*

Iulius Agricola. Tacit. Vit. Agric. 18.

Corruere. Paul. Oros. VII, 9. Id quidem biennio ante refert Eusebius in Chronic., at non ita probabiliter. Altum enim hac de re silentium apud Plinium, qui singulares huius temporis res diligentissime annotavit.

Deprehendisset. Sueton. in Tit. 6. Minime autem audiendus Aurelius Victor, in Epitome: *Caecinam consularem adhibitum coenae, vixdum triclinio egressum, ob suspicionem stupratae Berenices uxoris suae, iugulari iussit.*

Proditor. Ut vidimus supra Hist. II, 100.

Novacula faucibus. Dio, LXVI, p. 752.

Principem amicum. Vide supra Dialog. de Orat. 8.

Principis valetudo. Haec et seq. Suetonius in Vespasian. 24.

Crinitam stellam. Sueton. in Vespasian. 23. Sic autem Romanis dictos fuisse cometas iam monuimus.

Iuniam Calvinam. Augusti abneptem, Silani et Lepidae filiam, de qua diximus supra in Stem. Caes. n. 62.

sine spe dimitteret. Admonentibus domesticis, quasi plura polliceretur, quam praestare posset, *Non oportere*, respondit, *quemquam a sermone principis tristem discedere*. Et quondam recordatus super coenam, quod nihil cuiquam toto die praestitisset, memorabilem vocem edidit: *Amici! diem perdidi*. Ne quid etiam paternae labis haereret, quum Vespasianus et pecuniae visus fuisset cupidior, et deceptus in insontium neces consensisset, ipse ne concessas quidem ac solitas collationes recepit; pontificatum quoque maximum ideo *se* professus *recipere*, *ut puras servaret manus*: nec auctor posthac cuiusquam necis, nec conscius, quamvis interdum ulciscendi caussa non deesset, sed *periturum se potius*, *quam perditurum* adiuravit. De maiestatis crimine nunquam egit, neque agi permisit, dictitans: *neque iniuriam neque contumeliam sibi fieri posse*, *quod nihil reprehensione dignum patraret*; *falsa*, *si qua spargerentur*, *sibi curae non esse*. Tum omnes Titum mirari, celebrare; iis vero, qui eum, nondum principem, timuissent, pudor. Dum in hac admiratione venerationeque Urbs adquiescebat, luctum adtulit atrox et continuus tremor terrae, quem secuta est horrenda Vesuvii montis conflagratio. Pulcherrima Campaniae ora misere foedata; obrutae duae urbes Herculanium et Pompeii; vasta hominum strages; quos inter periere Agrippa eiusque mater Drusilla. At, studiorum fama, mors C. Plinii, quem supra memoravimus, fuit insignitior. Is forte tum Miseni erat, classemque imperio praesens regebat. Miraculo nubis, quae in similitudinem formamque arboris e summo Vesuvio primum visa erumpere, exeitus, huc properat, noscendae naturae avidus. Dum pergit, gliscit periculum, cineribus, pumicibus, ambustisque lapidibus late depluentibus. Interritus, inter incendia, montem petit: sulphureis flammis crassioreque caligine spiritu obstructo, exanimatus est. Tanta autem fuit ignium vis, ut cineres in Africam, Syriam et Aegyptum fuisse delatos volgatum. Ubi haec Romae audita, ab omnibus trepidatum est. Princeps ad miserorum solatia et levamenta curas omnes vertit. E consularium numero ducti, qui Campaniam specta-

Recepit. Sueton. in Tit. 7.

Adiuravit. Sueton. in Tit. 9.

Non esse. Dio, LXVI, p. 754.

Conflagratio. De qua vide Plinii epistolas VI, 16 et 20, inter Testimonia Veterum supra relatas. Multa quoque habet Dio, LXVI, p. 755 et seq.

Herculanium et Pompeii. Dio, ibid. ait duas illas urbes, populo sedente in theatro, fuisse obrutas. At videtur eum fugisse, continuo terrae motu exterritum; ibi enim nulla reperta corpora. Has autem nostra aetate utraque urbs e suis ruinis emersit, certissimorum praestantissimorumque antiquitatum foecundissima, quarum partem multa cum laude totiusque literarii orbis plausu, sub regiis auspiciis, publicavere eruditi Academici Herculanenses.

Drusilla. Iosephus Antiq. Iud. XX, 7, n. 2. Felicis uxor fuit Drusilla, filius Agrippa. Vide Stemma Herodum in Excurs. ad Annal. XII, 23, n. 12 et 15.

C. Plinii. Qui Historiae naturalis libros scripsit, ut modo diximus ad annum 850.

Exanimatus est. De eius morte ad Tacitum scriptae sunt epistolae Plinii, VI, 16 et 20, quas vide inter Testimonia Veterum, ut iam monuimus.

Vulgatum. Dio, LXVI, p. 756.

rent et refoverent; bona oppressorum, quorum heredes non extabant, restitutioni afflictarum civitatum attributa.

A. V. C. 833, I. C. 80.

Tito Augusto VIII, Domitiano Caesare VII, consulibus. Nec sanguinis communione, nec societate honorum, nec principis indulgentia placabatur Domitiani animus, dominationis cupidine atrox. At is modo insidias fratri struere, modo sollicitare exercitus, fugam quoque meditari. Contra Titus, in dies clementior, nec saevire, nec succensere, ne in minore quidem honore fratrem habere, sed imperii consortem successoremque palam testari; secreto tantum lacrimis et precibus orare, *ut tandem mutuo erga se animo vellet esse.* Haec Titi clementia intra domum non stetit. Duos quoque patricii generis convictos in affectatione imperii nihil amplius, quam *ut desisterent*, monuit: *principatum fato dari; si quid praeterea desiderarent, se tributurum.* Confestim ad alterius matrem, quae procul aberat, cursores suos misit, qui anxiae salvum filium nuntiarent: mox ipsos familiari coenae adhibuit; et insequenti die, gladiatorum spectaculo, circa se ex industria collocatis, oblatos sibi mirmillonum gladios, quasi ad explorandam aciem, uni atque alteri commisit. Iis perculsis, constantiamque mirantibus, nefaria coniurationum consilia in obsequium cessere.

At quanto melior princeps, tanto gravioribus malis conflictabatur res romana. Eo enim profecto, ut Campaniam inviseret, saevissimum post Neronis flammas incendium per triduum totidemque noctes Romae exarsit. Praeter insulas domosque, aedes Serapidis et Isidis, Septa, Neptuni templum, thermae Agrippae, Pantheon, Diribitorium, theatrum Balbi, scena Pompeii, Octaviae opera et Bibliothecae, templum Iovis Capitolini, iunctaeque Iunonis et Minervae aedes, igni hausta. Tetrior adhuc incubuit lues. Tanta enim fuit vis pestilentiae, ut per multos dies in rationem Libitinae ferme dena millia funerum venirent. Titus, his malis haud victus, pietatem auxit; nec modo principis sollicitudinem, sed et parentis affectum unicum praestitit: eversas incendio fortunas suis sustentavit opibus; pu-

Refoverent. Sueton. in Tit. 8.

Attributa. Sueton. ibid.

Meditari. Sueton. in Tit. 9, in Domit. 2.

Vellet esse. Sueton. in Tit. 9. Vide et Aurelium Victorem, in Epitome.

Collocatis. Haec omnia, et totidem ferme verbis Suetonius, loc. cit.

Mirmillonum gladios. Aurel. Victor, loc. cit. Mirmillones autem gladiatores erant, vulgo dicti secutores, qui adversus retiarios pugnabant. Vide Iuvenalem, Sat. 8, v. 200.

Profecto. Dio, LXVI, p. 756.

Totidemque noctes. Sueton. in Tit. 8.

Serapidis et Isidis. Haec et seq. Dio, ibid. Inde autem patet ignem maxime saeviisse in nona Urbis regione. Ibi enim sita ferme omnia haec monumenta; ut videre est apud P. Victorem, de Regionibus Urbis.

Pestilentiae. Sueton. in Tit. 8; Aurel. Victor, in Epitome. Hanc quidem pestilentiam Eusebius in Chronic. eiusve librarii sub Vespasiani principatu retulere, sed perperam, ut constat ex Suetonio et Victore, Plinii quoque silentio, qui, quum horum temporum morbos diligenter annotaverit, tam atrocem luem non omisisset. De hac peste iam diximus in Excurs. ad Annal. XVI, 13.

blics reparavit Urbis damna; et ne prior magnificentia desideraretur, cuneta praetoriorum suorum ornamenta operibus et templis destinavit; praepositique complures ex equestri ordine, quo quaeque maturius peragerentur. Medendae autem valetudini, leniendisque morbis, quae ei eura magis anxia, nullam divinam humanamque opem non adhibuit, inquisito omni sacrificiorum remediorumque genere.

Inter haec temporum adversa exhorruit delatores mandatoresqos, intestinum malum, nec sub patris principatu, vigente Epriu Marcello, satia coërcitum, saevire ausos. Ut securitati publicae pruspiceret, eos acriter corripuit, assidueque in foro flagellis ac fustibus caesos, partim subiici in servos ac venire imperavit, partim in asperrima insularum avehi. Et ne rediret audacia, sed perpetuo coërceretur, vetuit, inter cetera, de eadem re pluribus legibus agi, quaerive de cuiusquam defunotorum statu ultra certos annos.

Sic parata imperii tranquillitate, ut praeteritorum malorum memoria aboleretur, amphitheatrum, duobus gradibus a Tito auctum, thermisque iuxta celeriter exstructis, dedicatum est. Ibi editum munus apparatissimum largissimumque; et uno die quinque millia omne genus ferarum confecta: mox immissa aqua, equi, tauri, ceteraque animalia, nova praebuere spectacula: deinde Corcyrensium Corinthiorumque classes pugnavere. Iterati postea ludi iu veteri naumachia. Praeter gladiatores, ferarumque caedes, et navale proelium, quo tria millia hominum certavere, exhibita obsidio; atque ut magnarum rerum memoria voluptas cresceret, Athenienses, Syracusanos aggressi, expugnatoque muro ad id structo, eos superavere. Ludorum pompa munificentia principis, o theatro dona spargentis, exhilarata. Inter haec hilaria faustaque imperii auspicia, XII idus decembris vota pro restitutione et dedicatione Capitoli nuncupata.

A. V. C. 834, I. C. 81.

L. Flavio Silvano Nonio Basso, Asinio Pollione Verrucoso consulibus,

Genere. Sueton. ibid.

Mandatoresque. Sueton. ibid. Mandatores dicebantur, qui aliis mandabant, ut delationes exercerent.

Eprio Marcello. Olim delationibus famoso, postea apud Vespasianum principem amicitia et auctoritate praecipua. Vide Dial. de Orat. 8.

Certos annos. Sueton. ibid. Quot annos Titus determinaverit non compertum. Postea Nerva quinquennium edicto statuit.

Amphitheatrum. Sueton. in Tit. 7. MS. Vindobon. ut iam dictum supra.

Spectacula. Dio, LXVI, p. 757.

Pugnavere. Dio, ibid. Repetitis e vetere historia ludorum argumentis, oculos animosque gratius detinebant.

Veteri naumachia. Sueton. in Tit. 7. Augustus naumachiam illam trans Tiberim struxerat, ut iam vidimus supra, Annal. XII, 56.

Athenienses. Dio, loc. cit.

Nuncupata. Ut constat ex egregio monumento Fratrum Arvalium, quod vide apud cl. Muratori, Thesaur. Inscript. Antiq. vol. I, p. 312. De eo plura eruditus Philippus a Turre, Monumenta Veteris Antii, c. 7, p. 95.

Nonio Basso. Huius consulis nomina docuit modo laudatum Fratrum Arvalium monumentum.

quidam Terentius Maximus, Asia oriundus, Neroni corporis habitu, citharae cantusque artibus non absimilis, se esse Neronem erat mentitus; concitaque popularium manu, ad Euphratem contenderat: ibi regis Parthorum, Tito infensi, studiis attollebatur. Irritum fuit mendacium, usoque novarum rerum tentamina, non Urbe tantum, sed et imperio in obsequio venerationeque principis, qui deinde et amor humani generis appellabatur, defixis. In hac pacis securitate, vota pro Titi salute nuncupabantur. At infausti amores populi romani. Et super Domitiani odium, valetudo principis assiduo balneorum usu labefactata ingravescebat. Seu suae, seu communis mortalitatis sensu, in spectaculorum fine, populo coram ubertim flevit: mox Sabinos petiit aliquanto tristior, ob laeva quae evenerant portenta; ad primam statim mansionem febri corripitur: quum inde lectica transferretur, suspexisse dicitur, dimotis plagulis, caelum, multum conquestus, *eripi sibi vitam immerenti; neque enim exstare ullum suum factum poenitendum, excepto dumtaxat uno*. Id quale fuerit, neque ipse tunc prodidit, neque cuiquam facile succurrit. Vanum autem scrutari, quod non licet adsequi. Ubi Titus in villa, qua pater obierat, decubuit, morbus invaluit. Domitianus, morarum impatiens, eum remedii specie, lavacro nive pleno mergi deserique iubet: mox ipse propere Romam petit, castra occupat, et promisso, quod frater dederat, donativo, imperator salutatur. Exstinctus est Titus idibus septembris, altero et quadragesimo aetatis anno, eamdem brevi imperio, quam Augustus longiore, claritatem adsecutus. Utrique mortis opportunitatem obtigisse multi memorabant, quod ille brevitate vitae ventura vitia effugisset, hic iuventutis mala senectute emendasset. Ingens fuit in Urbe Titi desiderium, ut in domestico luctu cunctis publice moerentibus. Praecipuus dolor senatus, qui amantissimum ordinis sui principem amittebat.

Domitianus defunctum Titum nullo praeterquam consecrationis honore dignatus est; ausus et in senatu iactare *et patri se et fratri imperium dedisse, illos sibi reddidisse*. Haud illaeta tamen fuere principatus initia, principe adversus cupiditatem et avaritiam satis firmo. Senatus, novi imperii facilitate utendum ratus, postulavit *ne senatorem princeps*

Terentius Maximus. Zonarae, vol. I, p. 578.

Humani generis. Aurel. Victor, in Epitome.

Balneorum usu Plutarchus, de Valetudine tuenda, vol. II, p. 125.

Ubertim flevit. Sueton. in Tit. 10.

Succurrit. Suetonius, loc. cit. Vide et Dionem, LXVI, p. 758.

Mergi. Dio, LXVI, p. 757.

Deserique. Sueton. in Domit. 2.

Donativo. Dio, loc. cit. Donativa illa a Tito et Domitiano data ad exemplum Claudii et Neronis largitionum, de quibus diximus supra, Annal. XII, 69 et in Suppl. Annal. IX, 12.

Aetatis anno. Sueton. in Tit. 11.

Memorabant. Dio, LXVI, p. 754.

Dignatus est. Sueton. in Domit. 2.

Reddidisse. Sueton. in Domit. 13.

Avaritiam. Sueton. in Domit. 9.

puniret, sed reos senatus iudiciis permitteret. Renuit Domitianus, seu iras iam recondebat, seu fratris clementiam exosus. Manebat enim odium etiam post fata; Titumque assidue vel obliquis orationibus vel edictis carpebat: immo vetuit natalem eius diem celebrari.

A. V. C. 835, I. C. 82.

Domitiano Augusto VIII, T. Flavio Sabino, consulibus. Princeps, ut patre fratreque videatur melior, omnes reipublicae partes emendare aggreditur. A se orsus, ne ulla haereat cupiditatis suspicio, relictas sibi hereditates ab iis, quibus liberi erant, non recipit; omnes circa se largissima liberalitate prosequitur, nihil prius aut acrius monitos, quam *ne quid sordide facerent.* Inde in foro assiduus, pro tribunali ius dicit; et extra ordinem ambitiosas centumvirorum sententias rescindit: magistratus urbicos et provinciarum praetores ita coërcet, ut neque modestiores unquam, neque iustiores exstiterint. Fiscales calumniae magna calumniantium poena repressae; egregiaque vox principis audita; *Princeps qui delatores non castigat, irritat.* Ut licentiam infringat, probrosis feminis usum lecticae, iusque capiendi legata atque hereditates adimit. Infensus quoque ingeniorum audaciae, famosa scripta, vulgoque edita, quibus primores viri ac feminae notabantur, abolet non sine auctorum ignominia. Simul priorum principum magnificentiam aemulabatur. Templa monumentaque, quae incendium nuper hauserat, refecta. Ne omissa quidem incensarum bibliothecarum cura: ut repararentur, exemplaria undique petita; missique Alexandriam, qui describerent, emendarentque. Capitolium autem tantis opibus restitutum, ut in aurea eius opera duodecim millia talentorum impensa. Prope Capitolium, Iovi Custodi exstructum templum ingens. Palatio quoque addita Domitiani domus, quae inter tanta opera praefulgeret. At resurgentem Caii Neronisque prodigentiam mirantibus inerat metus, ne rediret quoque saevitia. In eam enim praeceps erat Domitianus; caesique Aelius Lamia et Flavius Sabinus.

Permitteret. Dio, LXVII, p. 759.

Orationibus vel edictis. Sueton. in Domit. 2.

Natalem eius diem. Dio, loc. cit. Honos postea restitutus, ut constat ex veteribus kalendariis ad diem 30 Decembris, III kal. Ianuar. N. DIVI TITI CMXXIIII; id est: *Natalis divi Titi, Circenses missus viginti quatuor.*

Non recipit. Haec et seq. Sueton. in Domit. 8.

Irritat. Sueton. in Domit. 9. Quod quoque edicto declaratum ait Dio, LXVII, p. 759.

Nuper hauserat. Ut dictum est anno superiore. Ob Urbem restitutam et ornatam Domitianus laudatur a Martiale, Epigramm. V, 7.

Emendarentque. Sueton. in Domit. 20.

Duodecim millia talentorum. Plutarch. in Poplicola p. 105. Duodecim millia talentorum sunt gallicae monetae lib. 65,352,500. Vide quae hac de re iam observavimus supra in Excurs. ad Hist. IV, 53.

Iovi Custodi. Vide supra Hist. III, 74.

Praefulgeret. Domitianum omnia aurea gemmeave ibi voluisse docet oculatus testis Plutarchus, loc. cit.

Aelius Lamia. Vir consularis, cuius uxorem Domitianus iam abduxerat. Sueton. in Domit. 10.

Flavius Sabinus. Maritus Iuliae Augustae, et Domitiani patruelis. Vide Stemma Flaviorum, n. 8, in Excurs. ad Hist. I, 46.

A. V. C. 836, I. C. 83.

Domitiano Augusto IX, Q. Petilio Rufo II, consulibus, Domitia, uxor principis, Augustaque recens consalutata, Paridis histrionis amore foedabatur. De eius caede consultatum. Urso vitam deprecante, repudiata est. Paris, in via Flaminia caesus, adulterii poenas luit. Multi, qui ob scenicarum artium memoriam eius tumulum floribus condecorabant, interfecti. Tum princeps in amorem Iuliae, divi Titi filiae, prorupit. At intra breve tempus, impatiens discidii, Domitiam, quasi efflagitante populo, reduxit. Haud fracta tamen Iuliae potentia ac libido. Super has cupidines, et aedificiorum impensas, quibus vix par fuisset imperium, in immane creverant spectaculorum sumptus. Iis brevi exhaustae opes; et principis libidines inopia accensae. Sic coepit tristissimum illud seculum, quo, resolutis reipublicae vinculis, turbata omnia et in contrarium versa. Curia trepida fuit et elinguis. In castris nulla ducibus auctoritas, nulla militibus verecundia. Inter haec immotus Agricola grande dedit constantiae exemplum. Hactenus Britannia belli pacisque artibus obtenta, cunctisque gentibus cis Bodotriam compositis, Hiberniae imminens, eam facili certaeque victoriae destinabat. At propius graviusque discrimen ingruebat ab amplis civitatibus trans Bodotriam sitis. Agricola hac aestate eas exercitu classeque aggressus, simul terra, simul mari bellum impulit, ut latius faceret terrorem, et subitis occurreret. Populi Caledoniam incolentes, aperiri suos recessus indignati, paratu magno arma cepere. Agricola, ne superante numero et peritia locorum circumiretur, diviso in tres partes exercitu, incessit. Hostis, occasione usus, nonam legionem, ut maxime invalidam, nocte aggressus, inter somnum ac trepidationem irrupit. Quod ubi Agricolae compertum, opem tulit, et Britannos ita terruit, ut nisi paludes et sylvae fugientes texissent, debellatum illa victoria foret. Successu ferox exercitus penetrandam Caledoniam fremebat. Dux cautior restitit, ut certam et incruentam victoriam pararet. Eadem aestate cohors Usipiorum, per Germanias conscripta, et in Britanniam transmissa, conscensis tribus liburnicis, aufugit. Hac illac rapti, et ad id inopiae adacti, ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos vescerentur, Britanniam circumvecti sunt. At amissis per inscitiam regendi navibus, a Suevis Frisisque intercepti ac venumdati, indicio tanti casus inclaruere.

Consalutata. Sueton in Domit. 3.

Consultatum. Dio, LXVII, p. 759.

Interfecti. Dio, ibid. Post mortem Domitiani, ut videtur, Paridis epitaphium edidit Martialis, Epigramm. XI, 14. De hoc histrione plura vide apud Iuvenalem satyr. VII, 87 et seq.

Iuliae. Dio, loc. cit. Iulia Augusta, Titi filia, uxor Flavii Sabini. Vide Stem. Flaviorum, n. 9, in Excurs. ad Hist. I, 46.

Reduxit. Sueton. in Domit. 3.

Haud fracta. Dio, ibid.

Militibus verecundia. Haec queritur Plinius, Epist. VIII, 14, horum temporum testis.

Agricola. Res Agricolae iam illustravimus supra, Vit. Agric. 22 et seq.

Cohors Usipiorum. Tacit. Vit. Agric. 28.

A. V. C. 837, I. C. 84.

Domitiano Augusto X, et T. Aurelio Sabino, consulibus, quaesita belli materia, ut princeps triumphalia civilis belli iudaicaeque victoriae, quae dudum aemulabatur, decora praemineret. Petita Germania; at no na magno paratu ingrueret, Domitianus profectionem suam censu obtexuit Galliarum. Tum inopinato bello affusus, Cattos terruit. Mox, na viso quidem hoste, emptis tantum per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur, Romam repetit, praeeunte fama Germaniam captam. Ut falsa fuit victoria, ita in Urbe maior adulatio. Super solitos honores, principi consulatus in decennium a senatu decretus, perpetuaque potestas censoria data: additum ut, quoties in senatum veniret, quatuor et viginti lictoribus vesteque triumphali uteretur. Dum princeps Urbsque fortunae illudebant, Agricola summa de re in Britannia decertabat. Is ubi ad montem Grampium pervenit, adstitere hostes, superioris anni clade non fracti, et, sociatis omnium civitatum viribus, validiores. Calgacus, virtute et genere praestans, eus adlocutus, spe libertatis, servitutis metu, maiorum memoria, posterorum cura inflammat. Suum quoque militem Agricola rerum ante gestarum gloria victoriaeque necessitate accendit. Post statim ad arma discursum: ambigua diu pugna; quum tandem, immissis equitum alis, quas Agricola ad subita belli retinuerat, Britanni in fugam versi, et ab insequentibus trucidati. Caesa hostium ad decem millia. Romanorum treceuti quadraginta cecidere, in queis Aulus Atticus, praefectus cohortis, iuvenili ardore et ferocia equi hostibus illatus. Exacta iam aestate, quum spargi bellum nequiret, Agricola in fines Horestorum exercitum deduxit. Ibi acceptis obsidibus, praefecto classis circumvehi Britanniam praecepit; et in extremum hunc terrae famaeque recessum est inquisitum.

A. V. C. 838, I. C. 85.

Domitiano Augusto XI, T. Aurelio Fulvo, consulibus. Princeps, in Urbem redux, triumphum egit; et ut praemiis fidem virtutis militaris fa-

T. Aurelio Sabino. Ita vetus lapis apud Theodorum ab Almelowen, in praefat. ad Fastos, n. 14.

Galliarum. Frontin. Stratagem. I, 1, n. 8.

Cattos terruit. Sueton. in Domit. 6; vide et Statium, I Sylvarum, I, 27.

Hoste. Dio, LXVII, p. 760.

Formarentur. Tacit. Vit. Agric. 39.

Germaniam captam. Inde in nummis Domitiani, ex aere magno, IMP. CAES. DOMITIAN. AVG. GERM. COS. X. capite laureato. In aversa parte, GERMANIA CAPTA. Stat imperator post trophaeum, cum clypeo; retro captivus sedet.

Decretus. Dio, LXVII, p. 760.

Perpetuaque. Dio, ibid. Testes quoque nummi quamplurimi inscripti, CENS. POT. vel CENS. PER., id est, *censoria potestate*, vel *censor perpetuus.*

Pervenit. Haec pluribus Tacit. Vit. Agric. 29 et seq.

T. Aurelio Fulvo. T. Aurelius Fulvus fuit paternus avus Antonini Pii, qui postea imperavit. Vide Iulium Capitolinum, in Antonino Pio, c. 1.

Redux. Adventum Domitiani eiusque triumphum testantur nummi hoc anno cusi,

ceret, quartum addidit stipendium militi, aureos ternos. Haec alii solita adulatione attollebant; plures irridebant: pari utrimque discrimine, quum Domitianus conscientia mendacii laudes non ferret, et insita vanitate contumelias odisset. Omnibus pariter infensus, secretoque palatii, aut in Albano suo conditus, atroces iras meditatur. Inde in deterius ruente principatu, delatores, hactenus repressi, licentius irrupere. Ursus, talia principis dedecora haud aequo animo ferens, in discrimen adductus; at quam ipse Domitiae, hanc illi salutem attulit Iulia.

Invidum autem principis animum acrius ussere literae ab Agricola missae, quibus res in Britannia gestae nuntiabantur. Recurrebat enim falsi triumphi pudor. Suberat et indignatio, veram et magnam victoriam, tot millibus hostium caesis, ingenti fama celebrari. Formidolosum videbatur privati hominis nomen supra principis attolli, militaremque gloriam occupari. Odium tamen reposuit, donec impetus famae et favor exercitus languesceret. Nam etiam tum Agricola Britanniam obtinebat. Igitur triumphalia ornamenta, et illustris statuae honorem, et quidquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata, decerni in senatu iubet; additque insuper opinionem: Syriam provinciam Agricolae destinari, vacuam tum morte Atilii Rufi consularis, et maioribus reservatam. Agricola, tradita successori suo quieta tutaque provincia, Romam revertit. At ne notabilis celebritate et frequentia occurrentium introitus esset, vitato amicorum officio, noctu in Urbem, noctu in palatium, ita ut praeceptum erat, venit: exceptusque brevi osculo et nullo sermone, turbae servientium immixtus. Impendebat et ruina, ni militare nomen aliis virtutibus temperasset; modestiaque parta securitas.

Interim intestinis bellis fervebat Germania. Catti, triumphati, non victi, Cheruscos, gentem Romanis fidam, erant aggressi; pulsusque regno Chariomerus, Cheruscorum rex. Is quidem, sociis in auxilium excitis, regnum recuperavit; at mox desertus, obsides Romam misit, qui opem orarent. Data tantum pecunia; Cheruscique, longa pace imbelles, a Cattis attriti sunt. Tracti ruina Cheruscorum Fosi, conterminina gens. Suevis

quum Domitianus esset COS. XI, seu *consul undecimum*, in queis inscriptum, ADVENT. AVGVSTI, vel GERMANIA CAPTA. Alii quoque nummi exhibent Domitianum in quadrigis triumphantem.

Aureos ternos. Sueton. in Domit. 7. Ante Domitianum dabantur militibus noveni aurei, gall. mon. 189 lib. Domitianus addidit quartum stipendium, datique sunt duodeni aurei, gall. mon. 252 lib. Vide et Zonaram, vol. I, p. 580. De stipendio militari iam dictum supra, Annal. I, 17.

Discrimine. Dio, LXVII, p. 760.

Albano suo. Ibi fuit Domitiani villa, ut iam vidimus supra, Vit. Agric. 45.

Adductus. Dio, LXVII, p. 760.

Iulia. Dio, ibid. Iulia, Titi filia, de qua iam dictum ad a. U. c. 836.

Nuntiabantur. De his plura Tacitus in Vit. Agric. 39 et seq.

Chariomerus. Dio, LXVII, p. 760.

Attriti sunt. Tacit. de Mor. Germ. 36.

Fosi. Tacit. ibid.

Suevis. Dio, LXVII, p. 761 Suevi autem non ii sunt, qui interiorem Germaniam ha-

autem, quod a Lygiis vexarentur, auxilium petentibus, missi centum equites, onus potius, quam vires adversus hostem. Unde irrati Suevi cum Iazygibus adversus pacem romanam, traiecto Danubio, consilia iniere. Masyus quoque, Semnonum rex, et Ganna, post Veledam magnae apud eos auctoritatis femina, quum Romam venissent, honorifice excepti, in patriam remissi sunt. Sic quae olim, dum vigebant artes romanae, ad debellandam suisque armis vincendam Germaniam fuissent quaesita, ultro oblata tum spernebantur cum pari reipublicae probro ac detrimento.

A. v. c. 839, I. c. 86.

Domitiano Augusto XII, Ser. Cornelio Dolabella, consulibus, licet Urbs sua luxuria iam fatisceret, excogitata nova ludorum nomina ad Graecorum exemplum. Igitur exstructis odeo stadioque, institutum quinquennale certamen, Capitolino Iovi triplex, musicum, equestre et gymnicum. Ibi non poësi tantum, certatum etiam et prosa oratione graece latineque. Laudes Iovis Capitolini, perpetua materia. In stadio cucurrere et virgines. Super haec ludicra, quotannis celebrabantur in Albano quinquatria Minervae, cui princeps collegium instituerat; ex quo sorte ducti magisterio fungerentur, redderentque eximias venationes et scenicos ludos. Ibi quoque oratorum ac poëtarum certamina. Interim malum, reipublicae exitiale, in exercitibus gliscere coeperat. Sordebat nempe vetus disciplina, orbis terrarum victrix: ducumque cura in leviores agilioresque artes conversa, studium armorum, a manibus ad oculos, ad voluptatem a labore transferebatur: nec exercitationibus veteranorum aliquis, cui decus murale aut civica corona, sed graeculus magister assistebat. Aderat et pessimum exemplum, mollitia principis adeo fracti et enervis, ut si navigaret, nec pulsum, nec fragorem remorum ferret, sed ad singulos ictus formidine horresceret. Unde repertum, ut procul ab omni sono inconcussus et immotus, religato revinctoque navigio, non secus ac piaculum aliquod, traheretur. Cetera ad hanc luxus speciem corrupta et imbellia; nec ulla iam

bitabant, sed ii quos Drusus inter flumina Merum et Casum locaverat; ut iam vidimus supra Annal. II, 63, et XII, 29.

Masyus. Dio, ibid.

Odeo. Sueton. in Domit. 5. Odeum aedificium fuit ad musicos concentus musicasque certamina edenda exstructum.

Quinquennale certamen. Sueton. in Domit. 4; Censorin. de Die natali, c. 18.

Poësi. Statius, III Sylvarum, V, 31, et V Sylvarum, III, 231.

Prosa oratione. Sueton, loc. cit.

Perpetua materia. Quintilianus, Institut. Orat. III, 7.

Quinquatria Minervae. Sueton. ibid. De quinquatribus iam diximus supra Ann. XIV, 4.

Poëtarum. Ter in iis certaminibus coronatus est Statius, ut ipse testatur, III Sylvarum, V, 28.

A manibus ad oculos. Plinius in Panegyric. 13, horum quoque temporum testis.

Traheretur. Plinius in Panegyric. 82.

reipublicae cura; sed si qua forte consilia, de libidine gulaque inita. Anxia tantum principis sollicitudo, ne ulla emineret virtus. Multae tamen hostium minae. Invalido Agricolae successore, animos resumpserant Britanni; iamque celebrabatur rex Arviragus. Plus adhuc terroris inferebant Daci, quorum amicitiam priores principes pecunia foverant. Ubi exhaustum a Domitiano aerarium liberalitati non suffecit, hostilia ingruere; duceque Diurpaneo, quem Decebalum appellabant, coeptum atrox bellum. Inter haec romani nominis opprobria, tertiodecimo kalendas Octobres natus est Antoninus Pius, cui studia virtutis et publica felicitas, quam imperio potitus est, immortale decus peperere.

A. V. C. 840, I. C. 87.

Domitiano Augusto XIII, Aulo Volusio Saturnino, consulibus. Hactenus princeps se super patris fratrisque laudes extulerat, graecamve vanitatem erat aemulatus: nunc ad Orientis libidines superbiamque divertit; et infra se humanos honores ratus, divinos usurpavit. Talis arrogantiae initium fecit, quum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, iis verbis: *Dominus Deusque noster sic fieri iubet.* Quod statim ita pervulgatum, ut ne scripto quidem ac sermone cuiusquam aliter appellaretur. Tum ad id superbiae compositus est principatus: statuasque sibi

Gulaque. Huc pertinet concilium de rhombo Albano in villa habitum, centumque et amplius versibus graphice descriptum a Iuvenale, Satyr. IV, 37:

Quum iam semianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus. . . . . .

Totus hic locus omnino legendus, ut homines moresque huius temporis noscantur. Vide et Plinium in Panegyric. 54.

Successore. Sallustio Lucullo, quem Domitianus *postea interfecit, quod lanceas novae formae appellari Lucelleas passus esset:* Sueton. in Domit. 10.

Arviragus. Cuius ruinam Fabricius Veiento, quum de rhombo actum est, vaticinabatur; teste Iuvenale, Satyr. IV, 125:

. . . . . De temone Britanno
Excidet Arviragus. . . . . .

Daci. Dacia, nunc *Transylvania, Wallachia et Moldavia.* Bellum hoc a Tacito fuisse diligentissime conscriptum testatur Orosius, VII, 10. Vide Testimonia Veterum.

Ingruere. Iornandes, de Rebus Geticis, c. 13.

Diurpaneo. Duras, Dacorum rex, regnum Diurpaneo sponte reliquerat, teste Dione, LXVII, p. 761, qui bellicas virtutes Diurpanei valde commendat.

Decebalum. Decebalus videtur fuisse commune regibus Dacorum nomen.

Antoninus Pius. Iul. Capitolin. in Antonino, c. 1.

Usurpavit. Euseb. in Chronic.

Formalem dictaret epistolam. Haec et seq. Suetonius in Domit. 13. Formalis autem dicitur Epistola, quam ad formam caeterarum epistolarum deinde observare debebant procuratores.

in Capitolio non nisi aureas et argenteas poni permisit, ac ponderis certi Ianos arcusque cum quadrigis et insignibus triumphorum passim per regiones Urbis exstruxit. Inde in omnium fortunas eo licentius irruit, quod operum ac munerum impensis, auctoque stipendio exhaustus, et ad relevandos castrenses sumptus iureconsulta amputatis militum numeris, obnoxium se barbaris animadverteret. In praedam cessere bona vivorum ac mortuorum: usquequaque, quolibet et accusatore et crimine, corripiebantur. Satis erat obiici qualecumque factum dictumque adversum maiestatem principis. Nulla testamenta secura, nullus status certus; si vel unus profiteretur, audisse se ex defuncto, quum viveret, heredem sibi Caesarem esse, alienissimae confiscabantur hereditates. Acerbius adhuc agebatur fiscus Iudaicus; deferebaturque quicumque, vel improfessus, iudaicam intra urbem viveret vitam, vel dissimulata origine, imposita genti tributa non pependisset. Nec abstinebatur contumeliis, ut inspiceretur an quis esset circumsectus. His quidem atrocitatibus crevere opes principis. At militi non redierat virtus. Ambiguum semper, sot funestum cum Dacis bellum: invalido adversus hostium ferociam, ducisque artes, Oppio Sabino, qui tum Moesiam regebat. Ni fors favisset, certa quoque Flacci, Numidiae praetoris, ruina. Nasamones, quod tributis attererentur, arma ceperant, quaestoresque interfeceraut. Deiu Flaccum aggressi, coque superato, castris potiti, forte ibi praeter cibaria vini copiam repperere, qua ingurgitati ac temulenti, a Flacco internecione deleti sunt. Fortuitam victoriam suas in laudes Domitianus traxit, gloriatus in senatu *se Nasamonibus vita interdixisse.*

A. V. C. 841, I. C. 88.

Domitiano Augusto XIV, L. Minucio Rufo, consulibus. Opes principis, privatarum fortunarum subversionibus reparatae, in spectacula statim sunt impensae: quibus ut plus celebritatis foret, editi seculares ludi; computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, sed quo olim

Ponderis certi. Sueton. ibid. Illas autem statuas fuisse centeno pondere satis declarat Statius, V Sylvarum, I, 188.

Ianos. Sueton. ibid. Iani erant fornicata opera, arcuum specie, sed ampliora.

Castrenses sumptus. Sueton. in Domit. 12.

Maiestatem principis. Haec omnia Suetonius, ibid.

Status certus. Plin. in Panegyric. 34.

Fiscus Iudaicus. Sueton. loc. cit. Praeter censum, Iudaei, captis Hierosolymis, iussi fuerant binos denarios solvere; ut iam diximus supra in Append. ad Hist. V, 45.

Improfessus. Qui apud fiscum non erat professus se esse Iudaeum.

Oppio Sabino. Sueton. in Domit. cap. 6. Iornandes, de Rebus Geticis, cap. 13, eum appellat Poppaeum Sabinum, Agrippae successorem.

Nasamones. Libyae populi in ora Syrtis Maioris.

Interdixisse. Haec omnia de Nasamonibus Zonaras, vol. I, p. 580.

Seculares ludi. Censorin. de Die natali, c. 17.

Augustus eos ediderat. Immo et anticipatum tempus, ne lentior veniret voluptas. Urbe gaudio vaga, auditum est hominem incertae conditionis in Oriente videri, qui se Neronem esse iactaret, cumque gratia opibusque Parthorum uti. Seu imminuta romani nominis auctoritate, seu infestiore Parthorum animo, et praevalida vetere in Neronem benevolentia, mendacium, alias iam vulgatum, aegre compressum. At is tandem redditus est; et sublata turbarum materia. Tristiores e Danubii ripa venere nuntii. Diurpaneus, caesis legionibus, Oppium Sabinum, consularem, oppresserat; eiusque caput foede abscissum apud barbaros ostentui habebatur. Penetrata inde provincia, Diurpaneus castella urbesque expugnabat, cunctaque praedabundus late populabatur. Nec iam de limite imperii et ripa, sed de hibernis legionum et possessione dubitatum.

A. U. C. 842, I. C. 89.

T. Aurelio Fulvo II, A. Sempronio Atratino, consulibus. Post tantas exercituum clades, dux ultorque sanguinis romani ore vulgi poscebatur, Agricola. Restitit princeps, infensus virtutibus, et gloria viri deterritus. Ipse cum immenso paratu adversus Dacos proficiscitur, bellum, ut rebatur, suis auspiciis reparaturus. Diurpaneus, tantam armorum vim metuens, legatos misit, qui de pace agerent. Eius prudentia Domitiani vanitatem inflavit. Is, spretis legatis, ne dato quidem responso, Cornelium Fuscum, praetoriarum cohortium praefectum, bello praeponit. Ubi Diurpaneo id fuit compertum, ducem Urbis deliciis quam belli artibus meliorem irrisit, rursusque misit legatos, qui pacem offerrent, dum Romani, harum terrarum incolae, singulis annis binos obolos solverent: secus exterminium minitabatur. Domitianus, ut vanus, sic periculi timidus, in Moesia restitit. Fuscus, iunctis navibus in modum pontis, Danubium transmisit cum lectissimis militibus; hostemque aggressus, sed post cruenta proelia oppressus, temeritatis poenas luit. Tum cura belli Iuliano commissa, qui rem romanam restituit. Interim Domitianus in Pannoniam venerat; Quadisque et Marcomannis infensus, quod opem adversus Dacos non tulissent, intulerat bellum. Iis pacem orantibus, despecti legati: alii, quum

Ediderat. Sueton. in Domit. 4. Quintos seculares ludos ediderat Augustus a. U. c. 737, sextos Claudius a. U. c. 800. Vide iam dicta supra Annal. XI, 11.

Anticipatum tempus. Ludi seculares fiebant anno centesimo decimo. Ni Domitianus anticipasset tempus, facti tantum fuissent a. U. c. 847.

Incertae conditionis. Sueton. in Ner. 57.

Iam vulgatum. Vide Hist. II, 8, et supra ad a. U. c. 834.

Foede abscissum. Iornandes, de Rebus Geticis, c. 13.

Agricola. Tacit. Vit. Agric. 41.

Legatos misit. Petr. Patricius, de Legationibus, p. 23.

Urbis deliciis. Vetus scholiastes Iuvenalis, Satyr. IV, 112.

Binos obolos. Gall. mon. asses ferme sex. Patricius, loc. cit.

In Moesia restitit. Dio, LXVII, p. 761.

Iuliano commissa. Dio LXVII, p. 764.

preces iterassent, caesi. Germani, hac atrocitate in furorem versi, bellum suscipiunt; victusque et in fugam coniectus Domitianus. Res felicius cessit in Dacia. Iulianus, arte usus ut Romanorum animos pudore erigeret, iusserat milites sua et centurionum nomina scutis inscribere. Tum, quum certa esset virtus, nec occulta ignavia, hostes aggressus est, gravique clade eos perculit. Vezinas, post Diurpaneum auctoritate apud Dacos praecipuus, simulata morte, deinde, fuga, salutem quaerere coactus. In ipsius regiae expugnationem ibatur, ni Diurpaneus hostem, quem vi repellere non poterat, astu elusisset. Caesis enim arboribus, truncos armis induit, numerosique exercitus fecit speciem, qua deceptus Iulianus recessit. Manebat tamen prioris victoriae fama. Ea usus est Domitianus, ut se suo dedecore exsolveret, pacisque conditiones et opes obtulit, quas Diurpaneus ultro accepit, diuturni belli laboribus fessus, et clade a Iuliano illata anxius. Colloquium tamen cum principe renuit; sed fratrem suum Diegin misit, qui capta arma, paucosque captivos, quasi hi soli manerent, traderet. Tum Domitianus, ut victor, regnumque daturus, Diegin diademate evinxit. Superbas inde literas, victoriarum nuntias, amplaque spoliorum fercula, una cum epistola Diurpanei, vera incertum an ficta, eiusque legatos Romam mittit; quo mox ipse, aucto milite honoribus et donativo, revertitur; provinciis, quam hostibus gravior.

A. V. C. 843, I. C. 90.

Domitiano Augusto XV, M. Cocceio Nerva II, consulibus. Vulgato sub hoc principatu more, quo clades, ut quondam victoriae, celebrabantur; princeps de Dacis Germanisque triumphavit: nec unquam magis sollicita adulatio, ut triumphales eius statuae non Urbem tantum, sed et imperium opplerent. Acriora tamen Romae studia, instinctore principe, qui militiae probra spectaculorum magnificentia velabat. Omne genus ludorum editum. In naumachia, iuxta Tiberim effossa et circumstructa, pene iustae classes pugnavere; at misera fuit et spectantium et pugnantium sors: hi enim ad omnium usque necem certavere; illorum multi exstincti sunt, quod princeps adeo fuit pervicax, ut, coorta tempestate, inter maximos imbres, prospectaverit, vestes quidem identidem commutans; neminem vero egredi, aut vestimenta mutare siverit. Ut in hac ludorum satietate irritaretur voluptas, naturae portentis placuit ludere; visaque pumilionum et mulierum certamina. Haec ludicra excepit convivalis laetitia, luctu mixta. Novo quidem luxu, et miraculo noctis die splendidioris, datum plebi epulum. Contra principis coena tenebrarum obscuro funereisque caeri-

In fugam. Dio, LXVII, p. 761.

Simulata morte. Ut posset fuga evadere. Dio, LXVII, p. 764.

Evinxit. Dio, LXVII, p. 762.

Gravior. Plin. in Panegyric. 17, et 20.

Editum. Dio, LXVII, p. 762. Sueton. in Domit. 4 et 5.

Pumilionum et mulierum. Haec certamina celebrat Statius, I Sylvarum, VI, 57 et seq.

monüs horruit. Paratae erant aedes nigrore loridae: atra ibi laquearia, parietes, pavimentum; atra quoque, et in solo nuda, sedilia. Primores senatus equestrisque ordinis sine comitibus huc intrare sedereque iussi; sepulcralisque columna, convivae nomine inscripta, cuique adposita, cum exiguo lychnucho, qualis in monumentis suspenditur. Tum, umbrarum instar, erupere elegantes pueri, nudi et atramento tincti, qui quum horride circum convivas tripudiassent, ante cuiusque pedes adstitere. Mox allatae feralis convivii lances; ministratumque quidquid in funeribus edule et atrum. Loci horror, pavor imminentis fati omnes attonuerat: Alto silentio defixis terrorem intendebat princeps, mortes, caedes, ceteraque funebria memorans. Nec coenae finis metus laxamentum tulit: at servis, qui in aedium vestibulis constiterant, iussis discedere, alii et ignoti praesto foere, qui convivas partim vehiculis, partim lecticis imponunt; cunctis rigescentibus, seque ad mortem rapi reputantibus. Ut tamen quisque sua in domo repositi, fortitudinem inter et spem ancipites respirare coeperant, quum nuntiatur singulis quosdam ab Augusto venire; gravior redit pavor, statimque subit admiratio, quum columnae argenteae, lances pretii laborisque exquisitissimi in coena adpositae, aliaque id luxus dona afferrentur: singulis quoque datus puer, qui inferna imagine luserat, tum lotus comptusque. Sic nocte absumpta, coepit principis liberalitas celebrari. At quae ipse triumphalia victoriarum decora iactitabat, vulgus ferales epulas eorum qui in Dacia occubuerant, vel in Urbe mactabantur, verius appellavit. Ausus tamen est Septembrem mensem et Octobrem ex appellationibus suis *Germanicum Domitianumque* transnominare; quod altero suscepisset imperium, altero natus esset. Mansere vocabula, dum saevire potuit: periere, ubi desiit timeri. Interim Civica Cerealis, Asiae proconsul, res novas erat molitus. In ipso proconsulatu occisus est. Asia, in rebellionem ebrietate acta, excidere vineas iussa. Aderat annus, quo Agricola proconsulatum Asiae et Africae sortiretur: artes invidiamque Domitiani veritus, ne in provinciam iret se excusavit, annuentique principi gratias egit. Salarium tamen, proconsuli solitum offerri, Agricolae non dedit Domitianus, sive offensus non petitum, sive ex conscientia, ne quod vetuerat videretur emisse.

A. V. C. 844, I. C. 91.

M. Ulpio Traiano, M. Acilio Glabrione, consulibus, vulgata prodigia, quae Glabrioni exitium, Traiano imperium portenderent. Certe Traiani virtus, in castris iam probata, Urbis splendore inclarescebat; factumque

Horruit. Hanc coenam describit Dio, LXVII, p. 763.

Appellavit. Dio, loc. cit.

Transnominare. Sueton. in Domit. 13.

Occisus est. Tacit. Vit. Agric. 42; Sueton in Domit. 10.

Vineas iussa. Philostrat. Vit. Apoll. VI 42.

Emisse. Tacit. Vit. Agric. 42.

Portenderent. Dio, LXVII, p 765.

calamitate temporum, ut multi eius fortunam augurarentur simul et precarentur. Favorem augebat princeps in dies atrocior. Iuliam, incesto pollutam, quod supra memoravimus, dum cogit conceptum a se abigere, occiderat; moxque divinis honoribus extulerat. Super hanc libidinem, aliis mersus, tanto erat invisior, quod se acerrimum violatae pudicitiae vindicem ferebat. Vespasianus quidem Titusque vestalium incesta neglexerant: haec Domitianus, aemulatu magis quam sanctitatis studio, coërcuit. Iam sub ipsa principatu initia, Ocellatas sorores Varonillamque corripuerat: iis tamen permissum liberum mortis arbitrium; earumque corruptores relegati. Nunc vero quasi indulgentiae poeniteret, ratusque seculum suum illustrari, si vestalem vivam defoderet, Corneliam, vestalium maximam, olim absolutam, longo intervallo repetit; iureque pontificis maximi, reliquos pontifices non in regiam, sed in Albanam villam convocat. Cornelia, absens inauditaque, incesti damnatur. Missi statim pontifices, qui defodiendam necandamque curarent. Eius stupratores virgis in comitio ad necem caesi: quos inter Celer, eques romanus, supplicio subditus, se insontem professus est. Valerius Licinianus, praetorius vir, reusque quod in agris suis occultasset Corneliae libertam, ad confessionem confugit. Princeps, se absolvi laetus, exsilium molle, velut praemium, ipsi dedit.

A. V. C. 845, I. C. 92.

Domitiano Augusto XVI, Q. Volusio Saturnino, consulibus. Gliscentia iam ob saevitiam odia Domitianus adhuc provocabat contumeliis, quibus nihil unquam fuit principibus exitiosius. L. Antonius, Germaniae Superioris praeses, iis accensus bellum civile movit. Ipsi aderant legionum vis et opes: consilia quoque cum Germanis inierat. Grave inde exarserat bellum, ni L. Maximi vigilantia forsque reipublicae praesto fuissent. At mira felicitate, ipsa dimicationis hora resolutus repente Rhenus transituras ad Antonium barbarorum copias inhibuit; victusque Antonius. Ubi Romam venere rebellionis nuntii, Domitianus, quum de retinenda dominatione ageretur impiger, legiones excivit; Traianum qui in Hispania tunc agebat, Lucianum Proculum aliosque evocavit, statim ipse ad bellum profectus. In itinere superveuere victoriae nuntii; eaque quodam famae miraculo, prius praesagiis, quam nuntiis, Romae innotuit. Ipso enim, quo dimicatum est, die, statuam principis insignis aquila circumplexa pennis clan-

Et precarentur. Quos inter fuit Agricola, teste Tacito, Vit. Agric. 44.

Abigere. Sueton. in Domit. 22. Vide et Iuvenalem Satyr. II, v. 32.

Extulerat. Ut constat ex nummis hoc aut superiore anno cusis.

Neglexerant. Sueton. in Domit. 8.

Corripuerat. Euseb. in Chronic.; Sueton. loc. cit.

Vivam defoderet. Haec et seq. ferme totidem verbis Plinius, Ep. IV, 11, qui rem fuse et eleganter narrat.

Movit. Sueton. in Domit. 6; Dio, LXVII, p. 764.

Clangores laetissimos edidit. Suetonius, loc. cit.

gores laetissimos edidit; vulgatusque, incerto auctore, rumor, *interfectum Antonium:* multis etiam caput eius allatum vidisse se adeo pervicaciter contendentibus, ut pars magna magistratuum pro parta victoria statim sacrificaret. Tam inopinato successu in limite imperii restituta pax: at principis crudelitas inclementer saeviit. Id quidem veritus L. Maximus, literas omnes in Antonii scriniis repertas igne aboleverat, ne cui periculum facesserent. Domitianus, periculo atrox, quosvis suspectos corripuit: interfectorum quoque memoriae infensus, vetuit *in acta eos referri.* Ne scriptis quidem ad senatum literis, eorum capita, ut et Antonii, Romam misit pro rostris exponenda. In hac pereuntium turba, duo soli e notioribus venia donati sunt, tribunus laticlavius et centurio, qui se, ut facilius expertes culpae crederentur, *impudicos* probaverant, *et ob id neque apud ducem, neque apud milites ullius momenti esse potuisse.* Ne idem rediret periculum, *geminari castra legionum* prohibitum; *nec plus quam mille nummos a quoquam ad signa deponi.* Antonius enim apud duarum legionum hiberna, ex depositorum etiam summa, fiduciam cepisse videbatur. Imminuta quoque nobilium potentia, quaedam ex maximis officiis inter libertinos militesque romanos communicata. Longius adhuc prospexit suspicacis principis cura: quumque ebrietas in seditiones facile effervescat, ut iam ante de Asia compertum, caussatus *ubertatem vini, frumenti inopiam, nimioque vinearum studio negligi arva,* edixit, *ne quis in Italia novellaret; utque in provinciis vineta succiderentur, relicta ubi plurimum dimidia parte.* Qua tamen in re exsequenda haud ita perseveravit, seu mutatus precibus Scopeliani, a cunctis Asiae civitatibus, ut id deprecaretur, missi, seu potius metu compulsus, quod sparsi tum libelli cum graecis versibus, hac sententia: *Rode vitem; hine tamen erit, quod in mactandum Caesarem spargatur.* Quibus commotus, edicti de excidendis vineis propositi gratiam fecit. Insuper datum Scopeliani eloquentiae, ut qui in Asia vites non sererent, multarentur. Sub principe, cui ludus fuit muscas captare ac stilo praeacuto configere, quidam coepere, novo scelere, venenatis acubus obvios pungere; morsque saepe sine ullo doloris sensu inferebatur. Furor, qui non in Urbe tantum, sed pessime aemulata per totum imperium grassabatur, reorum morte repressus.

Sacrificaret. Plutarch. in Paull. Aemil. p. 268.

Igne aboleverat. Dio, loc. cit.

Esse potuisse. Sueton. in Domit. 10; Vide et Dionem, loc. cit.

Prohibitum. Sueton. in Domit. 7.

Mille nummos. Gall. mon. 19½ lib. De fiscis militaribus diximus supra in Excurs. ad Annal. I, 37.

Novellaret. Sueton. loc. cit.

Gratiam fecit. Sueton. in Domit. 14.

Multarentur. Philostrat. de Vitis Sophist. I, 21, n. 6.

Grassabatur. Dio, LXVII, p. 764.

A. V. C. 846, I. C. 93.

Pompeio Collega, Cornelio Prisco, consulibus. Verso ad saevitiam principe, crevit delatorum audacia, bonisque omnibus formidata nomina, Carus Metios, Catullus Messalinus, Marcus Regulus, Publicius Certus, at Bebius Massa. Hic, supra insitam perfidiam, suo quoque periculo audax. Baeticis enim querentibus, contra eum senatus Plinium cum Herennio Senecione advocatum provinciae dederat. Dum fit inquisitio, obiit Cn. Iulius Agricola, sexto et quinquagesimo aetatis anno. Rerum gestarum claritate, virtutumque constantia, celebrata olim nomina aequaverat: propriam in hac temporum calamitate laudem adsecutus, quod sine contumacia, sine inani iactatione libertatis, sed moderatione et prudentia, industria simul et vigore, salvam virtutis famam retinuit; et quam multi ambitiosa morte quaesiere, ipse placido vitae cursu immortalem sui memoriam reliquit. A Cornelio Tacito, eadem, qua vixit, fide ac modestia narratus, posterisque traditus, magnum semper erit exemplum, posse etiam sub malis principibus magnus viros esse.

Post Agricolae mortem, quasi turbo, furor Domitiani incubuit. Is nempe efferatus civilis belli memoria et assiduis coniurationum rumoribus, ratusque securitatem diffidentia niti, non iam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu rempublicam exhausit. Ob levissimas suspiciones bonus quisque in exsilium acti, morteve affecti. Inter eos qui poenis tum fuere obnoxii, eminebant M. Cocceius Nerva et Salvidianus Orfitus, ambo consulares: ille Tarenti exsul delituit; hic in insulam coniectus, mox interemptus est. In his temporum acerbitatibus, auditi sunt motus Sarmatarum, qui legionem cum legato ceciderant. Huc tendit princeps; et seu victis hostibus, seu fictis victoriis, uti iam ante, ludificatus, lauream Iovi Capitolino retulit.

A. V. C. 847, I. C. 94.

L. Nonio Torquato Asprenate, T. Sextio Magio Laterano, consulibus. Principis saevitia, nec bello, nec victoriae sollennibus remissa, impietatis accusationibus adcrevit. Praecipua mali caussa Massa Bebius, supra memoratus. Is fuerat damnatus, caussam Baeticorum orantibus Herennio Senecione et Plinio; eiusque bona, ut publice custodirentur, seposita. Senecio, dum, nimio in clientes provinciamque studio, apud consules instat, ne postulationibus vacent, irritat Massam, qui cum impietatis postulat, quod Priscum Helvidium laudasset. Ea accusatione perculsus, occisus est. Par caussa, eademque ruina Arulenum Rusticum traxit; eique capitale fuit,

Dederat. Plin. Epist. VII, 33; Tacit. Vit. Agric. 45.
Agricola. Tacit. Vit. Agric. 44.
Exhausit. Tacit. Vit. Agric. 44.
Exsul. Philostrat. Vit. Apollon. VI, 8.
Coniectus. Philostrat. ibid. Sueton. in Domit. 10.
Retulit. Eutrop. in Breviario; Sueton. in Domit. 6.
Postulat. Plin. Epist. VII, 33.

quod Paeti Thraseae vitam scripsisset, virumque sanctissimum appellasset. Nec in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum saevitum, delegato triumviris ministerio, ut in comitio ac foro urerentur. Eodem casu convulsae nobilissimae feminae: relegantur Arria Thraseae Paeti, Fannia Helvidii Prisci vidua, Gratilla Rustici uxor. Relegatos quoque Mauricus. Nihil autem atrocius visum, quam quum Publicius Certus, accusato Helvidio filio, quasi scenico exodio sub persona Paridis et Oenones divortium principis cum uxore tractasset, ipse senator senatori manus intulit, eumque, mox occidendum, in carcerem duxit. Tum philosophi omnes, ut instiuctores libertatis, Urbe Italiaque submoti. Acriter quoque in Christianos animadversum.

A. V. C. 848, I. C. 95.

Domitiano Augusto XVII, T. Flavio Clemente, consulibus. Nemo unquam tot consulatus ceperat. Id principis arrogantiae diffidentiaeque datum. Obsessa autem, ut priore anno, curia. Nec pudor fuit Clementem reum subdere, licet consul, principis collega ac patruelis foret. Ob Christianam religionem arguebatur impietatis in Deos; ideoque ferme in ipso consulatu interemptus. Eamdem ob caussam Flavia Domitilla, eius uxor, in Pandatariam insulam relegata, ut et in Pontiam altera Domitilla, pariter Flavio sanguine orta. Nulla re magis Domitianus maturavit sibi exitum; licet et alias nobilium caedes ediderit: quas inter Acilius Glabrio consularis et exsul occisus est, ut rerum novarum molitor. At ubi mota domestica haec odia, nemo fuit cui princeps fideret. Frustra vel praefe-

Scripsisset. Tacit. ibid.; Sueton. in Domit. 10.

Releguntur. Plin. Ep. III, 2.

Mauricus. Frater Aruleni Rustici.

Helvidio filio. Sueton. in Domit. 10; Plin. Ep. IX, 13.

Cum uxore. Domitia.

Manus intulit. Plin. loc. cit.; Tacit. Vit. Agric. 45.

Submoti. Sueton. in Domit. 10.

Animadversum. Hieronym. de Script. Eccles. c. 9.

Patruelis foret. Vide Stemma Flaviorum in Excurs. ad Hist. I, 46, n. 13.

Impietatis in Deos. Dio, LXVII, p. 766.

Interemptus. Sueton. in Domit. 15. *Contemptissimae inertiae* Clementem arguit Suetonius, quod Clemens christianae pietatis tranquillitatem sectabatur. Multi alii Christiani periere, ut constat ex Brutio, apud Hieronymum in Chronic. Suffragatur Dio, loc. cit. Tunc Ioannes apostolus in insulam Patmon relegatus est.

Relegata. Dio, loc. cit. Pandataria insula, nunc *Ile Ste. Marie*, ut iam dictum est supra Annal. I, 53.

In Pontiam. Brutius apud Hieronymum, in Chronic. Pontia insula, nunc *Ile Ponza*. De utraque Domitilla vide Stemma Flaviorum, in Excurs. ad Hist. I, 46, n. 12 et 14.

Rerum novarum molitor. Sueton. in Domit. 10.

Reos agebat. Dio, LXVII, p. 766.

Existimabatur. Haec totidem verbis Suetonius in Domit. 14. Vide et Dionem, l. c.

ctos praetorio in ipsa praefectura reos agebat, vel opprimebat libertos, quos ut doceret nunquam, ne bono quidem exemplo, audendam patroni necem, Epaphroditum a libellis capitali poena condemnavit, quod post destitutionem, Nero in adipiscenda morte, manu eius adiutus existimabatur. Suppliciis irritata tantum audacia. Nec profuit vigilantia Iuventii Celsi, inter conspiratos olim accusati; sed supplicium effugerat, principem secreto allocutus, testatusque se esse insontem: et, si annuerit princeps dominus ac deus, se nefanda quaevis consilia investigaturum, certoque renuntiaturum. Postea semper elusit principem; hacque fraude incruentus supervixit.

A. V. C. 849, I. C. 96.

C. Antistio Vetere, C. Manlio Valente, consulibus. Valens nonagesimo aetatis anno in consulatu mortuus est. Hunc quoque annum fatalem sibi fore Domitianus dudum audierat, ab adolescentia vaticiniis Chaldaeorum, qui diem, horam, genusque mortis ei praedixerant, imbutus. Recentioribus adhuc agitabatur oraculis. Insuper continua fulminum vis, tactum de caelo Capitolium, templum Flaviae gentis, domus Palatina et cubiculum principis, aliaque multa portenta metum intendebant. Dum adversus imminens periculum se sollicitudine et saevitia accingit, suam ipse impellit ruinam. Parthenius enim et Sigerius, cubicularii, Entellus a libellis, ceterique principis amici ac liberti, sed eius iras veriti, coniurationem iniere. Iis animos addidit Domitia, quum forte legisset secretas Domitiani tabellas, quibus suum, eorumque qui morti destinabantur, nomen inscriptum. Ubi id conspiratis compertum, suo aliorumque periculo territi, rem properant. Prius tamen actum de successore, quem eligerent. Cocceium Nervam ad imperii spem votumque erigunt. Cunctabantur adhuc quando et quomodo Domitianum aggrederentur. Stephanus, Domitillae procurator, et tunc interceptarum pecuniarum reus, consilium operamque obtulit. Is ergo, ut ad suspicacem principem facilior secretiorque foret aditus, conspirationis indicium professus, et admissus, legenti traditum a se libellum, et attonito suffodit inguina: saucium ac repugnantem alii adorti, vulneribus septem contrucidaverunt. Occisus est Domitianus quartodecimo kalendas octobris, anno aetatis quinto et quadragesimo, imperii quintodecimo. Ante principatum arrogans; sub principatus initiis, ut patris fratrisque gloriam obrueret, virtutum species mentitus est; mox suis vitiis abstractus, in omnes libidines ruit; quaevis audendi licentiam adducto at militari imperio obtinuit: plebi, ob ludorum magnificentiam, non ingratus; militi, cui omnia indulgebat, acceptissimus; senatoribus ita odiosus, ut, audita eius caede, certatim repleverint curiam, et in eius contumelias eruperint, detractis quoque, et solo affiictis eius imaginibus:

Iuventii Celsi. Dio, LXVII, p. 765.

Mortuus est. Dio, LXVII, p. 766.

Praedixerant. Sueton. in Domit. 14.

Portenta. Quae vide apud Sueton. in Domit. 15.

Iniere. Dio, loc. cit.

Domitillae procurator. Sueton. in Domit. 17.

mox, ut ubique eius tituli eraderentur aboleretarque omnis memoria, decretum.

NERVA

Haec fuit aoimorum ioclinatio, quum M. Cocceius Nerva, Narniae in Umbria natus, sed Cretensi origine, imperio potitus est, aduitentibus Petronio Secondo, cohortiom praetoriarum praefecto, et Parthenio coniuratorum duce. Primus adveonarum Romae imperavit; et virtutes, fastigio Caesarum iguotas, ostendit: res olim dissociabiles miscuit, principatum ac libertatem. Natura, senectute, et, qood bonarum artium feracissimum est, multiplici malorum temporum experieotia, difficilem regendi artem edoctus, prioris principatus odia abrogavit. Rei maiestatis absoluti; sublata fisci iudaici calumuia; servi ac liberti, qui dominis insidias struxerant, suppliciis subditi; in eos omnes, qui delationas factitaveraot, inquiri licuit. At ut mali, sic et boni, est praefervidus et lethifer quidam impetus. Tanta delatorum turba incondito turbidoque clamore postulata simul et oppressa, ut Fronto, coosul, egregia adverterit, *malum esse principem, sub quo nihil cuiquam liceat; peiorem tamen esse, per quem omnia omnibus licent.* Inde Nerva pronos ad vindictam animos inhibuit, eosque mollivit liberalitate. Restitutum quidquid apud fiscum supererat, a Domitiano temere ademptum: egenis civibus romanis datos ager ad sexceoties sestertiom; lectique senatores, qui agrom emerent et dividerent; additum quoque congiarium. Ad levanda imperii onera, conflata ex aureis argeoteisqoe Domitiani statuis iogens pecoaiarum vis. Privatas quoque opes, et principum praedia, domos, supellectilem Nerva distraxit, ut reipublicae consularet.

A. V. C. 850, I. C. 97.

Nerva Augusto III, L. Vergioio Rufo III, consolibos. Verginius Rufus, spreto trigiuta ante aooos imperio et continua virtutum claritate principem in Urbe locum adsecutus, tertio hoc consulatu perfunctus obiit, quum

Narniae. Aurel. Victor. in Epitome.

Cretensi origine. Aurel. Victor. de Caesaribus.

Ac libertatem. Tacit. Vit. Agric. 3.

Calumnia. Ut constat ex Nervae nummis. Minime tamen sublatum iudaicum tributum. At non licuit quemquam iudaici ritus accusare; ut videre est apud Dionem, LXVIII, p. 759.

Liceat. Dio, loc. cit.

Sexcenties sestertium. Dio, ibid. Sexcenties sestertium sunt gall. mon. 11,675,015 lib.

Congiarium. In Nervae nummis expressum.

Distraxit. Dio, ibid.

Imperio. Vide Suppl. Annal. XVI, 79.

annum tertium et octogesimum excessisset. Longo illo aevo undecim Caesares vidit; ita tamen inter Augusti felicitatem et Traiani virtutes interiectus, ut egregiis huius imperii temporibus non sit usus. Doctum ei publicum funus. Pro rostris laudatus est a Cornelio Tacito, consule. Supremus hic gloriae eius cumulus accessit, laudator eloquentissimus.

Nerva autem, ad imperii curas intentus, afflictas urbes refovebat; puellas puerosque egenis parentibus natos per Italiae oppida sumptibus publicis ali iussit. Simul, ut pluribus necessitatibus subveniretur, creati quinqueviri, qui modum publicis impensis facerent. Sacrificia, Circenses ludi, spectacula, aliaque id genus, quibus sub priore principatu opes profundebantur, circumcisa. Dum talibus curis detinebatur princeps, penes praetorianum militem flagrabat Domitiani desiderium. Novas quoque res moliebatur Calpurnius Crassus. Is deprehensus, confessusque, Tarentum cum uxore amotus est. Hac principis lenitate arrogantiam cepit Aelianus Casperius; eoque instinctore, Domitiani interfectores ad exitium postulantur. Restitit quidem princeps. At, eo neglecto, Petronius Secundus et Parthenius comprehensi et iugulati. Tum eo audaciae prorupit Casperius, ut Nervam compelleret referre apud populum gratias militibus, *quia nefandos pessimosque omnium mortalium peremissent.* Tali indignitate princeps infremuit, sensitque et senectuti suae et reipublicae quaerendum praesidium. Nec illud intra domum adsumpsit; sed M. Ulpium Traianum, qui praesidebat Germaniae, cunctosque bellicis ac civilibus virtutibus praeeminebat, adoptavit: quartodecimo kalendas Octobris, quum lauream ex Pannonia allatam in gremio Iovis collocasset, adoptiu nuncupata. Traiani vel absentis fama statim restituta Nervae auctoritas, et praetorianorum tumultus consedit.

A. V. C. 851, I. C. 98.

Supremus hic annus est a Tacito memoratus. In eo quoque huiusce Appendicis Chronologicae finem faciam, ubi prius monuero Nervam sub ipsis anni initiis defunctum; Traianumque, summa rerum potitum, iis inclaruisse virtutibus, ut nunquam maior fuerit populi romani gloria ac felicitas. Artes quoque sub optimi principis auspiciis ad eam amplitudinem ac magnificentiam promotae, quae omnem retro memoriam vicit.

At haec vel per compendium narrari haud patiuntur loci temporisque, quibus premimur, angustiae.

Eloquentissimus. Haec omnia Plinius, Ep. II, 1.

Calpurnius Crassus. Dio, LXVIII, p. 770.

Aelianus Casperius. Haec quoque Dio, ibid.

Nuncupata. Plin. in Panegyric. 8 et 94; Dio, ibid.

FINIS APPENDICIS CHRONOLOGICAE.

C. CORNELII TACITI

POLITICA.

POLITICO LECTORI.

Regere imperio populos ars fuit Romanorum propria. Artem, dignitate nobilissimam, praestantissimam utilitate, aperuit C. Cornelius Tacitus; tantoque duce ac magistro gloriati sunt quotquot postea publicarum rerum scientia inclaruere. Quam sibi doctrinam multa lectione, assidua meditatione, aegre pepererunt, eam lactam magis magisque parabilem fore sum ratus, si, quae apud Tacitum dispersa sunt, colligerem, civilisque prudentiae corpus conflarem. Ut id exsequerer, C. Cornelii Taciti politica ad praecipua quaedam capita revocavi, quibus rei civilis summa continetur. Ne quis tamen reputet me universos politicae scientiae fontes, qui passim in Tacito occurrunt, exhausisse: immo multo plures, eosque feracissimos, adhuc latere profiteor, quos lectori volupe erit scrutari, quibusque repertis uti ac frui gratius erit atque laudabilius. Mihi satis sit viam monstrasse, artisque novae elementa proposuisse, quibus erudiantur ingenia, mores instruantur, animi ad viriles curas exsuscitentur; et, quod mihi ut et Cornelio Tacito semper in votis fuit, omnes ad vitiorum odia studiaque virtutum inflammentur, quibus stat humana societas, florent vigentque imperia.

Gab. Brotier.

C. CORNELII TACITI
POLITICA.

POLITICORVM CAPITA.

I. RELIGIO.

Colenda divina, humana non impedienda.

Oportere dividi sacros et negotiosos dies, quis divina colerent, et humana non impedirent. Tacit. Annal. XIII, 41.

Cavendum ne inter prospera imminuatur religio.

Benignitati Deum gratiam referendam, ne ritus sacrorum inter ambigua culti, per prospera obliterarentur. Annal. XI, 15.

Est in Religione modus.

Sanctius ac reverentius visum de actis Deorum credere quam scire. De Mor. German. 34.

Ne foedetur vanitate.

Multa vana sub nomine celebri vulgabantur. Annal. VI, 12.

Inter adversa gliscit superstitio.

Sunt mobiles ad superstitionem perculsae semel mentes. Annal. I, 28.

Tunc audiuntur prodigia.

Quod in pace fors, seu natura, tunc fatum et ira Dei vocabatur. Hist. IV, 26.

Inclinatis ad credendum animis, loco ominum etiam fortuita. Hist. II, 1.

Plura prodigia, rudibus seculis, etiam in pace observata, quae nunc tantum in metu audiuntur. Hist. I, 86.

Divina quoque obtenduntur sceleribus.

Ob interfectam Octaviam, dona templis decreta. Quod ad eum finem memoravimus, ut quicumque casus temporum illorum nobis vel aliis auctoribus noscent, praesumptum habeant, quotiens fugas et caedes iussit princeps, totiens grates Deis actas; quaeque rerum secundarum olim, tum publicae cladis insignia fuisse. Annal. XIV, 64.

Scelerum vindex conscientia.

Facinora atque flagitia sua *Tiberio* quoque in supplicium verterant. Neque frustra praestantissimus sapientiae firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse adspici laniatus et ictus, quando ut corpora verberibus, ita saevitia, libidine, malis consultis, animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suasque ipse poenas fateretur. Annal. VI, 6.

Nero cunctos per artus tremens, seu numine exterrente, seu facinorum recordatione, nunquam timore vacuus. Annal. XV, 36.

II. PATRIA.

Dulce et iucundum quodque patriae solum.

Germaniam informem terris, asperam caelo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit. De Morib. German. 2.

Omnibus, Principibus maxime, cara sit.

Cunctas sibi curas amore patriae leviores. Annal. XV, 36.

Optimus quisque amat patriam, et ejus malis ingemiscit.

Optimus quisque reipublicae cura moerebat. Annal. III, 44.

Vulgus etiam iis movetur.

Duos omnium mortalium impudicitia, ignavia, luxuria deterrimos, velut ad perdendum imperium fataliter electos, non senatus modo et eques, quis aliqua pars et cura reipublicae, sed vulgus quoque palam moerere. Hist. I, 50.

Eius malis qui laetentur?

Multi odio praesentium et cupidine mutationis, suis quoque periculis laetabantur. Annal. III, 44.

III. LIBERTAS.

Libertas, commune bonum.

Libertatem natura, etiam mutis animalibus, datam. Hist. IV, 17.

Virtutis altrix.

Etiam fera animalia, si clausa teneas, virtutis obliviscentur. Hist. IV, 64.

Nihil libertate acrius.

Longa Romanorum cum Germanis bella: multa invicem damna. Non Samnis, non Poeni, non Hispaniae, Galliaeve, ne Parthi quidem saepius admonuere: quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. De Morib. German. 37.

Sunt et libertatis vitia.

Germanos non iuberi, non regi, sed cuncta ex libidine agere. Hist. IV, 76.

Illud ex libertate vitium, quod non simul, nec ut iussi conveniunt. De Mor. German. 11.

Nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non consulant. Rarus duabus tribusve civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus: ita dum singuli pugnant, universi vincuntur. Vit. Agric. 12.

Periculosiores sunt inimicitiae iuxta libertatem. De Mor. German. 21.

Audacia libertatis placita.

Quomodo lucem diemque omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit. Hist. IV, 64.

Sicuti caelum Diis, ita terras generi mortalium datas: quaeque vacuae, eas publicas esse. Annal. XIII, 55.

Flagitiis quoque libertas obtenditur.

Libertas et speciosa nomina praetexuntur: nec quisquam alienum servitium et dominationem sibi concupivit, ut non eadem ista vocabula usurparet. Hist. IV, 73.

Falso libertatis vocabulum obtendi ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei, nisi per discordias habeant. Annal. XI, 17.

Ut imperium evertant, libertatem praeferunt: si perverterent, libertatem ipsam adgredientur. Annal. XVI, 22.

Libertatem et dominationem miscere difficile.

Haud facile libertas et domini miscentur. Hist. IV, 64.

Optimis etiam Principibus placet libertatis modus.

Quomodo pessimis imperatoribus sine fine dominationem, ita quamvis egregiis modum libertatis placere. Hist. IV, 8.

IV. DOMINATIONES.

Varia dominationum genera.

Cunctas nationes et urbes populus, aut primores, aut singuli regunt. Annal. IV, 33.

Earum natura.

Populi imperium, iuxta libertatem. Annal. VI, 42.

Paucorum dominatio, regiae libidini propior est. Annal. VI, 42.

De mixta dominatione Taciti idea et sensus.

Delecta ex his et consociata reipublicae forma, laudari facilius, quam evenire; vel si evenit, haud diuturna esse potest. Annal. IV, 33.

Formam mixtae dominationis primi tentavere Germani.

De minoribus rebus principes consultant, de maioribus omnes; ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes pertractentur. De Morib. German. 11.

Pro hominum ingenio et opibus varia imperia.

Gothones regnantur paullo iam adductius, quam ceterae Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. De Morib. German. 43.

Est apud *Suionas* et opibus honos; eoque unus imperitat, nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi. De Morib. German. 44.

Suionibus Sitonum gentes continuantur. Cetera similes, uno differunt, quod femina dominatur: in tantum non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant. De Morib. German. 45.

Summae paupertatis mores.

Fennis mira feritas, foeda paupertas, non arma, non equi, non penates: victui herba, vestitui pelles, cubile humus: sola in sagittis spes..... Idemque venatus viros pariter ac feminas alit..... Nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur: huc redeunt iuvenes, hoc senum receptaculum..... Securi adversus homines, securi adversus Deos, rem difficillimam adsecuti sunt, ut illis ne voto quidem opus sit. De Morib. German. 46.

Dominationum vis in concordia.

Apud Seleucenses, trecenti opibus aut sapientia delecti, ut senatus: sua populo vis, et quotiens concordes agunt, spernitur Parthus: ubi dissensere, dum sibi quisque contra aemulos subsidium vocant, accitus in partem, adversus omnes valescit. Annal. VI, 42.

Quam flagrans dominandi cupido!

Cupido dominandi cunctis adfectibus flagrantior est. Annal. XV, 53.

Nihil ei sacrum.

Pharasmani cupido regni fratre et filia potior, animusque sceleribus paratus. Annal. XII, 47.

Ardescit periculis.

Imperium cupientibus, nihil medium inter summa et praecipitia. Hist. II, 74.

Adsunt semper studia et ministri.

Primas dominandi spes in arduo: ubi sis ingressus, adesse studia et ministros. Annal. IV, 7.

Dominationem inchoantibus quid expedit?

Novum imperium inchoantibus utilis clementiae fama. Hist. IV, 63.

Mithridates atrocior, quam novo regno conduceret. Annal. XI, 9.

Dominationis scelere quaesitae sors.

Nemo unquam imperium flagitio quaesitum bonis artibus exercuit. Hist. I, 30.

Non posse principatum scelere quaesitum, subita modestia et prisca gravitate retineri. Hist. I, 83.

V. DOMINATIO ROMANA.

Eius maiestas.

Apud Romanos vis imperii valet; inania transmittuntur. Annal. XV, 31.

Virtute, non pecunia, nixa.

Sub Vitellio principe, imperii vires luxu corrumpebantur, contra veterem disciplinam et instituta maiorum, apud quos virtute, quam pecunia, res romana melius stetit. Hist. II, 69.

Fraudibus et occultis invisa.

Non fraude neque occultis, sed palam et armatum populum romanum hostes suos ulcisci. Annal. II, 88.

Deditis clemens, victis gravis.

Victis graves poenas, in deditionem venienti paratam clementiam. Annal. II, 10.

Levius servitium apud Romanos deditis, quam captis. Annal. XV, 1.

Populos recens subditos voluptatibus, liberalibusque artibus demulcebat.

Voluptatibus Romani plus adversus subiectos, quam armis valent. Hist. IV, 64.

Apud Britannos hiems saluberrimis consiliis absumpta: namque ut homines dispersi ac rudes, eoque bello faciles, quieti et otio per voluptates adsuescerent; hortari privatim, adiuvare publice, ut templa, fora, domus exstruerent, laudando promptos, et castigando segnes: ita honoris aemulatio pro necessitate erat. Iam vero principum filios liberalibus artibus erudire, et ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, ut qui modo linguam romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent: inde etiam habitus nostri honor, et frequens toga: paullatimque discessum ad delinimenta vitiorum, porticus et balnea et conviviorum elegantiam; idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset. Vit. Agric. 21.

Utebatur et religionibus.

In Britannia templum divo Claudio constitutum, quasi arx aeternae dominationis adspiciebatur; delectique sacerdotes, specie religionis, omnes fortunas effundebant. Annal. XIV, 31.

Regibus quoque.

Vetus ac iampridem recepta populi romani consuetudo, ut haberet instrumenta servitutis et reges. Vit. Agric. 14.

Iactis odiorum seminibus continebantur longinqui populi.

Semina etiam odiorum iacienda, ut saepe principes romani eamdem Armeniam specie largitionis turbandis barbarorum animis praebuerint. Annal. XII, 48.

Quomodo spectatum scelus externum?

Omne scelus externum cum laetitia habendum. Annal. XII, 48.

VI. PRINCEPS.

Cum imperii magnitudine adolevit principatus necessitas.

Vetus ac iampridem insita mortalibus potentiae cupido, cum imperii magnitudine adolevit, erupitque. Nam rebus modicis, aequalitas facile habebatur: sed ubi subacto orbe, et aemulis urbibus regibusve excisis, securas opes concupiscere vacuum fuit, prima inter patres plebemque certamina exarsere: modo turbulenti tribuni, modo consules praevalidi: et in Vrbe ac foro tentamina civilium bellorum. Mox e plebe infima C. Marius, et nobilium saevissimus L. Sulla, victam armis libertatem in dominationem verterunt. Post quos Cn. Pompeius occultior, non melior. Et nunquam postea, nisi de principatu quaesitum. Hist. II, 38.

Adulta necessitate, pacis interfuit rem romanam regi a principe.

Non aliud discordantis patriae remedium fuisse, quam ut ab uno regeretur. Annal. I, 9.

Omnem potestatem ad unum conferri pacis interfuit. Hist. I, 1.

Civile principis nomen invexit Augustus.

Qui cuncta discordiis civilibus fessa sub nomine principis accepit. Annal. I, 1.

Non regno, neque dictatura, sed principis nomine constituta respublica. Annal. I, 9.

Ut praemineret, tribuniciam potestatem addidit.

Id summi fastigii vocabulum (*tribuniciam potestatem*) Augustus reperit, ne regis aut dictatoris nomen adsumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia praemineret. Annal. III, 56.

Ne turbarent religiones, addita quoque summi pontificatus dignitas.

Nunc Deum munere, summum pontificem etiam summum hominum esse, non aemulationi, non odio, aut privatis adfectionibus obnoxium. Annal. III. 58.

Quae principum auctoritas, populorum officia?

Principibus summum rerum iudicium Dii dedere; *populis* obsequii gloria relicta est. Annal. VI, 8.

Eam conditionem esse imperandi, ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur. Annal. I, 6.

Vnum esse reipublicae corpus, atque unius animo regendum. Annal. I, 12.

Quanto maior est princeps, quanto invidiae magis obnoxius, tanto excelsiores sint eius cogitationes.

Non aedilis, aut praetoris, aut consulis partes sustineo: maius aliquid et excelsius a principe postulatur; et cum recte factorum sibi quisque gratiam trahant, unius invidia ab omnibus peccatur. Annal. III, 53.

Praecipuum in bonis amicis momentum.

Nullum maius boni imperii instrumentum, quam bonos amicos esse. Hist. IV, 7.

Amicorum principis munus.

Honestis sermonibus aures imperatoris imbuant. Hist. IV, 8.

Quomodo amici principis aestimentur?

Principem daturum plane documentum, honestis, an secus, amicis uteretur, si ducem amota invidia egregium, quam si pecuniosum et gratia subnixum per ambitum deligeret. Annal. XIII, 6.

Caveat princeps ne irrumpat adulatio. Vere enim Galba Pisonem alloquens :

Fidem, libertatem, amicitiam, praecipua humani animi bona, tu quidem eadem constantia retinebis; sed alii per obsequium imminuent. Irrumpet adulatio; blanditiae pessimum veri adfectus venenum; sua cuique utilitas. Etiam ego ac tu simplicissime inter nos hodie loquimur; ceteri libentius cum fortuna nostra, quam nobiscum. Nam suadere principi quod oporteat, multi laboris: adsentatio erga principem quemcumque, sine adfectu peragitur. Hist. I, 15.

Laudes expendat.

Nec occultum est quando ex veritate, quando adumbrata laetitia facta imperatorum celebrentur. Annal. IV, 31.

Inter laudes, saepe moeror est.

Moerens Burrhus, ac laudans. Annal. XIV, 15.

Intempestiva severitate abstineat.

Galbae nocuit antiquus rigor et nimia severitas, cui iam pares non sumus. Hist. I, 18.

Offensis quoque et blanditiis caveat.

Vitellium, subitis offensis aut intempestivis blanditiis mutabilem, contemnebant metuebantque. Hist. II, 92.

Nimiae potentiae diffidat.

Nec unquam satis fida potentia, ubi nimia est. Hist. II, 92.

Negotiosa est principis vita.

Tiberius, nihil intermissa rerum cura, negotia pro solatiis accipiens, ius civium, preces sociorum tractabat. Annal. IV, 13.

Laus eius magna honores digne mandare.

Tiberius mandabat honores, nobilitatem maiorum, claritudinem militiae, illustres domi artes spectando: ut satis constaret non alios potiores fuisse. Annal. IV, 6.

Caduca principum dona, nisi sint ex utilitate publica.

Vitellius, diffidentia properus, festinare comitia, quibus consules in multos annos destinabat: foedera sociis, Latium externis dilargiri: his tributa dimittere; alios immunitatibus iuvare: denique nulla in posterum cura, lacerare imperium. Sed vulgus ad magnitudinem beneficiorum aderat: stultissimus quisque pecuniis mercabatur: apud sapientes cassa habebantur, quae neque dari, neque accipi, salva republica, poterant. Hist. III, 55.

Liberi sanguisque principum validissima principatus praesidia.

Non legiones, non classes, perinde firma imperii munimenta, quam numerum liberorum. Hist. IV, 52.

Amicos tempore, fortuna, cupidinibus aliquando, aut erroribus imminui, transferri, desinere: suum cuique sanguinem indiscretum, sed maxime principibus: quorum prosperis et alii fruantur, adversa ad iunctissimos pertineant. Hist. IV, 52.

Principum filii in publicam fortunam adolescunt.

Ita nati estis, ut bona malaque vestra ad rempublicam pertineant. Annal. IV, 8.

Ne nimis civiles sint.

Displicere regnantibus civilia filiorum ingenia. Annal. II, 82.

Id nocuit Germanico.

In Germanicum favor et spes; nam iuveni civile ingenium, mira comitas, et diversa a Tiberii sermone, vultu, adrogantibus et obscuris. Annal. I, 33.

Quanto quis imperio propior, tanto sit cautior.

Suspectum semper invisumque dominantibus, qui proximus destinaretur. Hist. I, 21.

In legibus subsidium principis.

Satis oneram principibus, satis etiam potentiae: minui iura, quotiens gliscat potestas: nec utendum imperio, ubi legibus agi possit. Annal. III, 69.

Cuncta legum et magistratuum munia in se trahens princeps *Claudius*, materiam praedandi patefecerat. Annal. XI, 5.

Munimentum in sceleris poena.

Vitellius omnes *Galbae interfectores* conquiri et interfici iussit, non honore Galbae, sed tradito principibus more, munimentum ad praesens, in posterum ultionem. Hist I, 44.

Reputet princeps se esse mortalem, aeternam rempublicam.

Principes mortales, rempublicam aeternam esse. Annal. III, 6.

Famam et prosperam sui memoriam curet.

Ceteris mortalibus in eo stare consilia, quid sibi conducere putent: principum diversam esse sortem, quibus praecipua rerum ad famam dirigenda. Annal. IV, 40.

Cetera principibus statim adesse, unum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam. Annal. IV, 38.

Quae vera ac magnifica sint principum decora ac monumenta, egregie explicavit Tiberius, cum divinos honores ab Hispania Vlteriore sibi oblatos recusasset.

Ego me, Patres conscripti, mortalem esse, et hominum officia fungi, satisque habere, si locum principem impleam, et vos testor, et meminisse posteros volo: qui satis superque memoriae meae tribuent, ut maioribus meis dignum, rerum vestrarum providum, constantem in periculis, offensionum pro utilitate publica non pavidum credant. Haec mihi in animis vestris templa, hae pulcherrimae effigies et mansurae: nam quae saxo struuntur, si iudicium postero-

rum in odium vertit, pro sepulcris spernuntur. Proinde socios, cives, et Deos ipsos precor: hos, ut mihi ad finem usque vitae, quietam et intelligentem humani divinique iuris mentem duint; illos, ut quando concessero, cum laude et bonis recordationibus, facta atque famam nominis mei prosequantur. Annal. IV, 38.

Principibus certa et brevis est recti regula.

Vtilissimus idem ac brevissimus bonarum malarumque rerum delectus, cogitare, quid aut volueris sub alio principe, aut nolueris. Hist. I, 16.

Princeps subditos ut cives habeat.

Non dominationem et servos, sed rectorem et cives *cogitet*. Annal. XII, 11.

Maiestatem tamen reverentia tueatur.

Maiestate salva, cui maior e longinquo reverentia. Annal. I, 47.

Dominationis suae arcana calleat.

Augustus inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi permissu, ingredi senatoribus aut equitibus romanis illustribus, seposuit Aegyptum: ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam claustraque terrae ac maris, quamvis levi praesidio adversus ingentes exercitus insedisset. Annal. II, 59.

In ea inquiri ne sinat. Inquirenti Gallo infensus fuit Tiberius.

Haud dubium erat, eam *Galli* sententiam altius penetrare, et arcana imperii tentari. Annal. II, 36.

Id illicitum semper et anceps.

Abditos principis sensus, et si quid occultius parat, exquirere, illicitum, anceps: nec ideo adsequare. Annal. VI, 8.

Annonam curet.

Annonae curam sustinet princeps: haec omissa funditus rempublicam trahet. Annal. III, 54.

In annonae saevitia additum a Tiberio solamen.

Saevitiam annonae incusante plebe, *Tiberius* statuit frumento pretium quod emptor penderet, binosque nummos se additurum negotiatoribus in singulos modios. Neque tamen ob ea parentis patriae delatum et antea vocabulum adsumpsit. Annal. II, 87.

Magnum principem non dedecet popularitas.

Augustus civile rebatur misceri voluptatibus vulgi. Annal. I, 54.

Foeda principatus praemia.

Otho stupra nunc, et comessationes, et feminarum coetus, volvit animo: haec principatus praemia putat; quorum libido ac voluptas penes ipsum sit, rubor ac dedecus penes omnes. Hist. I, 30.

Falluntur, quibus luxuria specie liberalitatis imponit. Perdere iste *Otho* sciet, donare nesciet. Hist. I, 30.

Invisi semel principis miseranda sors.

Inviso semel principe, seu bene, seu male facta premunt. Hist. I, 7.

Vulgi iniqua de principibus iudicia.

Ipsa aetas Galbae et irrisui et fastidio erat, adsuetis iuventae Neronis, et imperatores forma ac decore corporis, ut est mos vulgi, comparantibus. Hist. I, 7.

Contumacia ne principem irritent populi.

Contumacia inferiorum lenitatem imperitantis deminui. Annal. XVI, 28.

Ferenda regum ingenia, neque usui crebras mutationes. Annal. XII, 11.

Quomodo sterilitatem, aut nimios imbres, et cetera naturae mala, ita luxum vel avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt donec homines: sed neque haec continua, et meliorum interventu pensantur. Hist. IV, 74.

Se meminisse temporum, quibus natus sit, quam civitatis formam patres avique instituerint: ulteriora mirari, praesentia sequi: bonos imperatores voto expetere, qualescunque tolerare. Hist. IV, 8.

VII. MORES PRINCIPVM ROMANORVM.

AVGVSTVS.

Eius mens.

Divi Augusti acerrima mens. Hist. II, 76.

Sub eo principe florens imperium.

Mari Oceano, aut amnibus longinquis septum imperium: regiones, provinciae, classes, cuncta inter se connexa: ius apud cives, modestia apud socios: Urbs ipsa magnifico ornatu: pauca admodum vi tractata, quo ceteris quies esset. Annal. I, 9.

TIBERIVS.

Cautus princeps.

Cautissima Tiberii senectus. Hist. II, 76.

Dissimulationis studiosissimus.

Nullam aeque Tiberius, ut rebatur, ex virtutibus suis, quam dissimulationem, diligebat. Annal. IV, 71.

Eam ad mortem usque retinuit.

Iam Tiberium corpus, iam vires, nondum dissimulatio

descrebat: idem animi rigor, sermone ac vultu intentus, quaesita interdum comitate, quamvis manifestam defectionem tegebat. Annal. VI, 50.

Callidus et anxius.

Ut callidum eius ingenium, ita anxium iudicium: neque eminentes virtutes sectabatur, et rursum vitia oderat: ex optimis periculum sibi, a pessimis dedecus publicum metuebat. Annal. I, 80.

Tristis sub eo Roma.

Angusta et lubrica oratio sub principe qui libertatem metuebat, adulationem oderat. Annal. II, 87.

Non alias magis anxia et pavens civitas, egens adversum proximos, congressus, colloquia, notae, ignotaeque aures vitari: etiam muta, atque inanima tectum et parietes circumspectabantur. Annal. IV, 69.

Antequam in deterius mutaretur, principatus eius forma.

Publica negotia, et privatorum maxima, apud patres tractabantur, dabaturque primoribus disserere; et in adulationem lapsos cohibebat ipse; mandabatque honores, nobilitatem maiorum, claritudinem militiae, illustres domi artes spectando; ut satis constaret, non alios potiores fuisse: sua consulibus, sua praetoribus species: minorum quoque magistratuum exercita potestas; legesque, si maiestatis quaestio eximeretur, bono in usu. At frumenta, et pecuniae vectigales, cetera publicorum fructuum, societatibus equitum romanorum agitabantur. Res suas Caesar spectatissimo cuique, quibusdam ignotis ex fama mandabat; semelque adsumpti tenebantur, prorsus sine modo, cum plerique iisdem negotiis insenescerent. Plebs acri quidem annona fatigabatur: sed nulla in eo culpa ex principe: quin infecunditati terrarum, aut asperis maris obviam iit, quantum impendio diligentiaque poterat; et ne provinciae novis one-

ribus turbarentur, utque vetera sine avaritia aut crudelitate magistratuum tolerarent, providebat: corporum verbera, ademptiones bonorum aberant. Rari per Italiam Caesaris agri, modesta servitia: intra paucos libertos domus, ac si quando cum privatis disceptaret, forum et ius. Annal. IV, 6 et 7.

Diversi eius mores.

Morum tempora illi diversa; egregium vita famaque quoad privatus, vel in imperiis sub Augusto fuit: occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere. Idem inter bona malaque mixtus, incolumi matre: intestabilis saevitia, sed obtectis libidinibus, dum Seianum dilexit, timuitve: postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore et metu, suo tantum ingenio utebatur. Annal. VI, 51.

CAIVS CALIGVLA.

Eius natura.

C. Caesar turbidus animi. Hist. IV, 48.

Falsa perdidicit.

Etsi commotus ingenio, simulationum tamen falsa in sinu avi perdidicerat. Annal. VI, 45.

Sub Tiberio servus, post dominus deterrimus.

Immanem animum subdola modestia tegens, non damnatione matris, non exsilio fratrum rupta voce; qualem in diem Tiberius induisset, pari habitu, haud multum distantibus verbis. Unde mox scitum Passieni dictum percrebuit, neque meliorem unquam servum, neque deteriorem dominum fuisse. Annal. VI, 20.

Eius vitia fataque a Tiberio praevisa.

Illi, forte orto sermone, L. Sullam irridenti, omnia Sullae vitia, et nullam eiusdem virtutem habiturum prae-

dixit: simul crebris cum lacrimis minorem ex nepotibus complexus, truci alterius vultu: Occides hunc tu, inquit, et te alius. Annal. VI, 46.

CLAVDIVS.

Socors et hebes, uxoribus et libertis serviit.

Nihil arduum videbatur in animo principis, cui non iudicium, non odium erat, nisi indita et iussa. Annal. XII, 3.

A Messalina primum illusus, mox Agrippinae magis devinctus.

Versa ex eo civitas, et cuncta feminae obediebant, non per lasciviam, ut Messalinae rebus romanis illudenti. Adductum, et quasi virile, servitium. Palam severitas, ac saepius superbia: nihil domi impudicum, nisi dominationi expediret: cupido auri immensa obtentum habebat, quasi subsidium regno pararetur. Annal. XII, 7.

NERO.

Claudii insectatione gratiam gloriamque primum quaerit.

Formam futuri principatus praescripsit, ea maxime declinans, quorum recens flagrabat invidia. Non enim se negotiorum omnium iudicem fore, ut, clausis unam intra domum accusatoribus et reis, paucorum potentia grassaretur. Nihil in penatibus suis venale, aut ambitioni pervium: discretam domum et rempublicam. Teneret antiqua munia senatus. Consulum tribunalibus Italia et publicae provinciae adsisterent. Illi patrum aditum praeberent: se mandatis exercitibus consulturum. Nec defuit fides: multaque arbitrio senatus constituta sunt. Annal. XIII, 4.

Dein lascivia diffluit.

Otium foris, foeda domi lascivia, qua Nero itinera Urbis, et lupanaria, et diverticula, veste servili in dissimulationem sui compositus pererrabat. Annal. XIII, 25.

Patriae ruinis usus, domum Auream exstruit.

Nero usus est patriae ruinis, exstruxitque domum, in qua haud perinde gemmae et aurum miraculo essent, solita pridem et luxu vulgata, quam arva et stagna, et in modum solitudinum hinc silvae, inde aperta spatia, et prospectus: magistris et machinatoribus Severo et Celere, quibus ingenium et audacia erat, etiam quae natura denegavisset, per artem tentare, et viribus principis illudere. Annal. XV, 42.

Corruptus et corruptor Romanos perdidit.

Ita quatuordecim annis a Nerone adsuefactos, ut haud minus vitia principum amarent, quam olim virtutes verebantur. Hist. I, 5.

In hac corruptela, a coniuratis eius libidines pertaesis designatur successor ei non valde absimilis.

Coepta simul et aucta coniuratione, in quam certatim nomina dederant senatores, eques, miles, feminae etiam, cum odio Neronis, tum favore in C. Pisonem. Is Calpurnio genere ortus, ac multas insignesque familias paterna nobilitate complexus, claro apud vulgum rumore erat, per virtutem, aut species virtutibus similes. Namque facundiam tuendis civibus exercebat, largitionem adversus amicos, et ignotis quoque comi sermone et congressu. Aderant etiam fortuita, corpus procerum, decora facies: sed procul gravitas morum, aut voluptatum parcimonia: lenitati ac magnificentiae, et aliquando luxui indulgebat: idque pluribus probabatur, qui in tanta vitiorum dulcedine, summum imperium non restrictum, nec perseverum volunt.

GALBA.

Princeps in Hispania adsumitur.

Evulgatum imperii arcanum, posse principem alibi, quam Romae fieri. Hist. I, 4.

Eius mores et fortuna.

Ser. Galba, quinque principes prospera fortuna emensus, alieno imperio felicior *fuit*, quam suo. Vetus in familia nobilitas, magnae opes: ipsi medium ingenium, magis extra vitia quam cum virtutibus. Famae nec incuriosus nec venditator. Pecuniae alienae non appetens, suae parcus, publicae avarus. Amicorum libertorumque, ubi in bonos incidisset, sine reprehensione patiens: si mali forent, usque ad culpam ignarus: sed claritas natalium, et metus temporum obtentui, ut quod segnitia erat, sapientia vocaretur. Dum vigebat aetas, militari laude apud Germanias floruit. Proconsul Africam moderate, iam senior Citeriorem Hispaniam pari iustitia continuit: maior privato visus, dum privatus fuit, et omnium consensu, capax imperii, nisi imperasset. Hist. I, 49.

Nocuit nimia severitas.

Constat potuisse conciliare animos quantulacunque parci senis liberalitate: nocuit antiquus rigor, et nimia severitas; cui iam pares non sumus. Hist. I, 18.

Infirmus et credulus senex.

Hiantes, in magna fortuna, amicorum cupiditates ipsa Galbae facilitas intendebat: cum apud infirmum et credulum, minore metu, et maiore praemio peccaretur. Hist. I, 12.

Cuncta libertis servisque venalia.

Adferebant venalia cuncta praepotentes liberti: servo-

rum manus subitis avidae, et tanquam apud senem festinantes. Hist. I, 7.

Pisonem adoptat.

Piso, M. Crasso et Scribonia genitus, nobilis utrimque, vultu habituque moris antiqui, et aestimatione recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur: ea pars morum eius, quo suspectior sollicitis, adoptanti placebat. Hist. I, 14.

OTHO.

Eius adolescentia.

Otho pueritiam incuriose, adolescentiam petulanter egerat; gratus Neroni aemulatione luxus; eoque iam Poppaeam Sabinam principale scortum, ut apud conscium libidinum, deposuerat, donec Octaviam uxorem amoliretur: mox suspectum in eadem Poppaea, in provinciam Lusitaniam, specie legationis, seposuit. Otho, comiter administrata provincia, primus in partes *Galbae* transgressus, nec segnis, et donec bellum fuit, inter praesentes splendidissimus, spem adoptionis statim conceptam, acrius in dies rapiebat: faventibus plerisque militum, prona in eum aula Neronis, ut similem. Hist. I, 13.

Ambitione ac libidine ad principatus desiderium trahitur.

Non erat Othonis mollis et corpori similis animus. Et intimi libertorum servorumque corruptius, quam in privata domo habiti, aulam Neronis et luxus, adulteria, matrimonia, ceterasque regnorum libidines, avido talium, si auderet, ut sua ostentantes; quiescenti, ut aliena, exprobrabant. Hist. I, 22.

Dissimulata in principatu vitia.

Otho contra spem omnium non deliciis, neque desidia

torpescere : dilatae voluptates, dissimulata luxuria, et cuncta ad decorum imperii composita : eoque plus formidinis adferebant falsae virtutes et vitia reditura. Hist. I, 71.

Morte, quam vita, clarior.

Origo illi e municipio Ferentino. Pater consularis, avus praetorius; maternum genus impar, nec tamen indecorum: pueritia ac iuventa, qualem monstravimus: duobus facinoribus, altero flagitiosissimo, altero egregio, tantumdem apud posteros meruit bonae famae, quantum malae. Hist. II, 50.

VITELLIVS.

Vitellii cum Othone comparatio.

Ante utriusque exitum, quo egregiam Otho famam, Vitellius flagitiosissimam, meruere; minus Vitellii ignavae voluptates, quam Othonis flagrantissimae libidines timebantur. Addiderat huic terrorem atque odium caedes Galbae; contra illi initium belli nemo imputabat. Vitellius ventre et gula sibi ipsi hostis; Otho, luxu, saevitia, audacia, reipublicae exitiosior ducebatur. Hist. II, 31.

Vitellii gula et torpor.

Torpebat Vitellius, et fortunam principatus inerti luxu ac prodigis epulis praesumebat, medio diei temulentus et sagina gravis. Hist. I, 62.

Epularum foeda et inexplebilis libido : ex Urbe atque Italia irritamenta gulae gestabantur, strepentibus ab utroque mari itineribus : exhausti conviviorum apparatibus principes civitatum : vastabantur ipsae civitates : degenerabat a labore ac virtute miles, adsuetudine voluptatum, et contemptu ducis. Hist. II, 62.

Nihil eorum quae fierent Vitellio anquirente: brevi auditu, quamvis magna transibat, impar curis gravioribus. Hist. II, 59.

Eius aulae foeditas.

Nemo in illa aula probitate aut industria certavit: unum ad potentiam iter, prodigis epulis, et sumptu ganeaque satiare inexplebiles Vitellii libidines. Ipse abunde ratus, si praesentibus frueretur, nec in longius consultans, novies millies sestertium, paucissimis mensibus, intervertisse creditur. Hist. II, 95.

Nulla consilia, aut laesura.

Surdae ad fortia consilia Vitellio aures. Hist. III, 67.

Peritissimos, et si consulerentur, vera dicturos, arcuere intimi amicorum Vitellii, ita formatis principis auribus, ut aspere, quae utilia, nec quidquam, nisi iucundum et laesurum acciperet. Hist. III, 56.

Morte, ut vita, probrosus.

Vitellius, capta Urbe, per aversam palatii partem, Aventinum, in domum uxoris, sellula defertur; ut si diem latebra vitavisset, Tarracinam ad cohortes fratremque perfugeret. Dein mobilitate ingenii, et quae natura pavoris est, cum omnia metuenti praesentia maxime displicerent, in palatium regreditur, vastum desertumque: dilapsis etiam infimis servitiorum, aut occursum eius declinantibus. Terret solitudo et tacentes loci: tentat clausa: inhorrescit vacuis: fessusque misero errore, et pudenda latebra semet occultans, ab Iulio Placido, tribuno cohortis, protrahitur. Vinctae pone tergum manus: laniata veste, foedum spectaculum, ducebatur, multis increpantibus, nullo illacrimante: deformitas exitus misericordiam abstulerat. Obvius e germanicis militibus, Vitellium infesto ictu, per iram, vel quo maturius ludibriis eximeret, an tribunum appetierit,

in incerto fuit: aurem tribuni amputavit, ac statim confossus est. Vitellium, infestis mucronibus coactum, modo erigere os et offerre contumeliis, nunc cadentes statuas suas, plerumque rostra, et Galbae occisi locum contueri; postremo ad Gemonias, ubi corpus Flavii Sabini iacuerat, propulere. Vox una non degeneris animi excepta, cum tribuno insultanti, « se tamen imperatorem eius fuisse », respondit. Ac deinde ingestis vulneribus concidit: et vulgus eadem pravitate insectabatur interfectum, qua foverat viventem. Patria illi Luceria: septimum et quinquagesimum aetaits annum explebat. Consulatum, sacerdotia, nomen locumque inter primores, nulla sua industria, sed cuncta patris claritudine adeptus. Principatum ei detulere, qui ipsum non noverant. Studia exercitus, raro cuiquam, bonis artibus quaesita, perinde adfuere, quam huic per ignaviam. Inerat tamen simplicitas ac liberalitas: quae, ni adsit modus, in exitium vertuntur. Amicitias, dum magnitudine munerum, non constantia morum, contineri putat, meruit magis, quam habuit. Reipublicae haud dubie intererat, Vitellium vinci: sed imputare perfidiam non possunt, qui Vitellium Vespasiano prodidere, cum a Galba descivissent. Hist. III, 85 et 86.

VESPASIANVS.

Bello egregius, sed avarus, imperium Muciani studiis adeptus.

Vespasianus acer militiae, anteire agmen, locum castris capere, noctu diuque consilio, ac si res posceret, manu hostibus obniti, cibo fortuito, veste habituque vix a gregario milite discrepans: prorsus, si avaritia abesset, antiquis ducibus par. Mucianum e contrario magnificentia et opes et cuncta privatum modum supergressa extollebant: aptior

sermone, dispositu provisuque, civilium rerum peritus: egregium principatus temperamentum, si demptis utriusque vitiis, solae virtutes temperarentur. Hist. II, 5.

Eius principatus initia, prioribus similia.

Magna et misera civitas, eodem anno Othonem Vitelliumque passa, inter Vinios, Fabios, Icelos, Asiaticos, varia et pudenda sorte agebat; donec successere Mucianus et Marcellus, et magis alii homines, quam alii mores. Hist. II, 95.

In melius mutatur.

Ambigua de Vespasiano fama: solusque omnium ante se principum, in melius mutatus est. Hist. I, 50.

TITVS.

Eius ingenium.

Titi ingenium quantaecunque fortunae capax, decor oris cum quadam maiestate: mitis natura. Hist. II, 1; IV, 86.

Adolescentia, principatus.

Neque abhorrebat a Berenice iuvenilis animus: sed gerendis rebus nullum ex eo impedimentum: laetam voluptatibus adolescentiam egit, suo quam patris imperio modestior. Hist. II, 2.

DOMITIANVS.

Caesaris vitia.

Nomen sedemque Caesaris Domitianus acceperat, nondum ad curas intentus, sed stupris et adulteriis filium principis agebat. Hist. IV, 2.

Ex paterna fortuna tantum licentiam *usurpabat*. Vit. Agric. 7.

Indomitae *eius* libidines timebantur. Hist. IV, 68.

Princeps saevus, deinde atrox.

Domitiani natura praeceps in iram, et quo obscurior, eo irrevocabilior. Vit. Agric. 42.

Infensus virtutibus princeps. Vit. Agric. 41.

Domitianus non iam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu rempublicam exhausit..... Nero tamen subtraxit oculos, iussitque scelera, non spectavit: praecipua sub Domitiano miseriarum pars erat, videre et adspici; cum suspiria nostra subscriberentur; cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret saevus ille vultus et rubor, quo se contra pudorem muniebat. Vit. Agric. 45.

Miserrima tum civitas.

Sicut vetus aetas vidit quid ultimum in libertate esset, ita nos quid in servitute, adempto per inquisitiones et loquendi audiendique commercio..... Per quindecim annos, grande mortalis aevi spatium, multi fortuitis casibus, promptissimus quisque saevitia principis interciderunt. Pauci, ut ita dixerim, non modo aliorum, sed etiam nostri superstites sumus, exemptis e media vita tot annis, quibus iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venimus. Vit. Agric. 2 et 3.

NERVA.

Sub egregio principe resurgit Roma.

Primo statim beatissimi seculi ortu, Nerva Caesar res olim dissociabiles *miscuit*, principatum ac libertatem. Vit. Agric. 3.

TRAIANVS.

Princeps optimus.

Auget quotidie felicitatem imperii Nerva Traianus; nec spem modo ac votum securitas publica, sed ipsius voti fiduciam, ac robur adsumpsit. Vit. Agric. 3.

Inter Domitiani mala, spes unica fuit durare et principem Traianum videre.

Durare in hac beatissimi seculi luce, ac principem Traianum videre, quodam augurio votisque apud nostras aures ominabatur *Agricola*. Vit. Agric. 44.

Sub optimo principe, Romae felicitas.

Nunc demum redit animus..... Non pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium temporum composuisse. Vit. Agric. 3.

Rara temporum felicitate, ubi sentire quae velis, et quae sentias dicere licet. Hist. I, 1.

VIII. AVLA.

Fortunae intenta. Inde Tiberius senex Macroni, gratiam Caii iuvenis captanti, exprobrabat:

Occidentem ab eo deseri, Orientem spectari. Annal. VI, 47.

Nec certa spes.

Fato et sorte nascendi, ut cetera, ita principum inclinatio in hos, offensio in illos. Annal. IV, 20.

Ibi cauta magis, quam acria, valent consilia.

Potentiam cautis, quam acribus consiliis, tutius haberi. Annal. XI, 29.

Fluxa aulae potentia.

Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum, quam fama potentiae non sua vi nixae. Annal. XIII, 19.

Sallustius Crispus aetate provecta speciem magis in amicitia principis (*Augusti*) quam vim tenuit. Idque et Maecenati acciderat; fato potentiae raro sempiternae: an satias capit, aut illos, cum omnia tribuerunt, aut hos, cum iam nihil reliquum est, quod cupiant? Annal. III, 30.

In aula, post casum, nulla manet potentiae reverentia.

Infracta a Nerone Agrippinae potentia, statim relictum Agrippinae limen: nemo solari, nemo adire, praeter paucas feminas, amore an odio incertum. Annal. XIII, 19.

E nimia potentia, maximum periculum.

Vinius in dies quanto potentior, eodem actu invisior erat. Hist. I, 12.

Nec ibi tuta obscuritas.

Satis clarus est apud timentem, quisquis timetur. Hist. II, 76.

In aula facetiis abstine.

Facetiarum apud praepotentes in longum memoria est. Annal. V, 2.

Ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt. Annal. XV, 68.

Aula criminationibus et laudibus saeva.

Valens, quamquam bene de partibus meritus, nullo apud Vitellium honore fuit: secretis eum criminationibus infamaverat Fabius ignarum, et quo incautior deciperetur, palam laudatum. Hist. I, 64.

Pessimum inimicorum genus, laudantes. Vit. Agric. 41.

Qualis in principes.

Haec cum adsensu audita ab his, quibus omnia princi-

pum honesta atque inhonesta laudare mos est, plures per silentium aut occultum murmur excepere. Annal. II, 38.

Aulici summa laus.

Inter abruptam contumaciam, et deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum. Annal. IV, 20.

In Seiano, pessimae aulici artes.

Tiberium variis artibus devinxit adeo, ut obscurum adversum alios, sibi uni incautum intectumque efficeret, non tam sollertia (quippe iisdem artibus victus est) quam Deum ira in rem romanam, cuius pari exitio viguit, ceciditque. Corpus illi laborum tolerans, animus audax: sui obtegens, in alios criminator: iuxta adulatio et superbia: palam compositus pudor, intus summa apiscendi libido: eiusque caussa, modo largitio et luxus, saepius industria ac vigilantia, haud minus noxiae, quotiens parando regno finguntur. Annal. IV, 1.

IX. CONSILIA.

In imperiis plura consiliis agenda.

Plura in summa fortuna auspiciis et consiliis, quam telis et manibus geri. Annal. XIII, 6.

Consilia princeps adhibeat.

Quam arduum, quam subiectum fortunae cuncta regendi onus. Annal. I, 11.

Consiliorum difficultas.

Suadere principi quod oporteat, multi laboris. Hist. I, 15.

Absit ambitio.

Neque posse principem sua scientia cuncta complecti, neque expedire, ut ambitione aliena trahatur. Annal. III, 69.

Absit adsentatio.

Adsentatio erga principem quemcumque sine adfectu peragitur. Hist. I, 15.

Pessimi consultores.

Quibus omnia principum honesta atque inhonesta laudare mos est. Annal. II, 38.

Absit pavor.

Pavidis consilia in incerto sunt. Annal. III, 9.

Adsit incorrupta libertas.

Neque in iis, quae ad rempublicam pertinerent, consilio nisi suo usurum, vel cum periculo offensionis. Annal. I, 8.

Consultoribus tamen ex libertate fama, fortuna ex obsequio.

Illa aetas duo pacis decora simul tulit: sed Labeo incorrupta libertate, et ob id fama celebratior: Capitonis obsequium dominantibus magis probabatur. Illi, quod praeturam intra stetit, commendatio ex iniuria; huic, quod consulatum adeptus est, odium ex invidia oriebatur. Annal. III, 75.

Cum difficilia sunt tempora, sua est et consultoribus laus.

Lepidum, temporibus illis, gravem et sapientem virum fuisse comperio. Nam pleraque ab saevis adulationibus aliorum in melius flexit: neque tamen temperamenti egebat, cum aequabili auctoritate et gratia apud Tiberium viguerit. Annal. IV, 20.

L. Piso nullius servilis sententiae sponte auctor, et quotiens necessitas ingrueret, sapienter moderans. Ann. VI, 10.

Saepe ex consultoribus principum vitia.

Vitellius adventu fratris et irrepentibus dominationis magistris, superbior et atrocior. Hist. II, 63.

Ipso Vespasiano, inter initia imperii, ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinato: donec indulgentia fortunae et pravis magistris didicit ausus que est. Hist. II, 84.

X. ROMA.

Romae dignitas.

Caput rerum Urbem. Hist. II, 32.

Unde in omnia regimen. Annal. III, 47.

Erat grande momentum in nomine Urbis ac praetextu senatus. Hist. I, 76.

Mores Urbis.

Civitas novis sermonibus laeta. Hist. IV, 11.

Cuncta interpretans. Hist. II, 91.

Omnium gnara et nihil reticens. Annal. XI, 27.

Rimandis offensis sagax. Hist. IV, 11.

Avida discordiarum. Annal. XVI, 22.

Fecunda gignendis inimicitiis. Hist. II, 93.

Facilis ad accipienda credendaque omnia nova, cum tristia sunt. Hist. I, 19.

• Pavida et servitio parata. Hist. IV, 2.

Sunt procacia urbanae plebis ingenia. Hist. III, 32.

Lascivit et furit, nec mala quidem publica miseratur.

Concurrere in campo Martio infestae *Flavianorum et Vitellianorum* acies. Pro Flavianis fortuna, et parta toticus victoria: Vitelliani desperatione sola ruebant; et quamquam pulsi, rursus in Urbe congregabantur. Aderat pugnantibus spectator populus, utque in ludicro certamine, hos *modo*, rursus illos clamore et plausu fovebat: quotiens pars altera inclinasset, abditos in tabernis, aut, si quam in domum perfugerant, « erui iugularique » expostulantes, parte maiore praedae potiebantur: nam milite ad sanguinem et cae-

des obverso, spolia in vulgus cedebant. Saeva ac deformis Urbe tota facies: alibi proelia et vulnera; alibi balineae popinaeque: simul cruor et strues corporum: iuxta scorta et scortis similes: quantum in luxurioso otio libidinum; quidquid in acerbissima captivitate scelerum: prorsus ut eamdem civitatem et furere crederes, et lascivire. Conflixerant ante armati exercitus in Urbe, bis L. Sulla, semel Cinna victoribus; nec tunc minus crudelitatis: nunc inhumana securitas, et ne minimo quidem temporis voluptates intermissae; velut festis diebus id quoque gaudium accederet, exsultabant, fruebantur; nulla partium cura, malis publicis laeti. Hist. III, 82, 83.

In adulationem prona, laetatur sceleribus.

Exacto per scelera die, novissimum malorum fuit laetitia. Hist. I, 47.

Corrumpere, et corrumpi laeta.

Accitam lasciviam, ut quod usquam corrumpi et corrumpere queat, in Urbe visatur. Annal. XIV, 20.

Corrumpere et corrumpi, seculum vocatur. De Morib. German. 19.

Atrocibus etiam facilis.

Urbem, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque. Annal. XV, 44.

XI. SENATVS.

Senatus dignitas.

Senatus caput imperii, et decora omnium provinciarum. Hist. I, 84.

Senatus populusque, nunquam obscura nomina, etsi aliquando obumbrentur. Hist. II, 32.

Eius munia.

Publica negotia, et privatorum maxima apud patres tractabantur. Annal. IV, 6.

Fas fuit senatori, ut de bello aut pace, de vectigalibus et legibus, quibusque aliis res romana continetur, suaderet dissuaderetve. Annal. XIII, 49.

In senatu principis praesidium. Otho milites adloquens, senatum pro se stantem laudat.

Senatus splendore et gloria sordes et obscuritatem Vitellianarum partium praestringimus. Nationes aliquas occupavit Vitellius, imaginem quamdam exercitus habet. Senatus nobiscum est. Sic fit, ut hinc respublica, inde hostes reipublicae constiterint. Quid? vos pulcherrimam hanc Urbem domibus et tectis et congestu lapidum stare creditis? Muta ista et inanima intercidere ac reparari promiscua sunt: aeternitas rerum, et pax gentium, et mea cum vestra salus, incolumitate senatus firmatur. Hunc auspicato a parente et conditore Urbis nostrae institutum, et a regibus usque ad principes continuum et immortalem, sicut a maioribus accepimus, sic posteris tradamus. Nam, ut ex vobis senatores, ita ex senatoribus principes nascuntur. Hist. I, 84.

Nec sine gratia, nec sine severitate sit.

Senatum neque gratiae, neque severitatis expertem haberi par *est*. Annal. I, 25.

Senatum dedecet servitus.

Memoriae proditur, Tiberium, quotiens curia egrederetur, graecis verbis in hunc modum eloqui solitum: *O homines ad servitutem paratos!* scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam proiectae servientium patientiae taedebat. Annal. III, 65.

Quandoque nocet multitudo.

Iudice ab uno facilius discerni: odium et invidiam apud multos valere. Annal. III, 10.

XII. LEGES.

Legum initia.

Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine poena aut coërcitionibus, agebant: neque praemiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur; et ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At postquam exui aequalitas, et pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat, provenere dominationes, multosque apud populos aeternum mansere. Quidam statim, aut postquam regum pertaesum, leges maluerunt. Hae primo rudibus hominum animis simplices erant. Annal. III, 26.

Qui leges apud Romanos sanxere?

Nobis Romulus, ut libitum, imperitaverat: dein Numa religionibus et divino iure populum devinxit; repertaque quaedam a Tullo et Anco; sed praecipuus Servius Tullius sanctor legum fuit, quis etiam reges obtemperarent. Annal. III, 26.

Pulsis regibus, statutae a libertate leges.

Pulso Tarquinio, adversum patrum factiones multa populus paravit tuendae libertatis, et firmandae concordiae: creatique decemviri, et accitis quae usquam egregia, compositae duodecim tabulae, finis aequi iuris. Annal. III, 27.

Secutae leges, plerumque discordes ac violentae.

Secutae leges, etsi aliquando in maleficos ex delicto, saepius tamen dissensione ordinum, et apiscendi illicitos

honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava, per vim latae sunt. Annal. III, 27.

Legum malis incassum opem ferre voluit Pompeius.

Cn. Pompeius tertium consul, corrigendis moribus delectus, et gravior remediis quam delicta erant, suarumque legum auctor idem ac subversor, quae armis tuebatur, armis amisit. Annal. III, 28.

Graviora inde mala.

Exin continua per viginti annos discordia, non mos, non ius: deterrima quaeque impune; ac multa honesta exitio fuere. Annal. III, 28.

Quae tandem composuit Augustus.

Sexto demum consulatu Caesar Augustus, potentiae securus, quae triumviratu iusserat, abolevit; deditque iura, quis pace et principe uteremur. Annal. III, 28.

Ne temere ferantur, ne impune transcendantur leges.

Si velis quod nondum vetitum est, timeas ne vetere: at si prohibita impune transcenderis, neque metus ultra, neque pudor est. Annal. III, 54.

Leges in facta constitutae.

Ideo leges in facta constitui, quia futura in incerto sint: sic a maioribus institutum, ut si anteissent delicta, poenae sequerentur. Annal. III, 69.

Culpa, quam poena, tempore prior: emendari, quam peccare, posterius est. Annal. XV, 20.

Egregiae leges ex delictis.

Usu probatum est, leges egregias, exempla honesta apud bonos ex delictis aliorum gigni. Annal. XV, 20.

In poenis ius et modus.

Esse poenas legibus constitutas, quibus sine iudicum

saevitia, et temporum infamia, supplicia decernerentur. Annal. XIV, 48.

Non quidquid nocens reus pati mereretur, id egregio sub principe, et nulla necessitate obstricto senatu, statuendum. Annal. XIV, 48.

Legum severitatem excusat utilitas publica.

Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur. Annal. XIV, 44.

Quando multae leges?

Corruptissima republica, plurimae leges. Annal. III, 27.

Ut antehac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur. Annal. III, 25.

Acria initia, incuriosus finis.

Acribus, ut ferme talia, initiis, incurioso fine. Annal. VI, 17.

Ubi invalida legum auxilia?

Invalido legum auxilio, quae vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur. Annal. I, 2.

XIII. POPVLVS.

Qualis populi romani animus.

Imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem. Hist. I, 16.

Eius studia.

Populus novarum rerum cupiens pavidusque. Annal. XV, 46.

Rivalitate gaudet.

Neminem sine aemulo sinit. Annal. XIV, 29.

Vulgi mores.

Vulgus credulum. Hist. IV, 49.

Fingendi avidum. Hist. II, 1.

Pronum ad suspiciones. Hist. II, 21.

Ad deteriora promptum. Annal. XV, 64.

Cuiuscunque motus novi cupidum. Hist. I, 80.

Mutabile subitis, et tam pronum in misericordiam, quam immodicum saevitia. Hist. I, 69.

Sine rectore praeceps, pavidum, socors. Hist. IV, 37.

Ignavum, et nihil ultra verba ausurum. Hist. III, 58.

Vacuum curis, et sine falsi verique discrimine solitas adulationes edoctum. Hist. II, 90.

Cupiens voluptatum, et si eodem princeps trahat, laetum. Annal. XIV, 14.

Vulgus in iudiciis praeceps.

Mos vulgo, quamvis falsis reum subdere. Annal. I, 39.

Fortuitis etiam abutitur.

Qui mos vulgo, fortuita ad culpam trahentes. Annal. IV, 64.

Natura et Fortuna querulum.

Octavia, Neronis uxor, in Campaniam pulsa est. Inde crebri questus, nec occulti per vulgum, cui minor sapientia, et ex mediocritate fortunae pauciora pericula sunt. Annal. XIV, 60.

De annona unice sollicitum.

Vulgus, alimenta in dies mercari solitum, cui una ex republica annonae cura. Hist. IV, 38.

Extremorum tamen malorum metu moestum.

Duos omnium mortalium impudicitia, ignavia, luxuria deterrimos, velut ad perdendum imperium fataliter electos, non senatus modo et eques, quis aliqua pars et cura reipublicae, sed vulgus quoque palam moerere. Hist. I, 50.

Vulgi audacia, aut pavor.

Fortioribus remediis agendum: nihil in vulgo modicum:

terrere, ni paveant: ubi pertimuerint, impune contemni. Annal. I, 29.

Quod audacia turbidum, vi coërcendum.

Augustus, rerum potitus, ob magnitudinem populi, ac tarda legum auxilia, sumpsit e consularibus qui coërceret servitia, et quod civium audacia turbidum, nisi vim metuat. Annal. VI, 11.

XIV. COLONIAE.

Condendarum coloniarum optima primum ratio.

Olim universae legiones deducebantur cum tribunis, et centurionibus, et suis cuiusque ordinis militibus, ut consensu et caritate rempublicam efficerent. Annal. XIV, 27.

Postea neglecta est.

Deducebantur ignoti inter se, diversis manipulis, sine adfectibus mutuis, quasi ex alio genere mortalium repente in unum collecti, numerus magis, quam colonia. Annal. XIV, 27.

Quae inde secuta vitia.

Veterani Tarentum et Antium adscripti, non tamen infrequentiae locorum subvenere, dilapsis pluribus in provincias, in quibus stipendia expleverant. Neque coniugiis suscipiendis, neque alendis liberis sueti, orbas sine posteris domos relinquebant. Annal. XIV, 27.

Coloniis infensi hostes.

Britanni sparsos per castella milites consectati, expugnatis praesidiis, ipsam coloniam invasere, ut sedem servitutis. Vit. Agric. 16.

Colonia Camulodunum valida veteranorum manu dedu-

citur in agros captivos, subsidium adversus rebelles, et imbuendis sociis ad officia legum. Annal. XII, 32.

XV. TRIBVTA, VECTIGALIA.

Tributorum necessitas.

Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt. Hist. IV, 74.

Centesimam rerum venalium post bella civilia institutam deprecante populo, edixit Tiberius militare aerarium eo subsidio niti. Annal. I, 78.

Iis provideat princeps.

Ne provinciae novis oneribus turbarentur, utque vetera sine avaritia aut crudelitate magistratuum tolerarent, providebat *Tiberius.* Corporum verbera, ademptiones bonorum aberant. Annal. IV, 6.

Temperandae publicanorum cupidines, non tollenda vectigalia.

Crebris populi flagitationibus immodestiam publicanorum arguentis, dubitavit Nero, an cuncta vectigalia omitti iuberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret. Sed impetum eius, multum prius laudata magnitudine animi, attinuere senatores, dissolutionem imperii docendo, si fructus, quibus respublica sustineretur, deminuerentur; quippe, sublatis portoriis, sequens, ut tributorum abolitio expostularetur : plerasque vectigalium societates a consulibus et tribunis plebis constitutas, acri etiam populi romani tum libertate. Reliqua mox ita provisa, ut ratio quaestuum et necessitas erogationum inter se congruerent. Temperandas plane publicanorum cupidines, ne per tot annos sine querela tolerata, novis acerbitatibus ad invidiam verterent. Annal. XIII, 50.

Parcimonia sit, ne gliscant scelera.

Aerarium si ambitione exhauserimus, per scelera supplendum erit. Annal. II, 38.

Quibusdam populis non tributa, sed viri indicebantur.

Batavi gloriabantur sibi non tributa, sed virtutem et viros indici: proximum id libertati. Hist. V, 25.

Batavis manet honos, et antiquae societatis insigne: nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit: exempti oneribus et collationibus, et tantum in usum procliorum sepositi, velut tela atque arma, bellis reservantur. De Morib. Germ. 29.

Equitum romanorum societatibus agitabantur vectigalia.

Frumenta, et pecuniae vectigales, cetera publicorum fructuum, societatibus equitum romanorum agitabantur. Annal. IV, 6.

XVI. PROVINCIARVM RECTORES.

Provinciae rector domum suam primum coërceat.

Iulius Agricola a se suisque orsus, primam domum suam coërcuit; quod plerisque haud minus arduum est, quam provinciam regere: nihil per libertos servosque publicae rei. Vit. Agric. 19.

Alienae famae consulat.

Rarissima moderatione maluit videri invenisse bonos, quam fecisse. Vit. Agric. 7.

Officiis non peccaturos praeponat.

Officiis et administrationibus potius non peccaturos praeponere, quam damnare, cum peccassent. Vit. Agric. 19.

Vigil sit, ac cautus.

Omnia scire, non omnia exsequi. Vit. Agric. 19.

Moderatus in poena.

Parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare: nec poena semper, sed saepius poenitentia contentus esse. Vit. Agric. 19.

Intempestivis delictorum remediis abstineat.

Felix intempestivis remediis delicta accendebat. Annal. XII, 54.

Nec favorem captet, nec offendat.

Plura saepe peccantur dum demeremur, quam dum offendimus. Annal. XV, 21.

In exigendis tributis aequalis.

Frumenti et tributorum auctionem aequalitate munerum mollire, circumcisis, quae in quaestum reperta, ipso tributo gravius tolerabantur. Vit. Agric. 19.

Idem sit administrationis tenor.

Initia magistratuum nostrorum meliora ferme, finis inclinat. Annal. XV, 21.

Nec necesse est ut emineat, sed par sit negotiis.

Poppaeus Sabinus, modicus originis, principum amicitia consulatum ac triumphale decus adeptus; maximisque provinciis per quatuor et viginti annos impositus, nullam ob eximiam artem, sed quod par negotiis, neque supra erat. Annal. VI, 39.

In Agricola egregium exemplar.

Tempora curarum remissionumque divisa: ubi conventus ac iudicia poscerent, gravis, intentus, severus, et saepius misericors: ubi officio satisfactum, nulla ultra potestatis persona, tristitiam et arrogantiam et avaritiam exuerat; nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut severitas amorem deminuit. Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre, iniuria virtutum fuerit. Vit. Agric. 9.

XVII. MILITIA.

Lectus olim miles, non emptus.

Galbae vox pro republica honesta, ipsi anceps, legi a se militem, non emi. Hist. I, 5.

Voluntario militi non eadem virtus.

Voluntarium militem non eadem virtute ac modestia agere: quia plerumque inopes ac vagi sponte militiam sumunt. Annal. IV, 4.

Non ex commendatione, sed optimus, probetur.

Iulius Agricola non studiis privatis, nec ex commendatione, aut precibus centurionum, milites adscire, sed optimum quemque fidelissimum putare. Vit. Agric. 19.

Aliter subvertitur militiae decus.

Sub Vitellio principe, convulsum castrorum decus: viginti millibus e toto exercitu permixtis magis, quam electis. Hist. II, 94.

Cum milite abstinendum contumelia.

Militi insolens contumeliae animus. Hist. II, 8.

Si iusta orat, ne contradicas.

Preces erant, sed quibus contradici non posset. Hist. IV, 46.

Eius libidinem facilitate ne accendas.

Flaccus multa concedendo, nihil aliud effecerat, quam ut acrius exposcerent, quae sciebant negaturum. Hist. IV, 19.

Decora militis sedes, castra.

Proprium esse militis decus in castris: illam patriam, illos penates. Hist. III, 84.

Extra castra corrumpitur.

Inter paganos corruptior miles. Hist. I, 53.

Segnem ac desidem, et circo ac theatris corruptum militem increpabant. Hist. II, 21.

Emptis praesertim vacationibus depravatur.

Vacationes praestari centurionibus solitas gregarius miles, ut tributum annuum pendebat. Quarta pars manipuli, per commeatus, aut in ipsis castris vaga, dum mercedem centurioni exsolveret, neque modum oneris quisquam, neque genus quaestus pensi habebat; per latrocinia et raptus, aut servilibus ministeriis, militare otium redimebant. Tum locupletissimus quisque miles, labore ac saevitia fatigari, donec vacationem emeret: ubi sumptibus exhaustus, socordia insuper elanguerat, inops pro locuplete, et iners pro strenuo, in manipulum redibat: ac rursus alius atque alius, eadem egestate ac licentia corrupti, ad seditionem et discordias, et ad extremum bella civilia ruebant. Hist. I, 46.

Otho, ne vulgi largitione centurionum animos averteret, ex fisco suo vacationes annuas exsoluturum promisit: rem haud dubie utilem, et a bonis postea principibus perpetuitate disciplinae firmatam. Hist. I, 46.

Pace longa mollescit.

Syria transmotae legiones, pace longa segnes, munia Romanorum aegerrime tolerabant. Annal. XIII, 35.

Satis constitit fuisse in eo exercitu veteranos, qui non stationem, non vigilias inissent; vallum fossamque quasi nova et mira viserent: sine galeis, sine loricis, nitidi et quaestuosi, militia per oppida expleta. Annal. XIII, 35.

Tum pronus est ad discordias.

Quantum hebes ad sustinendum laborem miles, tanto ad discordias promptior. Hist. II, 99.

Et hoste ipso difficilior.

Corbuloni plus molis adversus ignaviam militum, quam contra perfidiam hostium erat. Annal. XIII, 35.

Ducis exemplo et severitate emendatur.

Corbulo, dimissis quibus senecta aut valetudo adversa erat, supplementum petivit. Et habiti per Galatiam ac Cappadociam delectus. Adiectaque ex Germania legio cum equitibus alariis et peditatu cohortium: retentusque omnis exercitus sub pellibus, quamvis hieme saeva adeo, ut obducta glacie, nisi effossa, humus tentoriis locum non praeberet. Ambusti multorum artus vi frigoris, et quidam inter excubias exanimati sunt. Annotatusque miles, qui fascem lignorum gestabat, ita praeriguisse manus, ut oneri adhaerentes, truncis brachiis deciderent. Ipse cultu levi, capite intecto, in agmine, in laboribus, frequens adesse: laudem strenuis, solatium invalidis, exemplum omnibus ostendere. Dehinc, quia duritiam caeli militiaeque multi abnuebant, deserebantque, remedium severitate quaesitum est. Nec enim, ut in aliis exercitibus, primum alterumque delictum venia prosequebatur, sed, qui signa reliquerat, statim capite poenas luebat. Idque usu salubre, et misericordia melius adparuit: quippe pauciores illa castra deseruere, quam ea in quibus ignoscebatur. Annal. XIII, 35.

Divide exercitus, ne corrumpantur.

Longis spatiis discreti exercitus, quod saluberrimum est ad continendam militarem fidem, nec vitiis, nec viribus miscebantur. Hist. I, 9.

Qui infringit virtutem exercitus, perfidiae suspectus est.

Perfidiam meditanti, infringere exercitus virtutem, inter artes erat. Hist. II, 99.

Nec difficilis corrumpi miles.

Piso largitione, ambitu, infimos manipularium iuvando, cum veteres centuriones, severos tribunos demoveret, locaque eorum clientibus suis, vel deterrimo cuique adtribueret, desidiam in castris, licentiam in urbibus, vagum ac lascivientem per agros militem sineret, eo usque corruptionis provectus est, ut sermone vulgi, parens legionum haberetur. Annal. II, 55.

Decumato quoque exercitu, restituitur virtus.

Cohors Romana in Africa coram Tacfarinate terga dederat. L. Apronius magis dedecore suorum, quam gloria hostis anxius, raro ea tempestate, et e vetere memoria facinore, decumum quemque ignominiosae cohortis sorte ductos, fusti necat. Tantumque severitate profectum, ut vexillum veteranorum non amplius quingenti numero easdem Tacfarinatis copias fuderint. Annal. III, 21.

Cum decumatur exercitus, etiam strenui sortiuntur.

Nam et ex fuso exercitu, cum decimus quisque fusti feritur, etiam strenui sortiuntur. Annal. XIV, 44.

Severitatem legis excusat utilitas publica.

Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos, utilitate publica rependitur. Ann. XIV, 44.

Militum obsequio res militaris continetur.

Imus ad bellum. Num omnes nuntios palam audiri, omnia consilia cunctis praesentibus tractari, ratio rerum, aut occasionum velocitas patitur? Tam nescire quaedam milites, quam scire oportet. Ita se ducum auctoritas, sic rigor disciplinae habet, ut multa etiam centuriones tribunosque tantum iuberi expediat. Si, ubi iubeantur, quaerere singulis liceat, pereunte obsequio etiam imperium intercidit. Hist. I, 83.

Parendo potius, commilitones, quam imperia ducum sciscitando, res militares continentur: et fortissimus in ipso discrimine exercitus est, qui ante discrimen quietissimus. Vobis arma et animus sit; mihi consilium, et virtutis vestrae regimen relinquite. Hist. I, 84

Sine obsequio ne prodest quidem virtus.

Obsequium et parendi amor solum partibus Othonianis defuit, cum virtutis haud poeniteret. Hist. II, 19.

Militum vitia.

Miles periculi, quam morae patientior: quippe ingrata, quae tuta ex temeritate spes: omnesque caedes et vulnera et sanguis aviditate praedae pensabantur. Hist. III, 26.

Ignavissimus quisque, et, ut res docuit, in periculo non ausurus, nimii verbis, linguae feroces. Hist. I, 35.

Illi modo cauti ac sapientes, prompti post eventum ac magniloqui erant. Vit. Agric. 27.

XVIII. DVX.

Quae propriae sint ducis artes?

Ratio et consilium, propriae ducis artes. Hist. III, 20.

Divisa inter exercitum ducesque munia: militibus cupidinem pugnandi convenire; duces providendo, consultando, cunctatione saepius, quam temeritate prodesse. Hist. III, 20.

Militum favorem, sed per bonas artes, quaerat.

Militum favorem, ut largitione et ambitione male adquiri, ita per bonas artes haud spernendum. Hist. I, 17.

Nec nocet tempestiva severitas.

Ferunt militem, quia vallum non accinctus, atque alium, quia pugione tantum accinctus foderet, *a Corbulone* morte punitos; quae nimia, et incertum an falso iacta, originem

tamen e severitate ducis traxere; intentumque et magnis delictis inexorabilem scias, cui tantum asperitatis etiam adversus levia credebatur. Annal. XI, 18.

Ducem dedecet socordia.

Silvanus socors bello, et dies rerum verbis bello terens. Hist. III, 50.

Exitiosa est avaritia.

Valens ob lucra et quaestus infamis, eoque alienae etiam culpae dissimulator. Hist. II, 56.

Quae cunctatione peccavit, corrigat virtute.

Si cunctatione deliqui, virtute corrigam. Annal. XV, 2.

Si facundia non adsit, suppleat auctoritas.

Corbulo magna auctoritate, quae viro militari pro facundia erat. Annal. XV, 26.

Consulat, ut valeat.

Omnia inconsulti impetus coepta, initiis valida, spatio languescunt. Hist. III, 58.

Ne nimis consulat.

Fabius Valens, inutili cunctatione, agendi tempora consultando consumpsit: mox utrumque consilium aspernatus, quod inter ancipitia deterrimum est, dum media sequitur, nec ausus est satis, nec providit. Hist. III, 40.

At constans sit in consiliis.

Eludi Parthus tractu belli poterat, si Paeto, aut in suis, aut in alienis consiliis, constantia fuisset. Verum ubi a viris militaribus adversus urgentes casus firmatus erat, rursus, ne alienae sententiae indigus videretur, in diversa ac deteriora transibat. Annal. XV, 10.

Ne sit vanus et pervicax.

Laco, ignarus militarium animorum, consiliique quam-

vis egregii, quod non ipse adferret, inimicus, et adversus peritos pervicax. Hist. I, 26.

Consilia exploret.

Paucis decus publicum curae: plures tuta disserunt. Annal. XII, 48.

Periculo explorantur.

Consilium ab omnibus datum est, periculum pauci sumpsere. Hist. III, 69.

Nocet consiliis aulae distantia.

Ex distantibus terrarum spatiis, consilia post res adferebantur. Hist. III, 8.

Nocent simultates.

Iulius Classicianus, Suetonio discors, bonum publicum privatis simultatibus impediebat. Annal. XIV, 38.

Nocent adflictae res.

In metu consilia prudentium, et vulgi rumor, iuxta audiuntur. Hist. III, 58.

Quod in perditis rebus accidit, omnes praecipere, nemo exsequi. Hist. III, 73.

Cuncta metu extollentes, facili credulitate eorum, qui eadem pavebant. Annal. XV, 11.

Ut evenit in consiliis infelicibus, optima videbantur, quorum tempus effugerat. Hist. I, 39.

Adflictis rebus cito succurrendum.

Vitellius, fractis apud Cremonam rebus, nuntios cladis occultans, stulta dissimulatione remedia potius malorum, quam mala, differebat. Quippe confitenti consultantique supererant spes viresque: cum e contrario laeta omnia fingeret, falsis ingravescebat. Hist. III, 54.

Duci infensa semper adversa.

Iniquissima haec bellorum conditio est: prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur. Vit. Agric. 27.

Infensa saepe et prospera.

Militaris gloriae cupido, ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama, quam ex mala. Vit. Agric. 5.

Sunt quoque ducibus sua vitia.

Rebus secundis etiam egregios duces insolescere. Hist. II, 7.

Non tamen culpanda in duce inania.

Corbulo omnium ora in se *verterat*, corpore ingens, verbis magnificus, et super experientiam sapientiamque, etiam specie inanium validus. Annal. XIII, 8.

Studia militum in Caecinam inclinabant; super benignitatem animi qua promptior habebatur, etiam vigore aetatis, proceritate corporis, et quodam inani favore. Hist. II, 30.

At odiosa est iactantia.

Antonius, nimius commemorandis quae meruisset, alios ut imbelles increpat. Unde paullatim levior viliorque haberi. Hist. IV, 80.

Odiosior et flagitii reus, qui publica ruina sua dedecora operit.

Caecina, decora iuventa, corpore ingens, animi immodicus, scito sermone, erecto incessu, studia militum illexerat. Hunc iuvenem Galba quaestorem in Baetica, impigre in partes suas transgressum legioni praeposuit: mox compertum, pecuniam publicam avertisse, ut peculatorem flagitari iussit. Caecina aegré passus, miscere cuncta et privata vulnera reipublicae malis operire statuit. Hist. I, 53.

Lucilius Bassus Ravennati simul ac Misenensi classibus a Vitellio praepositus, quod non statim praefecturam praetorii adeptus foret, iniquam iracundiam flagitiosa perfidia ulciscebatur. Hist. II, 100.

Tanti flagitii caussae.

Nobis, super insitam levitatem, et, prodito Galba, vilem mox fidem, aemulatione etiam invidiaque, ne ab aliis apud Vitellium anteirentur, pervertisse ipsum Vitellium videntur. Hist. II, 101.

Varia ducum ingenia.

Suetonius Paullinus diligens ac moderatus dux, cunctator natura, et cui cauta potius consilia cum ratione, quam prospera ex casu placerent. Vit. Agric. 5; Hist. II, 25.

Germanicus optimi ducis imago. Suorum animos explorat.

Nocte coepta, egressus augurali, per occulta et vigilibus ignara, comite uno, contectus humeros ferina pelle, adit castrorum vias, adsistit tabernaculis, fruiturque fama sui: cum hic nobilitatem ducis, decorem alius, plurimi patientiam, comitatem, per seria, per iocos eumdem animum laudibus ferrent: reddendamque gratiam in acie faterentur. Annal. II, 13.

Cuncta hostium noverat.

Nihil ex iis Caesari incognitum: consilia, locos, prompta, occulta noverat, astusque hostium in perniciem ipsis vertebat. Annal. II, 20.

Ardua sibi, leviora aliis seponebat.

Quod arduum sibi, cetera legatis permisit. Annal. II, 20.

Eo extincto, dolor.

Indoluere exterae nationes regesque; tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes; visuque et auditu iuxta venerabilis, cum magnitudinem et gravitatem summae fortunae retineret, invidiam et adrogantiam effugerat. Funus sine imaginibus et pompa, per laudes, et memoriam virtutum eius celebre fuit. Et erant qui formam, aetatem, ge-

nus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interiit, Magni Alexandri fatis adaequarent. Nam utrumque corpore decoro, genere insigni, haud multum triginta annos egressum, suorum insidiis externas inter gentes occidisse; sed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, uno matrimonio, certis liberis egisse: neque minus proeliatorem, etiamsi temeritas abfuerit, praepeditusque sit, perculsas tot victoriis Germanias servitio premere: quod si solus arbiter rerum, si iure et nomine regio fuisset, tanto promptius adsecuturum gloriam militiae, quantum clementia, temperantia, ceteris bonis artibus praestitisset. Annal. II, 72, 73.

XIX. PAX.

Bonis artibus indiget.

In turbas ac discordias pessimo cuique plurima vis: pax et quies bonis artibus indigent. Hist. IV, 1.

Eam curet princeps.

Aequitate quam sanguine, caussa quam armis, retinere parta maioribus malueram. Annal. XV, 2.

Firmet sapientia.

Laetiore Tiberio, quia pacem sapientia firmaverat, quam si bellum per acies confecisset. Annal. II, 64.

Honesta sit.

Consuluit inter primores civitatis Nero, bellum anceps, an pax inhonesta placeret. Nec dubitatum de bello. Annal. XV, 25.

Misera pace potius est bellum.

Miseram pacem vel bello bene mutari. Annal. III, 44.

Miseram servitutem falso pacem *vocari*. Hist. IV, 17.

Intuta, quae indecora. Hist. I, 33.

Ex nimia pace periculum.

Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt: idque iucundius, quam tutius fuit; quia inter impotentes et validos falso quiescas: ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. De Mor. Germ. 36.

Ex proeliis pax et securitas.

Langobardos paucitas nobilitat, *quod* plurimis ac valentissimis nationibus cincti, non per obsequium, sed proeliis et periclitando tuti sunt. De Morib. German. 40.

Ea franguntur militares animi, corrumpitur disciplina.

Bello Othoniano motae Urbis curae: nullus ordo metu, aut periculo vacuus: primores senatus aetate invalidi, et longa pace desides; segnis et oblita bellorum nobilitas; ignarus militiae eques; quanto magis occultare et abdere pavorem nitebantur, manifestius pavidi. Nec deerant e contrario, qui ambitione stolida, conspicua arma, insignes equos, quidam luxuriosos apparatus conviviorum et irritamenta libidinum, ut instrumenta belli, mercarentur. Hist. I, 88.

Invisa est nobilitati,

Cui in pace durius est servitium. Annal. XI, 10.

Nec industriam exerit.

Militares artes per otium ignotae; industriosque et ignavos pax in aequo tenet. Annal. XII, 12.

XX. BELLVM.

PRAECIPVAE BELLORVM CAVSSAE.

Opes.

Maximum discrimen, penes quos aurum et opes, praecipuae bellorum caussae. Hist. IV, 74.

Regum gloria.

Sua retinere, privatae domus: de alienis certare, regiam laudem esse. Annal. XV, 1.

Vis.

Id in summa fortuna aequius, quod validius. Ann. XV, 1.

Morum diversitas.

Ex diversitate morum crebra bella. Hist. V, 12.

Bellorum necessitas.

Non ignavia, magna imperia contineri: virorum armorumque faciendum certamen. Annal. XV, 1.

Alii bellum sumunt, alii gerunt.

Sumi bellum etiam ab ignavis, strenuissimi cuiusque periculo geri. Hist. IV, 69.

Quomodo exploranda belli consilia.

Omnes qui magnarum rerum consilia suscipiunt, aestimare debent, an, quod inchoatur, reipublicae utile, ipsis gloriosum, aut promptum effectu, aut certe non arduum sit. Simul ipse, qui suadet, considerandus est, adiiciatne consilio periculum suum; et, si fortuna coeptis adfuerit, cui summum decus adquiratur. Hist. II, 76.

Initia in bellis multum valent.

Ut initia belli provenissent, famam in cetera fore. Hist. II, 20.

Bella taedio moraque saepe corrupta.

Multa bella impetu valida, per taedia et moras evanuisse. Hist. II, 32.

Pecunia quoque corrumpuntur.

Neminem adeo in arma pronum, ut non idem pretium quietis, quam periculi, malit. Hist. IV, 76.

Saepe in trahendo bello magna laus.

Corbulo legiones duas cum Verulano Severo et Vettio Bolano subsidium Tigrani mittit, occulto praecepto, compositius cuncta, quam festinantius agerent: quippe bellum habere, quam gerere, malebat. Annal. XV, 3.

Insidiis utitur Corbulo.

Nec irritae, aut degeneres insidiae fuere adversus transfugam et violatorem fidei. Annal. XI, 19.

Concordia agendum.

Commune periculum concordia propulsandum. Vit. Agricolae, 29.

Rebus turbatis, malum extremum discordia. Ann. IV, 49.

Summa sit annonae cura.

Exercitum sine copiis retineri non posse. Hist. II, 32.

Bellorum egregius finis.

Bellorum egregios fines, quoties ignoscendo transigatur. Annal. XII, 19.

Ita maioribus placitum, quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum: nam triumphos populis regnisque integris adquiri. Annal. XII, 20.

XXI. VICTORIA.

Magnifica sine civium sanguine.

Ingens victoriae decus citra romanum sanguinem bellanti. Vit. Agric. 35.

Provinciarum sanguine quaesita.

Provinciarum sanguine provincias vinci. Hist. IV, 17.

Imperiosa est.

Victoriae rationem non reddi. Hist. IV, 14.

Omnia ei prona.

Omnia prona victoribus. Hist. III, 64.

Ne gliscat tamen temeritas.

Quod inconditam nuper Valentini manum contra spem suam fuderint, alimentum illis ducique temeritatis, Hist. IV, 76.

Diffidat, et victos caveat.

Victores et victos numquam solida pace coalescere. Hist. II, 7.

Haud facile continentur victi.

Metus et terror, infirma vincula caritatis: quae ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient. Vit. Agric. 32.

Animosa etiam est clades.

Plus impetus, maiorem constantiam penes miseros esse. Vit. Agric. 15.

Unde victis spes?

Unicum victis in consensu levamentum. Hist. II, 44.

Ex discordia periculum.

Res adversae discordiam peperere. Hist. IV, 37.

Quando occurrendum discrimini?

Si cadere necesse sit, occurrendum discrimini. Hist. I, 33.

Fortiter cadentibus laus est.

Vitelliani, quamquam numero fatoque dispares, inquietare victoriam, morari pacem, domos arasque cruore foedare..... Multi semianimes super turres et propugnacula moenium exspiravere. Convulsis portis, reliquus globus obtulit se victoribus; et cecidere omnes contrariis vulneribus, versi in hostem: ea cura etiam morientibus decori exitus fuit. Hist. III, 84.

Inest et victis sua maiestas.

Agmen legionum intra Bovillas stetit. Nec cunctatus est Vitellius, seque et cohortes arbitrio victoris permittere. Et miles infelicia arma, haud minus ira, quam metu abiecit. Longus deditorum ordo, septus armatis, per urbem incessit: nemo supplici vultu, sed tristes et truces, et adversum plausus ac lasciviam insultantis vulgi immobiles: paucos erumpere ausos, circumiecti pressere: ceteri in custodiam conditi. Nihil quisquam locutus indignum, et, quamquam inter adversa, salva virtutis fama. Hist. IV, 2.

Temperare victoriae summa laus est et felicitas.

Rem romanam huc satietate gloriae provectam, ut externis quoque gentibus quietem velit. Annal. XII, 11.

XXII. SEDITIONES.

Seditionum caussae.

Cupiditas vel *odium* multos exercitus in discordiam egere. Hist. I, 83.

Parva saepe initia.

Parvo initio, unde nihil timebatur, orta seditio prope urbi excidio fuit. Hist. I, 80.

Etiam ludicra.

Orta seditio, ludicro initio. Hist. II, 68.

E periculo incitamentum.

In eiusmodi consiliis periculosius est deprehendi, quam audere. Vit. Agric. 15.

Principiis obsta.

Modicis remediis primos motus considere. Annal. XIV, 61.

Glisce consiliis.

Incipiens adhuc et nondum adulta seditio, melioribus consiliis flectitur. Hist. I, 31.

Paucorum poena utilis.

Non aliud gliscentis discordiae remedium, quam si unus alterve maxime prompti subvertantur. Annal. IV, 17.

Carptim etiam et singulos punire iuvat.

Quibus aetas et iusta stipendia, dimissi cum honore, alii ob culpam, sed carptim ac singuli: quo tutissimo remedio consensus multitudinis extenuatur. Hist. IV, 46.

In seditionibus difficilis prima vox.

Quod in re tali difficillimum *est*, prima vox; dum animo spes, timor, ratio, casus obversantur. Hist. II, 80.

Ubi erupit, fervet.

Plurimum valet prima indignatio. Hist. I, 33.

Omnium deinde impetus.

Quod in seditionibus accidit, unde plures erant, omnes fuere. Hist. I, 56.

Exemplo vigent.

Legiones solenni kalendarum ianuariarum sacramento pro Galba adactae, multa cunctatione et raris primorum ordinum vocibus: ceteri silentio proximi cuiusque audaciam exspectantes; insita mortalibus natura, propere sequi, quae piget inchoare. Hist. I, 55.

Tunc periculum ex singulis.

Fluxam per discordias militum fidem, et periculum ex singulis. Quid enim profuturas cohortes alasque, si unus alterque praesenti facinori paratum ex diverso praemium petat?..... Facilius universos impelli, quam singulos vitari. Hist. II, 75.

XXIII. BELLA CIVILIA.

Quibus artibus gerantur?

Arma civilia neque parari possunt, neque haberi per bonas artes. Annal. I, 9.

Iis obnoxia nova imperia.

Opportunos magnis conatibus transitus rerum. Hist. I, 21.

Ea aversantur optimi, sectantur pessimi.

Optimus quisque remedium praesentis licentiae *poscit*; vulgus seditionibus et ambitioso imperio *laetum*, per turbas et raptus facilius ad civile bellum *trahitur*. Hist. I, 83.

Sapientibus quietis et reipublicae cura; levissimus quisque et futuri improvidus spe, vana tumens. Multi adflicta fide in pace, ac turbatis rebus alacres, et per incerta tutissimi. Hist. I, 88.

Egestate ac licentia corrupti, ad seditiones et discordias, et, ad extremum, in bella civilia ruebant. Hist. I, 46.

Mobilissimum quemque ingenio, aut pecuniae indigum, et in novas cupiditates praecipitem alliciendo. Hist. I, 24.

Accenduntur facilius, quam temperantur.

Duces partium, accendendo civili bello acres, temperandae victoriae impares: quippe in turbas et discordias pessimo cuique plurima vis: pax et quies bonis artibus indigent. Hist. IV, 1.

In iis multa militis licentia.

Civilibus bellis plus militibus, quam ducibus, licere. Hist. II, 29.

Magna pecuniarum vis.

Pecunias esse belli civilis nervos. Hist. II, 84.

Immensam pecuniam inter civiles discordias ferro validiorem. Hist. II, 32.

Valet primum fortuna.

Initia bellorum civilium fortunae permittenda; victoriam consiliis et ratione perfici. Hist. III, 60.

Valet quoque temeritas.

Nec cunctatione opus, ubi perniciosior sit quies, quam temeritas. Hist. I, 21.

Magnum et famae pondus.

Mucianus, cum expedita manu, socium magis imperii, quam ministrum agens, non lento itinere, ne cunctari videretur, neque tamen properans, gliscere famam ipso spatio sinebat: gnarus modicas vires sibi, et maiora credi de absentibus. Hist. II, 83.

Non ita difficilis consensus.

Facilior inter malos consensus ad bellum, quam in pace ad concordiam. Hist. I, 54.

Bellis civilibus resolvitur severitas disciplinae.

Severitatem disciplinae, in pace inexorabilem, discordiae civium resolvunt, paratis utrimque corruptoribus, et perfidia impunita. Hist. I, 51.

XXIV. FORTVNA.

Instabilis est fortuna.

Magna documenta instabilis fortunae, summaque et ima miscentis. Hist. IV, 47.

Fortunae diffide.

Quanto plura recentium seu veterum revolvo, tanto ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obversantur. Annal. III, 18.

Cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico *dictitabat Tiberius.* Annal. I, 72.

Magna fortuna multum periclitatur.

Magnae fortunae pericula. Annal. IV, 13.

Minus, fortuna mediocris.

Ex mediocritate fortunae, pauciora pericula sunt. Annal. XIV, 60.

Multi fortunam festinatione corrumpunt.

Brutidium, artibus honestis copiosum, et si rectum iter pergeret, ad clarissima quaeque iturum, festinatio exstimulabat, dum aequales, dein superiores, postremo suasmet ipse spes anteire parat: quod multos etiam bonos pessum dedit, qui, spretis quae tarda cum securitate, praematura vel cum exitio properant. Annal. III, 66.

Quibusdam loco virtutum est.

Quibusdam fortuna pro virtutibus fuit. Hist. II, 82.

Male parta, saepe in perniciem vertit.

Laeta ad praesens male parta, mox in perniciem vertere. Hist. III, 6.

Quo quis altiora cupit, eo magis periclitatur.

Esse privatis cogitationibus progressum, et prout velint, plus minusve sumi ex Fortuna: imperium cupientibus nihil medium inter summa et praecipitia. Hist. II, 74.

Vel deliberare crimen est.

Qui deliberant, desciverunt. Hist. II, 77.

ADVERSAE RES,

Molliunt animos.

Sunt molles in calamitate mortalium animi. Ann. IV, 68.

Mentem turbant.

Res adversae consilium *adimunt*. Annal. XI, 32.

Solitudinem faciunt.

Prosperis Vitellii rebus, certaturi ad obsequium, adversam eius fortunam ex aequo detrectabant. Hist. II, 97.

Plerumque sunt intutae.

Ferme intuta sunt adversa. Annal. XII, 36.

Loquaces sunt.

Moesta, ubi semel prorupere, difficilius reticentur. Annal. IV, 69.

Constanter sunt ferendae.

Maiore animo tolerari adversa, quam relinqui: fortes et strenuos, etiam contra fortunam, insistere spei: timidos et ignavos ad desperationem formidine properare. Hist. II, 46.

Levantur prioris fortunae memoria.

Laeta aliqua viderant, et praesentem saevitiam melioris olim fortunae recordatione allevabant. Annal. XIV, 63.

Nimius honos inter secunda, rebus adversis in solatium cessit. Hist. II, 59.

Corruptae oraculorum interpretationibus.

Vulgus, more humanae cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur. Hist. V, 13.

SECVNDAE RES.

Est et secundis rebus discrimen.

Adversas res expertus, cum maxime discam, ne secundas quidem minus discriminis habere. Hist. I, 29.

Explorant animos.

Secundae res acrioribus stimulis animos explorant: quia miseriae tolerantur, felicitate corrumpimur. Hist. I, 15.

Felicitas in socordiam *vertit.* Vit. Agric. 31.

Non e fortuna, sed ex usu fortunae, felicitas aut miseria.

Multos, qui conflictari adversis videantur, beatos; ac plerosque, quamquam magnas per opes, miserrimos; si illi gravem fortunam constanter tolerent, hi prospera inconsulte utantur. Annal. VI, 22.

In brevi fortuna difficilis modus.

Difficilius est temperare felicitati, qua te non putes diu usurum. Hist. II, 47.

Recens fortuna invidiae obnoxia, ni sit modesta.

Insita mortalibus natura recentem aliorum felicitatem aegris oculis introspicere, modumque fortunae a nullis magis exigere, quam quos in aequo videre. Hist. II, 20.

XXV. FAMA.

Virtutem alit.

Optimos mortalium altissima cupere. Annal. IV, 38.

Contemptu famae contemni virtutes. Annal. IV, 38.

In novis coeptis valida.

Magna motae rei fama plurimum in novis coeptis valet. Annal. XV, 59.

Fama in novis coeptis validissima. Annal. XIII, 8.

Negatis honoribus crescit.

Negatus honor gloriam intendit. Annal. IV, 26.

Praefulgebant Cassius atque Brutus, eo ipso quod effigies eorum non visebantur. Annal. III, 76.

Nocet magnitudine.

Magnitudo famae exitio erat. Annal. III, 55.

Penes posteritatem famae arbitrium.

Suum cuique decus posteritas rependit. Annal. IV, 35.

Ex ignoto fama.

Omne ignotum pro magnifico est. Vit. Agric. 30.

Ut quis ex longinquo revenerat, miracula narrabant. Annal. II, 24.

Crescit absentia.

Maiora credi de absentibus. Hist. II, 83.

Inania famae despicienda.

Neque suspiciones imbecillas, aut inania famae pertimescenda. Annal. II, 76.

Nec de rumoribus curandum.

Non ex rumore statuendum. Annal. III, 69.

Relinquendum rumoribus tempus quo senescant. Annal. II, 77.

Nec obstitit falsis Tiberius, donec tempore et spatio vanescerent. Annal. II, 82.

Veritas visu et mora, falsa festinatione et incertis valescunt. Annal. II, 39.

Rumorum mendacia.

Vagus primum et incertus rumor, mox ut in magnis mendaciis, interfuisse se quidam et vidisse, affirmabant, credula fama inter gaudentes et incuriosos. Hist. I, 34.

Atrox est fama erga mortes principum.

Atrociore semper fama erga dominantium exitus. Annal. IV, 2.

Quomodo gliscant vetita?

Occultis primum sermonibus vetita *crebrescunt*, mox

vago sermone apud imperitissimi cuiusque promptas aures, aut rursum apud turbidos, eoque nova cupientes. Annal. II, 39.

Ni caute coërcueris, valescent.

Prohibiti per civitatem sermones, eoque plures: ac, si liceret, vera narraturi, quia vetabantur, atrociora vulgaverant. Hist. III, 54.

Vagis per urbem militibus, qui sermones populi coërcerent; id praecipuum alimentum famae erat. Hist. II, 96.

Secreto quoque crescit fama.

Circumsteterat palatium publica exspectatio magni secreti impatiens, et male coërcitam famam supprimentes augebant. Hist. I, 17.

Nocte etiam praevalet.

Iuvit crudelitatem nox, et promptior inter tenebras adfirmatio. Annal. II, 82.

Cuncta exaggerat.

Cuncta, ut mos famae, in maius credita. Annal. III, 44.

Ex longinquo aucta in deterius adferebantur. Annal. II, 82.

Pessimus, qui fama mala laetatur.

Trionis ingenium, avidum famae malae. Annal. II, 28.

XXVI. MORES.

Magna vis in bonis moribus.

Plus ibi (*apud Germanos*) boni mores valent, quam alibi bonae leges. De Morib. German. 19.

Ut temporum, sunt et morum vices.

Rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur. Annal. III, 55.

Versa republica, versi Romae mores.

Verso civitatis statu, nihil usquam prisci et integri moris. Annal. I, 4.

Sua tamen cuique aetati laus.

Non tamen adeo virtutum sterile seculum, ut non et bona exempla prodiderit. Hist. I, 2.

Nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque aetas multa laudis et artium imitanda posteris tulit. Annal. III, 55.

Æquitate Deum erga bona malaque documenta. Annal. XVI, 33.

Perditis moribus, ridentur vitia.

Apud Germanos nemo vitia ridet : nec corrumpere et corrumpi, seculum vocatur. De Morib. German. 19.

Prava haec exempla durant.

Diutius durant exempla, quam mores. Hist. IV, 42.

Luem hanc maxime invexere Neroniana tempora.

Abolitos paullatim patrios mores, funditus everti per accitam lasciviam, ut quod usquam corrumpi et corrumpere queat, in Urbe visatur, degeneretque studiis externis iuventus, gymnasia et otia, et turpes amores exercendo, principe et senatu auctoribus : qui non modo licentiam vitiis permiserint, sed vim adhibeant. Annal. XIV, 20.

Sint potius ex honesto certamina.

Maneant ex honesto certamina. Annal. III, 55.

XXVII. LVXVS.

Ex opibus rebusque secundis luxus.

Opes, et rerum secundarum luxus. Hist. III, 45.

Est eruditus quidam luxus.

C. Petronio dies per somnum, nox officiis et oblectamentis vitae transigebatur. Utque alios industria, itá hunc ignavia ad famam protulerat; habebaturque non ganeo et profligator, ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu. Ac dicta factaque eius quanto solutiora, et quamdam sui negligentiam praeferentia, tanto gratius in speciem simplicitatis accipiebantur. Proconsul tamen Bithyniae, et mox consul, vigentem se ac parem negotiis ostendit: dein revolutus ad vitia, seu vitiorum imitationem, inter paucos familiarium Neroni adsumptus est, elegantiae arbiter, dum nihil amoenum et molle adfluentia putat, nisi quod ei Petronius adprobavisset. Unde invidia Tigellini, quasi adversus aemulum, et scientia voluptatum potiorem. Annal. XVI, 18.

Pudendus quoque est luxus.

Vitellius euris luxum obtendebat: non parare arma, non adloquio exercitioque militem firmare, non in ore vulgi agere: sed umbraculis hortorum abditus, ut ignava animalia, quibus si cibum suggeras, iacent torpentque, praeterita, instantia, futura pari oblivione dimiserat. Atque illum, in nemore Aricino desidem et marcentem, proditio Lucilii Bassi, ae defeetio classis Ravennatis perculit. Hist. III, 36.

Ex luxu torpor.

Scevino dissoluta luxu mens, et proinde vita somno languida. Annal. XV, 49.

Caecinae ambitio vetus, torpor recens, nimia fortunae indulgentia soluti in luxum. Hist. II, 99.

Quibus rationibus tueatur se luxus.

Auctu imperii adolevisse etiam privatas opes; idque non novum, sed e vetustissimis moribus. Aliam apud Fabricios,

aliam apud Scipiones pecuniam; et cuncta ad rempublicam referri : qua tenui, angustas civium domos, postquam eo magnificentiae venerit, gliscere singulos. Neque in familia et argento, quaeque ad usum parentur, nimium aliquid, aut modicum, nisi ex fortuna possidentis : distinctos senatus, et equitum census, non quia diversi natura, sed ut locis, ordinibus, dignationibus, antistent et aliis, quae ad requiem animi, aut salubritatem corporum parentur : nisi forte clarissimo cuique plures curas, maiora pericula subeunda; delenimentis curarum et periculorum carendum esse. Annal. II, 33.

Invalescente luxu, praevalida orbitas.

Augustus, post Iulias rogationes, incitandis caelibum poenis, et augendo aerario, *legem Papiam Poppaeam* sanxerat : nec ideo coniugia et educationes liberum frequentabantur, praevalida orbitate. Annal. III, 25.

Pecuniae et orbitati ob luxum magna semper vis.

Galvia Crispinilla potens pecunia et orbitate, quae bonis malisque temporibus iuxta valent. Hist. I, 73.

Magnificentia primum eversae domus.

Dites olim familiae nobilium, aut claritudine insignes, studio magnificentiae prolabebantur. Annal. III, 55.

Mox luxu agricultura pessumdata, opes ad externos aut hostes translatae.

Quid enim primum prohibere, et priscum ad morem recidere adgrediar? villarumne infinita spatia, familiarum numerum, et nationes? argenti et auri pondus? aeris tabularumque miracula? promiscuas viris et feminis vestes? atque illa feminarum propria, queis lapidum caussa pecuniae nostrae ad externas aut hostiles gentes transferuntur? Annal. III, 53.

Adversus luxum invalidae sunt leges.

Ne corporis quidem morbos veteres, et diu auctos, nisi per dura et aspera coërceas; corruptus simul et corruptor, aeger et flagrans animus, haud levioribus remediis restinguendus est, quam libidinibus ardescit. Tot a maioribus repertae leges, tot, quas divus Augustus tulit: illae oblivione, hae (quod flagitiosius est) contemptu abolitae, securiorem luxum fecere. Nam si velis quod nondum vetitum est, timeas, ne vetere: at si prohibita impune transcenderis, neque metus ultra, neque pudor est. Annal. III, 54.

Ei quisque intra se medeatur.

Egregie Tiberius: Intra animum medendum est. Nos pudor; pauperes necessitas; divites satias in melius mutat. Annal. III, 54.

Plurimum tamen valet principis exemplum.

Luxus mensae a fine actiaci belli ad ea arma, quis Ser. Galba rerum adeptus est, per annos centum profusis sumptibus exerciti, paullatim exolevere..... Praecipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultû victuque. Obsequium inde in principem, et aemulandi amor, validior quam poena ex legibus et metus. Annal. III, 55.

Valet quoque municipalis parcimonia.

Novi homines e municipiis et coloniis, atque etiam provinciis, in senatum crebro adsumpti, domesticam parcimoniam intulerunt: et quamquam fortuna, vel industria, plerique pecuniosam ad senectam pervenirent, mansit tamen prior animus. Annal. III, 55.

Emendatrix etiam calamitas.

Postquam caedibus saevitum, et magnitudo famae exitio erat, ceteri ad sapientiora convertere. Annal. III, 55.

Qui modus in luxu, florente Urbe, habebatur.

Locupletem ac lautum patremfamiliae, non eo tantum volo tecto tegi, quod imbrem ac ventum arceat, sed etiam quod visum et oculos delectet : non ea solum instrui supellectile, quae necessariis usibus sufficiat; sed sit in apparatu eius et aurum et gemmae, ut sumere in manus, et adspicere saepius liceat. Dialog. de Orat. 22.

XXVIII. SPECTACVLA.

Ex victis gentibus accita spectacula.

A Thuscis accitos histriones, a Thuriis equorum certamina; et, possessa Achaia Asiaque, ludos curatius editos. Annal. XIV, 21.

Nec statim iis certa sedes.

Antea subitariis gradibus, et scena in tempus structa, ludos edi solitos: vel, si vetustiora repetas, stantem populum spectavisse, ne, si consideret, theatro dies totos ignavia continuaret. Annal. XIV, 20.

Mansuram sedem iis primus posuit Cn. Pompeius.

Erant qui Cn. quoque Pompeium incusatum a senioribus ferrent, quod mansuram theatri sedem posuisset. Annal. XIV, 20.

Erumpens theatri licentia legibus sub Tiberio coërcita.

Adversus lasciviam fautorum multa decernuntur, ex queis maxime insignia : Ne domos pantomimorum senator introiret : ne egredientes in publicum equites romani cingerent : aut alibi quam in theatro spectarentur : et spectantium immodestiam exsilio multandi potestas praetoribus fieret. Annal. I, 77.

Ea nondum satis repressa, pulsi sunt histriones Italia.

Variis dehinc et saepius irritis praetorum questibus, postremo Caesar (*Tiberius*) de immodestia histrionum retulit; multa ab iis in publicum seditiose, foeda per domos, tentari: Oscum quondam ludicrum levissimae apud vulgum oblectationis, eo flagitiorum et virium venisse, ut auctoritate patrum coërcendum sit. Pulsi tum histriones Italia. Annal. IV, 14.

Favit, sed postea saevire coactus est Nero.

Ludicram quoque licentiam, et fautores histrionum velut in proelia convertit, impunitate et praemiis, atque ipse occultus, et plerumque coram prospectans: donec discordi populo, et gravioris motus terrore, non aliud remedium repertum est, quam ut histriones Italia pellerentur, milesque theatro rursum adsideret. Annal. XIII, 25.

At ipse histrio in ludorum furorem prorumpit.

Vetus illi copia erat curriculo quadrigarum insistere: nec minus foedum studium cithara ludicrum in modum canere, cum coenaret..... Nec iam sisti poterat, cum Senecae ac Burrho visum, ne utraque pervinceret, alterum concedere: clausumque valle Vaticana spatium, in quo equos regeret, haud promiscuo spectaculo: mox ultro vocari populus romanus, laudibusque extollere, ut est vulgus cupiens voluptatum; et si eodem princeps trahat, laetum. Ceterum evulgatus pudor non satietatem, ut rebantur, sed incitamentum adtulit. Ratusque dedecus amoliri, si plures foedasset, nobilium familiarum posteros, egestate venales in scenam deduxit: quos fato perfunctos, ne nominatim tradam, maioribus eorum tribuendum puto. Nam et eius flagitium est, qui pecuniam ob delicta potius dedit, quam ne delinquerent. Notos quoque equites romanos operas arenae pro-

mittere subegit, donis ingentibus: nisi quod merces ab eo qui iubere potest, vim necessitatis adfert. Annal. XIV, 14.

Mox lascivia Urbem perditum iit.

Instituit ludos, Iuvenalium vocabulo, in quos passim nomina data: non nobilitas cuiquam, non aetas, aut acti honores impedimento, quominus Graeci Latinive histrionis artem exercerent, usque ad gestus modosque haud viriles. Quin et feminae illustres deformia meditari: exstructaque apud nemus, quod navali stagno circumposuit Augustus, conventicula et cauponae et posita veno irritamenta luxus: dabanturque stipes, quas boni necessitate, intemperantes gloria, consumerent. Inde gliscere flagitia et infamia: nec ulla moribus olim corruptis plus libidinum circumdedit, quam illa colluvies. Vix artibus honestis pudor retinetur; nedum, inter certamina vitiorum, pudicitia aut modestia, aut quidquam probi moris reservaretur. Annal. XIV, 15.

Illud dedecus sublatum voluit Vitellius.

Cautum severe, ne equites romani ludo et arena polluerentur. Priores id principes pecunia, et saepius vi, perpulerant: ac pleraque municipia, et coloniae, aemulabantur, corruptissimum quemque adolescentium pretio illicere. Hist. II, 62.

XXIX. VIRTVTES.

Virtus hominis bonum.

Virtutem proprium hominum bonum. Hist. IV, 17.

Fidem, libertatem, amicitiam, praecipua humani animi bona. Hist. I, 15.

Omnibus insita virtutis admiratio.

Eamdem virtutem admirantibus, cui irascebantur. Hist. I, 71.

Quando optime aestimantur virtutes?

Virtutes iisdem temporibus optime aestimantur, quibus facillime gignuntur. Vit. Agric. 1.

Quaedam virtutes odio sunt.

Quaedam immo virtutes odio sunt, severitas obstinata, invictus adversus gratiam animus. Annal. XV, 21.

Virtus ac ferocia subiectorum ingrata imperantibus. Vit. Agric. 31..

Cur infensos habet virtus?

Etiam gloria ac virtus infensos habet, ut nimis ex propinquo diversa arguens. Annal. IV, 33.

Ignotae virtutes reputantur vitia.

Prompti aditus, obvia comitas, ignotae Parthis virtutes, nova vitia. Annal. II, 2.

Non eadem omnibus virtutum incitamenta.

Excitari quosdam ad meliora magnitudine rerum, hebescere alios. Annal. III, 69.

Ipsis virtutibus sit modus.

Inerat *Vitellio* simplicitas ac liberalitas: quae, nisi adsit modus, in exitium vertuntur. Hist. III, 86.

AMICITIA.

Ex fortunae similitudine.

Populi romani imperatoribus magnarumque nationum regibus, primam ex similitudine fortunae amicitiam. Annal. XII, 19.

Constantia morum continentur amicitiae.

Amicitias dum *Vitellius* magnitudine munerum, non constantia morum contineri putat, meruit magis, quam habuit. Hist. III, 86.

CONCORDIA.

Raro stat cum potentia.

Arduum eodem loci potentiam et concordiam esse. Annal. IV, 4.

Disiuncta concordia in iras vertit.

Quae apud concordes vincula caritatis, incitamenta irarum apud infensos erant. Annal. I, 55.

DECORVM.

Varium est pro conditione et fortuna.

Non eadem decora principibus viris et imperatori populo, quae modicis domibus aut civitatibus. Annal. III, 6.

FIDES.

Inter multos raro constat.

Frustra silentium et fidem in tot consciorum animis et corporibus sperari. Annal. XV, 59.

Expugnatur cruciatu, aut praemio.

Cruciatu, aut praemio, cuncta pervia esse. Annal. XV, 59.

INNOCENTIA.

Recenti invidiae diffidat.

Plerumque innocentes recenti invidiae impares. Annal. II, 77.

IVDICIVM.

Iudicii necessitas.

Saepe honestas rerum caussas, ni iudicium adhibeas, perniciosi effectus consequuntur. Hist. I, 83.

MISERICORDIA.

Magnitudine flagitiorum obruitur.

Perculsa Messalina, nulla cuiusquam misericordia, quia flagitiorum deformitas praevalebat. Annal. XI, 32.

MODESTIA.

Omnes decet.

Modestiae fama, neque summis mortalium spernenda est, et a Diis aestimatur. Annal. XV, 2.

In ea laus magna.

Sciant, quibus moris illicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse: obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum reipublicae usum, ambitiosa morte inclaruerunt. Vit. Agric. 42.

MODERATIO ET PRVDENTIA.

Earum vis.

Domitiani vero natura praeceps in iram, et quo obscurior, eo irrevocabilior, moderatione tamen prudentiaque Agricolae leniebatur; quia non contumacia, neque inani iactatione libertatis, famam fatumque provocabat. Vit. Agric. 42.

VENERATIO ERGA PARENTES.

Quae sit?

Ferendas parentum iracundias, et placandum animum. Annal. XIV, 4.

XXX. VITIA.

Ex hominum natura profluunt.

Vitia erunt, donec homines: sed neque haec continua, et meliorum interventu pensantur. Hist. IV, 74.

Multi iis similitudine patrocinantur.

Reperies, qui, ob similitudinem morum, aliena malefacta sibi obiectari putent. Annal. IV, 33.

Evenit inter malos, ut et similes sint. Hist. II, 100.

Quidam quoque vitia pro virtutibus interpretantur.

Vitellius apud severos humilis. Ita comitatem bonitatemque faventes vocabant, quod sine modo, sine iudicio donaret sua, largiretur aliena. Simul, aviditate imperandi, ipsa vitia pro virtutibus interpretabantur. Hist. I, 52.

ADVLATIO.

Quibus inest?

Amicis inesse adulationem. Annal. II, 12.

Ex ea periculum.

Adulatio, moribus corruptis, perinde auceps, si nulla, et ubi nimia est. Annal. IV, 17.

AMBITIO.

Avida et saepe fallax.

Nova et ancipitia praecolere, avida et plerumque fallax ambitio est. Annal. XIV, 22.

ARROGANTIA ET AVARITIA.

Quorum sunt vitia?

Avaritia et arrogantia praecipua validiorum vitia. Hist. I, 51.

AVDACIA.

Flagitia in audaciam ruunt.

Insontibus, innoxia consilia; flagitiis manifestis, subsidium ab audacia petendum. Annal. XI, 26.

Ex desperatione maior.

Desperatione in audaciam accingeretur. Hist. III, 66.

Crescit ex bonorum moestitia.

Praecipuum pessimorum incitamentum, quod boni moerebant. Hist. I, 38.

CONVICIA

Spernenda.

Spreta exolescunt: si irascare adgnita videntur. Annal. IV, 34.

Ex probi viri iracundia, levius tolerantur.

Agricola apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur, ut bonis comis, ita adversus malos iniucundus: ceterum ex iracundia nihil supererat: secretum et silentium eius non timeres: honestius putabat offendere, quam odisse. Vit. Agr. 22.

DELATIONES.

Delatores, foedum hominum genus.

Delatores, genus hominum publico exitio repertum, et poenis nunquam satis coërcitum. Annal. IV, 30.

Invisa eorum praemia.

Nec minus praemia delatorum invisa, quam scelera. Hist. I, 2.

Eorum vita et sors.

Romanus Hispo formam vitae iniit, quam postea celebrem miseriae temporum et audaciae hominum fecerunt: nam egens, ignotus, inquies, dum occultis libellis saevitiae principis adrepit, mox clarissimo cuique periculum facessit; potentiam apud unum, odium apud omnes adeptus, dedit exemplum, quod secuti, ex pauperibus divites, ex contemptis metuendi, perniciem aliis, ac postremum sibi invenere. Annal. I, 74.

FALSITAS.

Quanto maior, tanto blandior.

Interfecto Galba, Othone principe, alium crederes senatum, alium populum: ruere cuncti in castra, anteire proximos, certare cum praecurrentibus, increpare Galbam, laudare militum iudicium, exosculari Othonis manum: quantoque magis falsa erant quae fiebant, tanto plura facere. Hist. I, 45.

Viget et in luctu.

Nulli iactantius moerent, quam qui maxime laetantur. Annal. II; 77.

Non ita viget inter odia.

Falsos in amore, odia non fingere. Annal. VI, 44.

FRAVS.

Quantum ex ea periculum.

Aperta odia armaque palam depelli: fraudem et dolum, obscura, eoque inevitabilia. Hist. IV, 24.

IMPVDICITIA.

Quam exitialis.

Impudicitia magnorum reipublicae malorum initium fecit. Annal, XIII, 45.

Nihil honesti remanet.

Animo per libidines corrupto, nihil honestum inerat. Annal. XI, 37.

In infamiam desinit.

Iam Messalina facilitate adulterorum in fastidium versa, ad incognitas libidines profluebat..... Nomen matrimonii *cum Silio* concupivit, ob magnitudinem infamiae, cuius apud prodigos novissima voluptas est. Annal. XI, 26.

INERTIA.

Ex inertia contemptus.

Invalidum senem *Galbam* T. Vinius et Cornelius Laco, alter deterrimus mortalium, alter ignavissimus, odio flagitiorum oneratum, contemptu inertiae destruebant. Hist. I, 6.

Quando inertia pro sapientia est?

Agricola tribunatus annum quiete et otio transiit, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. Vit. Agric. 6.

INIVRIAE.

In eas proni locupletes provinciales.

Praevalidi provincialium, opibus nimiis ad iniurias minorum elati. Annal. XV, 20.

INVIDIA ET IGNORANTIA RECTI.

Quibus vitium est?

Vitium parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti, et invidiam Vit. Agric. 1.

Minoribus maior aemulandi cura. Hist. IV, 48.

IRA.

Magna ira silet.

Quale magni metus, et magnae irae silentium est. Hist. I, 40.

ODIVM.

Quae sunt odia acerrima?

Acerrima proximorum odia. Hist. IV, 70.

Solita fratribus odia. Annal. IV, 60.

Odiorum caussae acriores, quia iniquae. Annal. I, 33.

Odia sunt ex iniuriis.

Proprium humani ingenii est odisse, quem laeseris. Vit. Agric. 42.

Odia sunt ex beneficiis.

Beneficia eo usque laeta sunt, dum videntur exsolvi posse: ubi multum antevenere, pro gratia odium reditur. Annal. IV, 18.

Tanto proclivius est iniuriae, quam beneficio vicem exsolvere: quia gratia oneri, ultio in quaestu habetur. Hist. IV, 3.

PRODIGENTIA.

Prodigis et mollibus vulgo nihil serii.

Geminius prodigentia opum, ac mollitia vitae amicus Seiano, nihil ad serium. Annal. VI, 14.

PRODITIONES.

Omnibus invisae.

Proditores etiam iis quos anteponunt, invisi sunt. Annal. I, 58.

SCELVS.

Praeceps sceleris votum.

Ad scelus facillime ab eius voto transitur. Hist. I, 22.

Praemiis incitantur scelera.

Summa scelera incipi periculo, peragi cum praemio. Annal. XII, 67.

Valescunt impetu.

Scelera impetu, bona consilia mora valescere. Hist. I, 32.

Valescunt et atrocitate.

Valentinus et Tutor in arma Treveros retrahunt: occisis Herennio ac Numisio legatis, quo minore spe veniae cresceret vinculum sceleris. Hist. IV, 70.

Patrato scelere, eius magnitudo intelligitur.

Perfecto demum scelere, magnitudo eius intellecta est. Annal. XIV, 10.

Scelus inter ancipitia probatum, veris mox pretiis aestimatur. Annal. XI, 26.

Sera tum venia quaeritur.

In poenitentiam versus, seram veniam post scelus quaerebat. Hist. II, 63.

Pro ipsis etiam praemiis odia rependuntur.

Interfecta Agrippina, Neronis iussu, maternae necis patrator Anicetus, levi post admissum scelus gratia, dein graviore odio: quia malorum facinorum ministri, quasi exprobrantes adspiciuntur. Annal. XIV, 62.

Puniendi quoque, qui scelera delegant.

Puniendos rerum atrocium ministros, ubi pretia scelerum adepti, scelera ipsa aliis delegent. Annal. XIII, 43.

Sua sunt sceleribus indicia.

Multa sceleris indicia praeveniunt. Annal. XIV, 44.

Nec semper integri, qui sceleris arguunt.

Factum esse scelus loquuntur, faciuntque. Hist. III, 25.

SEGNITIA.

Vincitur experientia.

Multa experiendo confieri, quae segnibus ardua videantur. Annal. XV, 59.

SVSPICIONES.

Mutuus e suspicionibus timor.

Ut evenit inclinatis ad suspicionem mentibus, cum timeret Otho, timebatur. Hist. I, 85.

TERROR.

Nemo expers terroris.

Etiam fortes viros subitis terreri. Annal. XV, 59.

TIMOR.

Magnus timor suas in poenas atrox.

Quae natura magnis timoribus, deterius credebant, quod evenerat. Annal. XV, 36.

VSVRA.

Semper vetita, semper vigens.

Sane vetus Urbi foenebre malum, et seditionum discordiarumque creberrima caussa: eoque cohibebatur antiquis quoque et minus corruptis moribus..... Multisque plebiscitis obviam itum fraudibus: quae totiens repressae, miras per artes rursum oriebantur. Annal. VI, 16.

VTILITAS PRIVATA.

Omnibus ferme dominatur.

Sua cuique utilitas. Hist. I, 15.

Bono publico antehabetur.

Privato usui bonum publicum postponitur. Annal. VI, 16.

Tanto cautior quanto nocentior.

Pessimus quisque, diffidentia praesentium mutationem pavens, adversus publicum odium, privatam gratiam praeparat. Hist. I, 72.

In Muciano virtutum et vitiorum singulare temperamentum.

Licinius Mucianus, vir secundis adversisque iuxta famosus. Insignes amicitias iuvenis ambitiose coluerat: mox adtritis opibus, lubrico statu, suspecta etiam Claudii iracundia, in secretum Asiae repositus, tam prope ab exsule fuit, quam postea a principe. Luxuria, industria, comitate, arrogantia, malis bonisque artibus mixtus. Nimiae voluptates, cum vacaret; quotiens expedierat, magnae virtutes: palam laudes, secreta male audiebant. Sed apud subiectos, apud proximos, apud collegas, variis illecebris potens: et cui expeditius fuerit tradere imperium, quam obtinere. Hist. I, 10.

XXXI. LITERAE ET ARTES.

Ingenia opprimuntur facilius, quam revocantur.

Natura infirmitatis humanae, tardiora sunt remedia, quam mala: et ut corpora lente augescunt, cito extinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius, quam revocaveris. Vit. Agric. 3.

Subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo; et invisa primo desidia, postremo amatur. Vit. Agric. 3.

Fama in posteros, pulcherrimum studiorum praemium.

Veteres oratores famam in posteros, praemia eloquentiae cogitavere pulcherrima. Annal. XI, 6.

Pretiis tamen fovenda studia.

Sublatis studiorum pretiis, etiam studia peritura. Annal. XI, 7.

Nihil a quoquam expeti, nisi cuius fructus ante providerit. Annal. XI, 7.

Apud Romanos ingeniis multus honor, et magna pretia.

Testis ipse populus, qui auditis in theatro versibus Virgilii, surrexit universus, et forte praesentem spectantemque Virgilium veneratus est, sic quasi Augustum. Dialog. de Orat. 13.

Laudavimus nuper, ut miram et eximiam, Vespasiani liberalitatem, quod quingenta sestertia *Saleio* Basso *poëtae* donasset. Dialog. de Orat. 9.

Marcello Eprio et Crispo Vibio ter millies sestertium *praestitit eloquentia.* Dialog. de Orat. 8.

Eloquentia, cuius numen et caelestis vis multa quidem omnibus exempla edidit, ad quantam usque fortunam homines ingenii viribus pervenerint. Dialog. de Orat. 8.

Per occulta gliscit ingeniorum libido.

Exercent plerique per occultum, atque eo procacius, libidinem ingeniorum Annal. V, 4.

Coërcenda, sed caute.

Veientonis libros exuri iussit *Nero*; conquisitos lectitatosque, donec cum periculo parabantur: mox licentia habendi oblivionem adtulit. Annal. XIV, 50.

Sin minus, crescit celebritas.

Punitis ingeniis, gliscit auctoritas. Annal. IV, 35.

Unde literis et artibus ruina.

Quis enim ignorat, et eloquentiam, et ceteras artes descivisse ab ista vetere gloria, non inopia hominum, sed desidia iuventutis, et negligentia parentum, et inscientia praecipientium, et oblivione moris antiqui? quae mala primum in Urbe nata, mox per Italiam fusa, iam in provincias manant. Dial. de Orat. 28.

XXXII. ARS POLITICA.

Laus eius magna, providentia futurorum.

Tiberius providus futurorum. Annal. VI, 46.

Ambit magis laudari apud posteros, quam penes praesentes.

Tiberio non perinde curae gratia praesentium, quam in posteros ambitio. Annal. VI, 46.

Spernit rumores.

Tiberius spernendis rumoribus validus. Annal. III, 10.

Cuncta ad gloriam vertit.

Cuncta etiam fortuita ad gloriam vertebat. Annal. II, 84.

Obscuritate se tuetur.

Tiberio etiam in rebus quas non occuleret, seu natura, sive adsuetudine, suspensa semper et obscura verba: tunc vero nitenti ut sensus suos penitus abderet, in incertum et ambiguum magis implicabantur. Annal. I, 11.

Vultum, ut expedit, componit.

Nuntiata Galliarum defectione, Tiberius tanto impensius in securitatem compositus, neque loco, neque vultu mutato, sed, ut solitum, per illos dies egit: altitudine animi, an compererat modica esse, et vulgatis leviora? Ann. III, 44.

Ut lateat, ludibria seriis permiscet.

Tiberius ludibria seriis permiscere solitus. Annal. VI, 2.

Ars egregia, dum falsi vacua.

Breve confinium artis et falsi. Annal. IV, 58.

Viget maxime in rebus externis.

Tiberius destinata retinens, consiliis et astu res externas moliri, arma procul habere. Annal. VI, 32.

Viget quoque in bellis.

Tiberium novies a divo Augusto in Germaniam missum plura consilio, quam vi, perfecisse. Annal. II, 26.

Ignota est barbaris.

Barbaris cunctatio, servilis: statim exsequi, regium videtur. Annal. VI, 32.

Valet in republica.

Olim plebe valida, vel cum patres pollerent, noscenda vulgi natura, et quibus modis temperanter haberetur; senatusque et optimatium ingenia, qui maxime perdidicerant, callidi temporum et sapientes credebantur. Annal. IV, 33.

In principatu, quanto magis neglecta, tanto magis studenda.

Converso statu, neque alia re romana, quam si unus imperitet, haec conquiri tradique in rem fuerit: quia pauci prudentia, honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis, discernunt: plures aliorum eventis docentur. Annal. IV, 33.

XXXIII. ELOQVENTIA.

Eius laus.

Eloquentiam bonarum artium principem. Annal. XI, 6.

Ante Neronem principes omnes eloquentia valuere.

Adnotabant seniores primum ex iis, qui rerum potiti essent, Neronem alienae facundiae eguisse. Nam dictator Caesar summis oratoribus aemulus; et Augusto prompta ac profluens, quae deceret principem, eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus, aut consulto ambiguus. Etiam Caii Caesaris turbata mens vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio, quoties meditata dissereret, elegantiam requireres. Nero puerilibus statim annis, vividum animum in alia detorsit. Caelare, pingere, cantus, aut regimen equorum exercere: et aliquando carminibus pangendis, inesse sibi elementa doctrinae ostendebat. Annal. XIII, 3.

Nunquam tamen maior eloquentia, quam ubi plus licentiae.

Magna ista et notabilis eloquentia, alumna licentiae, quam stulti libertatem vocabant, comes seditionum, effrenati populi incitamentum, sine obsequio, sine servitute, contumax, temeraria, arrogans, quae in bene constitutis civitatibus non oritur. Quem enim oratorem Lacedaemonium, quem Cretensem accepimus? quarum civitatum severissima disciplina, et severissimae leges traduntur. Ne Macedonum quidem ac Persarum, aut ullius gentis, quae certo imperio contenta fuerit, eloquentiam novimus. Rhodii quidam, Athenienses plurimi, oratores exstiterunt: apud quos omnia populus, omnia imperiti, omnia, ut sic dixerim, omnes poterant. Dialog. de Orat. 40.

Inde versa romana republica, mutata est eloquentia.

Cassius Severus sordidae originis, maleficae vitae, sed orandi validus. Annal. IX, 21.

Is est, quem primum affirmant flexisse ab illa vetere at-

que directa dicendi via; non infirmitate ingenii, nec inscitia literarum....., sed iudicio et intellectu: vidit namque, cum conditione temporum ac diversitate aurium, formam quoque ac speciem orationis esse mutandam. Dialog. de Orat. 19.

Senecae fuit ingenium amoenum, et temporis eius auribus accommodatum. Annal. XIII, 3.

Quaestuosa eloquentia, infida est.

Ne fidem quidem integram manere, ubi magnitudo quaestuum spectetur. Annal. XI, 6.

Venalis, perfida est.

Nec quidquam publicae mercis tam venale fuit, quam advocatorum perfidia. Annal. XI, 5.

Recens eius usus.

Lucrosae huius et sanguinantis eloquentiae usus recens et malis moribus natus. Dialog. de Orat. 12.

Quid eloquentiam informet?

Infinitus labor, et quotidiana meditatio, et in omni genere studiorum exercitationes. Dialog. de Orat. 30.

Iis artibus, non voce tantum, fama in posteros paratur.

Q. Haterius, familia senatoria, eloquentiae, quoad vixit, celebratae: monimenta ingenii eius haud perinde retinentur. Scilicet impetu magis, quam cura vigebat: utque aliorum meditatio et labor in posterum valescit, sic Haterii canorum illud et profluens cum ipso simul exstinctum est. Annal. XIV, 61.

XXXIV. HISTORIA.

Quod tempus scribendae historiae aptum?

Rara temporum felicitate, ubi sentire quae velis, et quae sentias dicere licet. Hist. I, 1.

Scriptoris munus.

Consilium mihi pauca de Augusto, et extrema tradere: mox Tiberii principatum, et cetera, sine ira et studio, quorum caussas procul habeo. Annal. I, 1.

Mihi Galba, Otho, Vitellius, nec beneficio, nec iniuria cogniti. Dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam, non abnuerim: sed incorruptam fidem professis, nec amore quisquam, et sine odio dicendus est. Hist. I, 1.

Scriptoris vitia, adulatio et malignitas.

Ambitionem scriptoris facile averseris: obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur. Quippe adulationi foedum crimen servitutis, malignitati falsa species libertatis inest. Hist. I, 1.

Scriptoris pericula.

Reperies qui ob similitudinem morum, aliena malefacta sibi obiectari putent: etiam gloria ac virtus infensos habet, ut nimis ex propinquo diversa arguens. Ann. IV, 33.

Historiae materia.

Exsequi sententias haud institui, nisi insignes per honestum, aut notabili dedecore: quod praecipuum munus Annalium reor, ne virtutes sileantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit. Annal. III, 65.

Non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam caussaeque noscantur. Hist. I, 4.

Non sine usu fuerit introspicere illa primo adspectu levia, ex queis magnarum saepe rerum motus oriuntur. Ann. IV, 32.

Exemplis illustretur.

Haec aliaque, ex veteri memoria petita, quotiens res locusque exempla recti, aut solatia mali, posceet, haud absurde memorabimus. Hist. III, 51.

Falsis auditionibus ne inquinetur.

Mihi tradendi arguendique rumoris *Drusum veneno a Tiberio enectum* caussa fuit, ut claro sub exemplo falsas auditiones depellerem, peteremque ab iis, quorum in manus cura nostra venerit, ne divulgata atque incredibilia, avide accepta, veris, neque in miraculum corruptis, antehabeant. Annal. IV, 11.

Germanici mors, non modo apud illos homines, qui tum agebant, etiam secutis temporibus vario rumore iactata: adeo maxima quaeque ambigua sunt, dum alii quoquo modo audita pro compertis habent, alii vera in contrarium vertunt; et gliscit utrumque posteritate. Annal. III, 19.

Vitanda gentilitatis et antiquitatis studia.

Arminius Graecorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur: Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incuriosi. Annal. II, 88.

Quae fuit apud Romanos historiae sors.

Veteris populi romani prospera vel adversa, claris scriptoribus memorata sunt: temporibusque Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrerentur. Tiberii, Caiique, et Claudii, ac Neronis res, florentibus ipsis, ob metum falsae; postquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt. Annal. I, 1.

Dum stetit respublica, res populi romani memorabantur pari eloquentia ac libertate. Postquam bellatum apud Actium, atque omnem potentiam ad unum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia cessere. Simul veritas pluribus modis infracta; primum inscitia reipublicae, ut alienae, mox libidine adsentandi, aut rursus odio adversus dominantes: ita neutris cura posteritatis inter infensos vel obnoxios. Hist. I, 1.

XXXV. PHILOSOPHIA.

Multiplex fuit et discors.

Nero etiam sapientiae doctoribus tempus impertiebat post epulas, utque contraria adseverantium discordiae eruebantur: nec deerant, qui voce vultuque tristi inter oblectamenta regia spectari cuperent. Annal. XIV, 16.

Pervulgata magis stoicorum placita.

Qui sola bona, quae honesta; mala tantum, quae turpia: potentiam, nobilitatem, ceteraque extra animum, neque bonis, neque malis adnumerant. Hist. IV, 5.

Arrogantiae tamen et turbarum accusabantur.

Adsumpta stoicorum arrogantia, sectaque, quae turbidos et negotiorum appetentes faciat. Annal. XIV, 57.

Ista secta Tuberones et Favonios veteri quoque reipublicae ingrata nomina genuit. Ut imperium evertant, libertatem praeferunt: si perverterint, libertatem ipsam adgredientur. Annal. XVI, 22.

Certum magis Egnatii scelus.

Egnatius, cliens hic Sorani, et tunc emptus ad opprimendum amicum, auctoritatem stoicae sectae praeferebat, habitu et ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus, ceterum animo perfidiosus et subdolus, avaritiam ac libidinem occultans. Quae postquam pecunia reclusa sunt, dedit exemplum praecavendi, quomodo fraudibus involutos aut flagitiis commaculatos, sic specie bonarum artium falsos et amicitiae fallaces. Annal. XVI, 32.

Sapientis vera laus, ex sapientia modum retinere.

Memoria teneo, solitum ipsum (*Agricolam*) narrare, se in prima iuventa studium philosophiae acrius, ultra quam concessum romano ac senatori, hausisse; ni prudentia ma-

tris incensum ac flagrantem animum coërcuisset: scilicet sublime et erectum ingenium, pulchritudinem ac speciem excelsae magnaeque gloriae vehementius, quam caute, adpetebat: mox mitigavit ratio et aetas: retinuitque, quod est difficillimum, ex sapientia modum. Vit. Agric. 4.

Falsum philosophiae nomen, mathematici [1].

Mathematici, genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et vetabitur semper, et retinebitur. Hist. 1, 22.

Per illicita et infanda irrepunt.

Multos secreta Poppaeae mathematicos, pessimum principalis matrimonii instrumentum, habuerant. Hist. I, 22.

Illudunt obscuritate.

Cupidine ingenii humani libentius obscura credi. Hist. I, 22.

Saepe Italia pulsi sunt.

Facta et de mathematicis magisque Italia pellendis senatusconsulta. Annal. II, 32.

De mathematicis Italia pellendis factum senatusconsultum atrox et irritum. Annal. XII, 52.

XXXVI. LIBERORVM EDVCATIO.

Plurimum valent parentes et locus.

Cn. Iulii Agricolae mater Iulia Procilla fuit, rarae castitatis: in huius sinu indulgentiaque educatus, per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque

[1] Cum mathematicos hic legeris, ne cogites viros illos geometricarum naturaliumque rerum scientia percelebres, quales omnis aetas, nostra potissimum, tulit, studiorum dignitate et utilitate praestantissimos, sed Chaldaeos, magos, ariolos, aliasque earum superstitionum pestes, qui se mathematicos dixere.

transegit. Arcebat eum ab illecebris peccantium, praeter ipsius bonam integramque naturam, quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuerit, locum graeca comitate et provinciali parcimonia mistum ac bene compositum. Vit. Agric. 4.

Nocet plurimum urbs princeps.

Propria et peculiaria huius urbis vitia pene in utero matris concipi mihi videntur, histrionalis favor, et gladiatorum equorumque studia; quibus occupatus et obsessus animus quantulum loci bonis artibus relinquit? Dialog. de Orat. 29.

Quae apud Romanos valuit egregia educatio?

Suus cuique filius ex casta parente natus, non in cella emptae nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur; cuius praecipua laus erat tueri domum et inservire liberis. Eligebatur autem aliqua maior natu propinqua, cuius probatis spectatisque moribus omnis cuiuspiam familiae soboles committeretur, coram qua neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modo curasque, sed remissiones etiam lususque puerorum sanctitate quadam ac verecundia temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Atiam Augusti matrem, praefuisse educationibus, ac produxisse principes liberos accepimus: quae disciplina ac severitas eo pertinebat, ut sincera et integra, et nullis pravitatibus detorta, uniuscuiusque natura, toto statim pectore adriperet artes honestas, et, sive ad rem militarem, sive ad iuris scientiam, sive ad eloquentiae studium inclinasset, id solum ageret, id universum hauriret. Dialog. de Orat. 28.

Quomodo postea corrupta educatio?

At nunc natus infans delegatur graeculae alicui ancillae, cui adiungitur unus aut alter ex omnibus servis, plerum-

que vilissimus; nec cuiquam serio ministerio accommodatus: horum fabulis et erroribus teneri statim et rudes animi imbuuntur; nec quisquam in tota domo pensi habet, quid coram infante domino aut dicat, aut faciat: quando etiam ipsi parentes nec probitati, neque modestiae parvulos adsuefaciunt, sed lasciviae et dicacitati; per quae paullatim impudentia irrepit et sui alienique contemptus. Dial. de Orat. 29.

Quid in tradendis praeceptis peccatur?

Transeo prima discentium elementa, in quibus et ipsis parum elaboratur: nec in auctoribus cognoscendis, nec in evolvenda antiquitate, nec in notitia vel rerum, vel hominum, vel temporum satis operae insumitur. Dial. de Orat. 29.

Cur multas res docenda est iuventus?

Ipsa multarum artium scientia etiam aliud agentes nos ornat, atque, ubi minime credas, eminet et excellit. Dial. de Orat. 32.

Militaris educationis egregium specimen in Agricola.

Prima castrorum rudimenta in Britannia, Suetonio Paullino, diligenti ac moderato duci adprobavit; electus, quem contubernio aestimaret: nec Agricola licenter, more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt: neque segniter ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam retulit: sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere a peritis, sequi optimos, nihil adpetere iactatione: nihil ob formidinem recusare, simulque anxius et intentus agere. Vit. Agric. 5.

Philosophicae, in Helvidio Prisco.

Helvidius Priscus ingenium illustre altioribus studiis iuvenis admodum dedit: non, ut plerique, ut nomine magnifico segne otium velaret, sed quo firmior adversus fortuita rempublicam capesseret. Hist. IV, 5.

Forensis, in iuvene oratore romano.

Apud maiores nostros iuvenis ille, qui foro et eloquentiae parabatur, imbutus iam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a patre, vel a propinquis, ad eum oratorem, qui principem in civitate locum obtinebat: hunc sectari, hunc prosequi, huius omnibus dictionibus interesse, sive in iudiciis, sive in concionibus adsuescebat, ita ut altercationes quoque excipere, et iurgiis interesse, utque sic dixerim, pugnare in proelio disceret. Magnus ex hoc usus, multum constantiae, plurimum iudicii iuvenibus statim contingebat, in media luce studentibus, atque inter ipsa discrimina, ubi nemo impune stulte aliquid, aut contrarie dicit, quominus et iudex respuat, et adversarius exprobret, ipsi denique advocati adspernentur. Igitur vera statim et incorrupta eloquentia imbuebantur. Dialog. de Orat. 34.

Praematuris honoribus superbiunt adolescentium animi.

Tiberius monuit, ne quis adolescentium animos praematuris honoribus ad superbiam extolleret. Annal. IV, 17.

XXXVII. FEMINAE.

Quomodo apud Germanos feminae septae pudicitia?

Septae pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptae. De Morib. German. 19.

Earum fortitudo.

Apud Germanos, quod praecipuum fortitudinis incitamentum est, non casus, nec fortuita conglobatio, turmam aut cuneum facit, sed familiae et propinquitates; et in pro-

ximo pignora, unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium: hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. Ad matres, ad coniuges vulnera ferunt: nec illac numerare, aut exigere plagas pavent. Cibosque et hortamina pugnantibus gestant. Memoriae proditur, quasdam acies, inclinatas iam et labantes, a feminis restitutas, constantia precum et obiectu pectorum, et monstrata comminus captivitate, quam longe impatientius feminarum suarum nomine timent. De Morib. German. 7, 8.

In Agricola et eius uxore egregium matrimonii exemplum.

Agricola Domitiam Decidianam splendidis natalibus ortam sibi iunxit: idque matrimonium ad maiora nitenti, decus ac robur fuit: vixeruntque mira concordia, per mutuam caritatem, et invicem se anteponendo, nisi quod in bona uxore tanto maior laus, quanto in mala plus culpae est. Vit. Agric. 6.

Romae coërcita feminarum libido.

Gravibus senatus decretis libido feminarum coërcita, cautumque ne quaestum corpore faceret, cui avus, aut pater, aut maritus eques romanus fuisset: nam Vistilia, praetoria familia genita, licentiam stupri apud aediles vulgaverat; more inter veteres recepto, qui satis poenarum adversum impudicas in ipsa professione flagitii credebant. Ann. II, 85.

Ex corruptis moribus, proditiones.

Drusi secreta, corrupta uxore, prodebantur. Ann. IV, 7.

Feminis credulitas ad gaudia.

Facili feminarum credulitate ad gaudia. Ann. XIV, 4.

Constantia in adversis.

Non tamen adeo virtutum sterile seculum, ut non et bona

exempla prodiderit. Comitatae profugos liberos matres, secutae maritos in exsilia coniuges. Hist. I, 3.

Vigente republica, vetitae feminae maritos, qui ob magistratum in provincias proficiscerentur, comitari.

Haud enim frustra placitum olim, ne feminae in socios aut gentes externas traherentur : inesse mulierum comitatui, quae pacem luxu, bellum formidine morentur, et romanum agmen ad similitudinem barbari incessus convertant. Non imbecillum tantum, et imparem laboribus sexum; sed si licentia adsit, saevum, ambitiosum, potestatis avidum. Annal. III, 33.

Id mutatum sub principibus, graviaque inde damna.

Cogitarent ipsi, quotiens repetundarum aliqui arguerentur, plura uxoribus obiectari : his statim adhaerescere deterrimum quemque provincialium : ab his negotia suscipi, transigi : duorum egressus coli, duo esse praetoria ; pervicacibus magis et impotentibus mulierum iussis, quae Oppiis quondam aliisque legibus constrictae, nunc vinclis exsolutis, domos, fora, iam et exercitus regerent. Ann. III, 33.

Excusatum tamen et flagrantibus Urbis flagitiis, et feminarum principum exemplis.

Placuisse quondam Oppias leges, sic temporibus reipublicae postulantibus : remissum aliquid postea, et mitigatum, quia expedierit. Frustra nostram ignaviam alia ad vocabula transferri : nam viri in eo culpam, si femina modum excedat : porro ob unius aut alterius imbecillum animum, male eripi maritis consortia rerum secundarum adversarumque. Simul sexum natura invalidum deseri, et exponi suo luxu, cupidinibus alienis : vix praesenti custodia manere illaesa coniugia : quid fore, si per plures annos in modum discidii obliterentur? Sic obviam irent iis quae alibi peccarentur, ut flagitiorum Urbis meminissent. Annal. III, 34.

Addidit pauca Drusus de matrimonio suo: nam principibus adeunda saepius longinqua imperii. Quotiens divum Augustum in Occidentem atque Orientem meavisse, comite Livia? se quoque in Illyricum profectum; et si ita conducat, alias ad gentes iturum, haud semper aequo animo, si ab uxore carissima et tot communium liberorum parente divelleretur. Annal. III, 34.

VARII FEMINARVM PRINCIPVM MORES.

Livia Augusta, sollers femina.

Sanctitate domus, priscum ad morem; comis ultra quam antiquis feminis probatum; mater impotens, uxor facilis, et cum artibus mariti, simulatione filii, bene composita. Ann. V, 1.

Agrippina, Germanici uxor, fortissima.

Ingens animi, pudicitia impenetrabili, aequi impatiens, dominandi avida, virilibus curis feminarum vitia exuerat. Annal. I, 69; IV, 12; VI, 25.

Livia, Germanici soror, uxor Drusi, atrox.

Soror Germanici, formae initio aetatis indecorae, mox pulchritudine praecellebat. Hanc *Seianus*, ut amore incensus, adulterio pellexit: et postquam primi flagitii potitus est (neque femina amissa pudicitia alia abnuerit), ad coniugii spem, consortium regni, et necem mariti impulit. Atque illa cui avunculus Augustus, socer Tiberius, ex Druso liberi, seque ac maiores et posteros municipali adultero foedabat; ut pro honestis et praesentibus, flagitiosa et incerta exspectaret. Annal. IV, 3.

Lepida et Agrippina, Neronis mater, infames.

Nec forma, aetas, opes multum distabant, et utraque impudica, infamis, violenta, haud minus vitiis aemulabantur, quam si qua ex fortuna prospera acceperant. Annal. XII, 65.

Poppaea, sub Nerone, magnorum reipublicae malorum caussa.

Huic mulieri cuncta alia fuere, praeter honestum animum. Quippe mater eius, aetatis suae feminas pulchritudine supergressa, gloriam pariter et formam dederat. Opes claritudini generis sufficiebant. Sermo comis, nec absurdum ingenium: modestiam praeferre, et lascivia uti: rarus in publicum egressus; idque velata parte oris, ne satiaret adspectum, vel quia sic decebat. Famae nunquam pepercit, maritos et adulteros non distinguens: neque adfectui suo aut alieno obnoxia: unde utilitas ostenderetur, illuc libidinem transferebat. Annal. XIII, 45.

Galeria, uxor Vitellii, Sextilia, eius mater, laudatae feminae.

Galeria, imperatoris uxor, non immixta tristibus: et pari probitate, mater Vitelliorum, Sextilia, antiqui moris. Dixisse quin etiam, ad primas filii sui epistolas, ferebatur, non Germanicum a se, sed Vitellium genitum. Nec ullis postea fortunae illecebris, aut ambitu civitatis, in gaudium evicta, domus suae tantum adversa sensit. Hist. II, 64.

XXXVIII. FAMILIAE.

Distinguebantur censu.

Distinctos senatus et equitum census, non quia diversi natura, sed ut locis, ordinibus, dignationibus antistent. Annal. II, 33.

Quae a Tiberio levatae aut multatae?

Ut honestam innocentium paupertatem levavit, ita prodigos et ob flagitia egentes movit senatu, aut sponte cedere passus est. Annal. II, 48.

Iuvabat quoque Augustus, ne clarissimae familiae extinguerentur.

M. Hortalus, nepos oratoris Hortensii, illectus a divo Augusto liberalitate decies sestertii ducere uxorem, suscipere liberos, ne clarissima familia extingueretur. Annal. II, 37.

Idem Hortalus, quatuor filiis ante limen curiae adstantibus, ausus in senatu, praesente principe, loco sententiae pecuniam petere, repulsam a Tiberio passus est: leve tamen solamen filiis additum.

Si quantum pauperum est venire huc, et liberis suis petere pecunias coeperint, singuli nunquam exsatiabuntur, respublica deficiet: nec sane ideo a maioribus concessum est egredi aliquando relationem, et quod in commune conducat loco sententiae proferre, ut privata negotia, res familiares nostras hic augeamus, cum invidia senatus et principum, sive indulserint largitionem, sive abnuerint. Non enim preces sunt istuc, sed efflagitatio intempestiva quidem et improvisa, cum aliis de rebus convenerint patres, consurgere, et numero atque aetate liberum suorum urgere modestiam senatus, eandem vim in me transmittere, ac velut perfringere aerarium: quod si ambitione exhauserimus, per scelera supplendum erit. Dedit tibi, Hortale, divus Augustus pecuniam, sed non compellatus, nec ea lege ut semper daretur. Languescet alioqui industria, intendetur socordia, si nullus ex se metus aut spes; et securi omnes aliena subsidia exspectabunt, sibi ignavi, nobis graves.... *Haec cum respondisset Hortalo, addidit Tiberius*, ceterum si patribus videretur, daturum liberis ducena sestertia singulis, qui sexus virilis essent. Egere alii grates; siluit Hortalus, pavore, an avitae nobilitatis etiam inter angustias fortunae retinens: neque miseratus est post-

hac Tiberius, quamvis domus Hortensii pudendam ad inopiam delaberetur. Annal. II, 38.

Fuit etiam severitas sub Claudio principe.

Laudati oratione principis, qui ob angustias familiares ordine senatorio sponte cederent, motique qui remanendo impudentiam paupertati adiicerent. Annal. XII, 52.

Egestas vitiorum ferax.

Ob egestatem et metum ex flagitiis maxima peccandi necessitudo. Annal. III, 40.

Prona in audaciam.

Sullam inopem, unde praecipuam audaciam. Annal. XIV, 57.

Ipse metus paupertatis agit in scelera.

Insigne scelus senatoria audacia admisit Marcellus, Asinio Pollione, proavo clarus, neque morum spernendus habebatur, nisi quod paupertatem praecipuum malorum credebat..... Marcellum memoria maiorum, et preces Caesaris, poenae magis, quam infamiae exemere. Annal. XIV, 40.

Nero prodigis donationibus imperium exhausit, familias non locupletavit.

Sub Galba principe, proxima pecuniae cura: et cuncta scrutantibus iustissimum visum est, inde repeti, unde inopiae caussa erat. Bis et vicies millies sestertium donationibus Nero effuderat. Appellari singulos iussit, decuma parte liberalitatis apud quemque eorum relicta. At illis vix decumae super portiones erant: iisdem erga aliena sumptibus, quibus sua prodegerant, cum rapacissimo cuique ac perditissimo non agri, aut fenus, sed sola instrumenta vitiorum manerent. Exactioni triginta equites romani praepositi; novum officii genus, et ambitu ac numero onero-

sum: ubique hasta et sector et inquieta Urbs auctionibus. Attamen grande gaudium, quod tam pauperes forent, quibus donasset Nero, quam quibus abstulisset. Hist. I, 20.

Vitia et turbarum caussas fecit.

Mortuo Nerone, plebs sordida et circo ac theatris sueta, simul deterrimi servorum, aut qui, adesis bonis, per dedecus Neronis alebantur, moesti et rumorum avidi. Hist. I, 4.

Familiis, quae et usura et usurae remediis laborabant, egregie subvenit Tiberius.

Multi fortunis provolvebantur: eversio rei familiaris dignitatem ac famam praeceps dabat: donec opem tulit Caesar, disposito per mensas millies sestertio, factaque mutuandi copia sine usuris per triennium, si debitor populo in duplum praediis cavisset. Sic refecta fides, et paullatim privati quoque creditores reperti. Annal. VI, 17.

Eadem Tiberii cura in calamitatibus.

Asperrima in Sardianos lues plurimum in eosdem misericordiae traxit: nam centies sestertium pollicitus Caesar, et quantum aerario aut fisco pendebant, in quinquennium remisit. Magnetes a Sipylo, proximi damno ac remedio habiti, Temnios, Philadelphenos.... Hierocaesaream, Myrinam, Cymen, Tmolum, levari idem in tempus tributis, mittique ex senatu placuit, qui praesentia spectaret, refoveretque. Delectus est M. Aletus e praetoriis, ne, consulari obtinente Asiam, aemulatio inter pares, et ex eo impedimentum oriretur. Annal. II, 47.

XXXIX. SERVI, LIBERTI.

Servi, infidum hominum genus.

Fluxa servitiorum fides. Hist. IV, 23.

Tanto magis laudandi, si iis sit fides.

Non tamen adeo virtutum sterile seculum, ut non et bona exempla prodiderit.... Contumax, etiam adversus tormenta, servorum fides. Hist. I, 3.

Liberti sunt serviles.

Libertorum servilia ingenia. Annal. II, 12.

Dominorum fortuna arrogantes.

Libertis quoque ac ianitoribus eius (*Seiani*) notescere, pro magnifico accipiebatur. Annal. VI, 8.

Adulationibus corrupti.

Pallanti praetoria insignia, et centies quinquagies sestertium censuit consul designatus Barea Soranus: additum a Scipione Cornelio, grates publice agendas, quod regibus Arcadiae ortus, veterrimam nobilitatem usui publico postponeret, seque inter ministros principis habere sineret. Adseveravit Claudius, contentum honore Pallantem, intra priorem paupertatem subsistere. Et fixum est aere publico senatusconsultum, quo libertinus sestertii ter millies possessor, antiquae parcimoniae laudibus cumulabatur. Annal. XII, 53.

Imperiosi.

Claudius libertos, quos rei familiari praefecerat, sibique et legibus adaequavit. Annal. XII, 60.

Vani.

Nam et hi malis temporibus partem se reipublicae faciunt. Annal. I, 76.

Venales.

Adferebant venalia cuncta praepotentes liberti. Hist. I, 7.

In Tigellino magnum documentum quam foeda obscuris pravisque hominibus studia, fortuna, sors.

Sophonius Tigellinus, obscuris parentibus, foeda pue-

ritia, impudica senecta, praefecturam vigilum et praetorii, et alia praemia virtutum, quia velocius erat vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde avaritiam, et virilia scelera exercuit, corrupto ad omne facinus Nerone, quaedam ignaro ausus, ac postremo eiusdem desertor ac proditor. Unde non alium pertinacius ad poenam flagitavere, diverso adfectu, quibus odium Neronis inerat, et quibus desiderium. Apud Galbam T. Vinii potentia defensus, praetexentis servatam ab eo filiam; et haud dubie servaverat, non clementia (quippe tot interfectis), sed effugio in futurum, quia pessimus quisque diffidentia praesentium mutationem pavens, adversus publicum odium privatam gratiam praeparat: unde nulla innocentiae cura, sed vices impunitatis. Eo infensior populus, addita ad vetus Tigellini odium recenti T. Vinii invidia: concurrere e tota Urbe in palatium ac fora, et ubi plurima vulgi licentia, in circum ac theatra effusi, seditiosis vocibus obstrepere: donec Tigellinus, accepto apud Sinuessanas aquas supremae necessitatis nuntio, inter stupra concubinarum et oscula et deformes moras, sectis novacula faucibus, infamem vitam foedavit etiam exitu sero et inhonesto. Hist. I, 72.

XL. VITA.

Egregia vita, quae incorrupta.

Meminissent C. Asinii et Messalae, ac recentiorum Aruntii et Aesernini ad summa provectorum incorrupta vita et facundia. Annal. XI, 6.

Beata, non ex opibus, sed ex morum constantia.

Neque mala, vel bona, quae vulgus putet: multos qui conflictari adversis videantur, beatos; ac plerosque, quamquam magnas per opes, miserrimos: si illi gravem fortunam

constanter tolerent, hi prospera inconsulte utantur. Ann. VI, 22.

Vitae claritatem imminuit nimia vivendi cupido.

Maroboduus consenuit, multum imminuta claritate ob nimiam vivendi cupidinem. Annal. II, 63.

Magni etiam animi spe vitae franguntur.

Super taedium malorum, etiam spe vitae, quae plerumque magnos animos infringit. Hist. V, 26.

Quo duriora sunt tempora, eo magis firmandus animus.

Specta iuvenis.... in ea tempora natus es, quibus firmare animum expediat constantibus exemplis. Annal. XVI, 35.

XLI. MORS.

Vita per virtutem acta, mortis solamen.

Seneca moriens uxorem rogat oratque, temperaret dolori, ne aeternum susciperet, sed in contemplatione vitae per virtutem actae desiderium mariti solatiis honestis toleraret. Annal. XV, 63.

Est mortis distinctio.

Mortem omnibus ex natura aequalem, oblivione apud posteros vel gloria distingui. Hist. I, 21.

Est quoque opportunitas.

Felix Agricola non vitae tantum claritate, sed etiam opportunitate mortis. Vit. Agric. 45.

Vita etiam potior.

Honesta mors turpi vita potior. Vit. Agric. 33.

Virtus morti superstes.

Multos veterum, velut ingloriosos et ignobiles, oblivio obruet: Agricola, posteritati narratus et traditus, superstes erit. Vit. Agric. 46.

Ea non imaginibus, sed moribus exprimitur.

Ut vultus hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt; forma mentis aeterna, quam tenere et exprimere, non per alienam materiam et artem, sed tuis ipse moribus possis. Vit. Agric. 46.

Quae defunctis amicis praestanda.

Non hoc praecipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu: sed quae voluerit, meminisse; quae mandaverit, exsequi. Annal. II, 71.

POLITICORVM FINIS.

INDICES

IN

C. CORN. TACITVM.

LECTORI SALVTEM.

Quum plurima omiserint, vel perperam signaverint, qui nos in publicandis C. TACITI editionibus praecesserunt, statuimus diligenter inspectis et inter se collatis aliorum *indicibus*, formare novum indicem, qui post multas lucubrationes confectus, in duas partes dividitur, quarum prior RES, id est, locorum et hominum nomina, ceteraque TACITO illustrata continet: in altera referuntur VERBA, quae ad auctoris latinitatem, stylumque proprium pertinentia, ab aliis scriptoribus hunc secernunt.

Itaque primus index erit HISTORICUS, seu NOMINUM ET RERUM; secundus VERBORUM, seu LATINITATIS.

N. E. L.

INDEX HISTORICVS

SEV

NOMINVM ET RERVM.

Numeri positi absolute, id est, sine litera librorum initia indicante, ad Annales *referuntur; alii praefixum habentes* H., *ad* Historias; G. *ad* libellum de Moribus Germanorum; A. *ad* Vitam Agricolae; O. *ad* Dialogum de Oratoribus.

B.

C.

D.

G.

I.

L.

N.

O.

Q.

R.

S.

T.

U.

X

Z

INDEX VERBORVM

SEV

LATINITATIS.

esse, H. III, 87; – pro *occupare*, *maturius facere*, IV, 71. – Anteire reditus iustos gravitate sumptuum, XV, 18. – Anteire spes suasmet ipse paratus, *plura appetere*, *quam ante ausus erat sperare*, III, 66. – Anteire vera seu falsa, *mature obviam iis ire*, V, 10. – Anteibat quaestus omnium immanitas Neronis, XIV, 11; – remedia incendium velocitate mali, XV, 38.

Anteponere, *proditores dicuntur ad quos transfugiunt*, I, 58. – Anteponi filio *dicitur adoptatus*, *vivo eo*, XII, 25.

Antevenire beneficia *dicuntur*, *quum sunt maiora iis*, *quae accepimus*, IV, 18.

Antiquarius, O. 21.

Antiquitas valida et laudata, XV, 13; – spectaculorum, *mos priscus*, XIV, 20. – Antiquitatis imaginem praebebat senatui, III, 60. – Specimen unicum antiquitatis, *virtutis antiquae*, III, 4; – cognoscendae (*caussa*) profectus, II, 59.

Anxietas styli, O. 39.

Anxius, *absolute pro rerum novarum et maiorum cupido*, H. IV, 49. – Anxius sui, *vid.* sui; – potentiae, IV, 12. – Anxium iudicium, I, 80. – Anxio edicto increpuit eos, H. IV, 49.

Aperire aciem *dies ortus dicitur*, H. IV, 29; – ambages, XI, 36. – Fama aperiebat, *de oraculo*, II, II, 78; – casum insidiantibus, *vid.* casus; – cunctationes principis, IV, 71. – Aperuit bellum reges et gentes, *notas nobis reddidit*, G. 1, *sic et* A. 22. – Aperuit terras omnes, uti lucem diemque natura hominibus *communes et liberas esse voluit*, H. IV, 64. – Aperire specus, pro *effodere*, G. 16; – Italiam, II, 17; – menses honoris vacuos alicui, H. II, 71. – Si mors Germanici Syriam aperuisset, *scil.* alii praesidi, II, 70. – Casum insidiantibus aperire, IV, 50.

Apertus: in aperto gravia, *opp.* humum infra moliri. – In aperto est, *facile*, *promptum*, H. III, 56. — Apertior in dies fama, H. II, 37; – In aperto pugna, *cominus*, A. 36; *vid.* *notam*.

Apisci artem, *addiscere*, IV, 20; – dominationis, VI, 45; *vid.* *not.* – quaesturam XI, 22, pro *petere*.

Apparatus (epularum) incompti, G. 14.

Appellare: quem militari vocabulo Caligulam appellabant, I, 41. – Appellare, pro *appellandum censere*, IV, 52; – pro *exigere pecuniam*, H. I, 21.

Appositus custodiae, I, 6; II, 68; – mensa, II, 31. – Apposita gubernacula navi, II, 6.

Appressum pectori scutum, II, 21.

Approbare mortem maioribus et posteris, XV, 59.

Appulsu fidissimum oppidum, *vid.* fidus.

Aptior sermone, provisu, dispositque, *melior*, H. II, 5.

Apud pro *a*, I, 9; IV, 62, 72; A. 22; – pro *ad*, I, 42; II, 24; H. II, 51. – Apud aliquem clarus, *qui ei clarus videtur*, H. II, 76. – Apud aures Galbae, H. II, 26. – Apud aures cuiusque crebrescit (*scil. rumor*), *vid.* aures.

sit, ibid. – Nihil arduum sit, ibid. nihil arduum satis.

Arenae operas promittere, XIV, 14. – Per arenam foedari, *opera gladiatoria*, XV, 32; *sic*, H. II, 62, arena pollui. – Arenae disiectae ac vix perviae, II, 61.

Arguere pro *increpare*, *castigare*, XV, 51; II. III, 10; – pro *reprehendere*, I, 9, 40; – ad perniciem, III, 49. – Virtus arguens diversa, IV, 33; *vid. notam*; – Arguere *prave* pro *arcere*, III, 72. – – Argui occupandae reipublicae, VI, 9; – pleraque, VI, 5; – reum criminis, H. I, 48.

Argumentum; in argumentum fabulae assumptus, *ad fidem ei faciendam*, II. II, 72.

Arma pro *bello*, I, 9, 49; III, 55; IV, 25; VI, 23; XV, 1; II. I, 73; H. II, 6, 7, 11; – pro *ipsa pugna*, sive *tumultu*, I, 27. – Arma bellumque Vitellii affirmabant, H. I, 1; *opp.* caussae, *vid.* caussa; et conditionibus, *vid.* conditio. – Arma Lepidi et Antonii cesserunt in Augustum, *exercitus vires ad eum translatae*, I, 2; – coalescunt in atrox bellum, *vid.* coalescere; – interiicere tumultuantibus XII, 54; – interponere certantibus, O. 29; – pro *militibus*, II. II, 32; – obiectare alicui, V, 3; – pertinacia, H. III, 67; – poscebat in Segestem, I, 59; – publica nulla, I, 2; – temperare consilio, I, 67; – victa tractare, II. III, 9; – utraque invitabant, *ad utrasque partes inclinabant*, XIII, 34. – Armorum decora argento insignia, H. I, 57.

Armorum fas, H. IV, 58; — quidquid mali diruitur, *exercitus in provinciis transmarinis*, H. I, 76. – Armorum tumultu truces, IV, 47. — Armis ambire vallum, I, 68. Amisit, quae armis tuebatur, III, 28. – Armis circumsidere, I, 42; – complecti, H. I, 36; *vid. not.* – densa acies (virisque), XIV, 30; – falsis velare externa, II. IV, 32; *v. n.* – lecta iuventus, XII, 40; – legionariis fuere parte sui quinta, III, 48. – Armis laudare aliquem, G. 11; – malle conditiones, XII, 46; – repetita provincia *a Pisone post Germanici mortem*, II, 77; III, 12; – truces, II. I, 40. – Acies telis et armis truces, I, 46.

Armare gladiatores, I, 22; – lixas, II, 78; – plebem, II. I, 40; II. III, 79; – servitia, XIV, 7; H. II, 8; II. III, 79; – triremes, XII, 56. – Armati omnia agunt Germani, G. 11, 13, 22. – Armatorum otiosae manus facile lasciviunt, G. 44.

Arrecta civitas, *avide exspectans*, IV, 11.

Arrepere ad saevitiam principis occultis libellis, I, 74, *vid. not.*

Arripere imaginem principis, III, 36; – suspiciones, *concipere*, XV, 54.

Arrogans minoribus, XI, 21; – moderatio, I, 3; *opp. comi et civili*, I, 3; – mora, *vid.* mora.

Arrogantia tristis, XIII, 2.

Ars accita, *vid.* accitus. – Artem apisci, *vid.* apisci. – Artis eiusdem alii, I, 73: – et falsi breve discrimen, IV, 58.

B

C

D

ficium (suovetaurilia), VI, 37; - se legionibus, *iis obsequi*, I, 31. - Dat contra fortuna, XV, 13; H. I, 65. - Dabant suspicionem in eos literae (principis), VI, 47. - Dabo, cui credas, H. III, 54. - Dari acies media *dicitur iis, qui in ea locantur*, H. IV, 76. - Datur casus, *vid.* casus. - Datus dies, *ortus*, XIII, 40. - Datum ei deducere, *mandatum*, XII, 11; - contumeliae eius, II, 58 (*ut ante*, honori); - secundum eos, *decretum*, IV, 43; - dare exitium alicui, XV, 70.

Dativus pro accusativo cum praepositione ad, III, 31; XV, 24, 40; H. III, 32.

Dativus pro ablativo cum praepositione a, VI, 41.

Dativus quartae in u, I, 10; H. II, 65.

De *aliqua re* creditur, H. I, 34; - cura, H. V, 5; - expedire, H. IV, 48; - ignarus, H. I, 67; - inquirere, XVI, 34. - De controversiis transigitur, II, 65. - De imperatore rapti fisci, *ex eius domo et re*, I, 37. - De Augusto laus, pro *Augusti*, I, 12. - De imperio exire, H. III, 68. - De pecuniis (repetundis) itum ad recuperatores, I, 74. - De populis parta tributa, XI, 10. - De sequentibus plerique, XV, 54.

Debellare hostem, A. 34.

Debilis ingenio, IV, 52; *vid. not.*

Debilitari, *quibus pedes, brachia confracta*, IV, 63.

Decedere in iuga montium, *e proelio*, XII, 35; *vid. not.* - Decedere alicui, III, 31. - Decedit infamia, *tollitur*, XV, 44; sic Hor. *decedit febris.*

Decentior quam sublimior, A. 44.

Decernere caelum alicui, I, 73; - laudes gratesque, H. IV, 39; - religiones caelestes, I, 11. - Mihi decretum est, *certo scio*, A 33.

Deciderunt huc omnia, pro *reciderunt*, III, 59; *vid. not.*

Declinare adversa in inscitiam alterius, XV, 26; - impudicitiam uxoris, *vitare aspectum uxoris impudicae*, VI, 50.

Decoraverunt fidem eorum ut, etc. *tali praemio affecere*, III, 62.

Decorus pro *pulchro*, XII, 4; XIII, 12; XV, 69; - facundia, H. II, 80. - Decora iuventa, H. I, 53. - Decorum genus, VI, 27; - ingenium, I, 1; - pudori suo, I, 12. - Ad decorum imperii composita cuncta, H. I, 71. - Decora decernere, *honorifica*, III, 47.

Decurrere: honori eius cum legionibus decurrit, II, 7.

Decursus cohortium, II, 54; *vid. not.* - in litora, *scil. e montibus*, XII, 55.

Decus avitum recolere, *vid.* recolere. - Decus belli concedit illuc, retinere sibi, *vid.* concedere, retinere. - Decus (ac nobilitatem) adstruere alicui, *vid.* adstruere; - castrorum convulsum, *disciplina corrupta*, H. II, 94; - disciplinae veteris, I, 35; - suum cuique rependit posteritas, *gloriam meritam*, VI, 35; - retinet quisque, *dignitatem cum insignibus*, VI, 37; - triumphale, VI, 10, 39. - In decus unius bellare, H. I, 89. - Decore consulari ac

E.

maiores miserant, II, 67. – Quo exemplo (*scil. usus confirmatus*), literas adiecit, XI, 14. – Sub exemplo excusatius accipiuntur illa, III, 68. – Exempla novissima meritus, *ultimum supplicium*, XII, 20; – provisa, *vid.* providere. – Exemplorum spatium habuere virtutes, A. 8, *exempla edendi*. – Exempla sua in consultores recidisse, VI, 10.

Exercere arva, metalla, portus, A. 31; – bellum, XII, 32; – bella secunda, VI, 31; – cautus et regimen equorum, XIII, 3; – imperium per iniurias matris, XIII, 14; – iudicium et poenas, I, 44; – leges, I, 72; – libidinem ingeniorum, *acerbis scriptis*, V, 4; – cuncta quaestione maiestatis, *omnia crimina et iudicia eo revocare*, IV, 19; – solum, XII, 43; XIII, 54; – veno aliquid, XIII, 51; – vigilantiam moestam et curas malas, III, 37. – Exercitus adulatione, H. IV, 4; – doctrina graeca, XV, 45. – Exercita ad flagitium omne, XIV, 2. – Exercita aestas, I, 17; – militia, I, 35; – potestas magistratuum, *usurpata*, *retenta*, IV, 6. – Exerciti luxus profusis sumptibus, III, 55. – Exercitus tantis rebus, pro *exercitatus*, IV, 11.

Exercitatus pro *vexatus*, A. 5.

Exercitus: exercitum agere in bellum, *vid.* agere; – inferre genti, IV, 73. – Exercitus tractare turbide et seditiose, III, 12. – In exercitibus iisdem habere, I, 81, *de ducibus*.

Exhaurire caedibus fratres, propinquos, etc. XII, 10; – ictu uno rempublicam, A. 44. – Exhausta nox, H. IV, 29. – Exhaustae acie nulla legiones, H. II, 76; – familiae, XI, 25.

Exactor mortis, III, 15.

Exigere diem septimum, III, 16; H. I, 47. – Exactum ab eo, cur, etc. *quaesitum*, II, 85. – Exigere pro *expellere*, I, 35. – Exigere plagas, G. 7.

Eximere aliquem dicendae primo loco sententiae, III, 22; – ignominiae, III, 18; – ludibriis, H. III, 85; – morti, I, 48; – constantiam, I, 32; – consilium, XI, 32. – Exemit nox eos pugnae adversae, I, 64; – dissimulationem, XIII, 15. – Non eximitur iis, quin .... destinentur, *constanter credunt*, VI, 22. – Si quaestio maiestatis eximeretur, *exciperetur*, IV, 6.

Exin pro *deinde*, *de ordine temporis*, XII, 2; – *de ordine rerum*, II, 16.

Exire de imperio, *abdicare*, H. III, 68; – lubricum iuventae, VI, 49. – Exisse (animo) *prave*, pro *haesisse*, II. 1, 47; *vid. not.*

Existere: non crimine existente, non accusatore, XV, 69.

Existimare, pro *inquirere*, H. IV, 8.

Exitium gravissimum, I, 73; – ardescit, ibid. – corripit cuncta, ibid. – irrepit, ibid. – reprimitur, ib. – publicum, *vid.* publicus; – intendere alicui, V, 4; – offerre, IV, 11. – Exitii comes, III, 15; – tanti reus, II, 24; – futuri in Agrippinam series incipit, IV, 52. – Exitio habendus error, VI, 30; – pari reipublicae stetit vignitque, IV, 1. – Exitium sumere, III, 7.

F.

G.

I

III, 8 ; – inter duos tenere, *ad neutrum inclinare*, III, 56. – Integrum se alicui praebere, H. IV, 52. – In integro vita eius est, *nihil adhuc adversus eum tentatum*, H. IV, 50. – Integri a dominatu parthico, VI, 34; – a coniuratione, XV, 52. – Integrae offensiones, III, 24 ; – opes, *opp.* ademptis, XV, 71.

Intellectus : intellectum ac vocabula habent apud Germanos ver, aestas, G. 26; *vid. not.* – Intellectum rerum cognoscere, O. 31 ; – dissimulare alicuius rei, XIII, 38. – Intellectu et iudicio transferre se ad aliquid, O. 19.

Intelligere discrimen (suum), IV, 52 ; – signum mortis, *aliquid ut s. m.* VI, 40. – Intelligere talia, mos illis, H. IV, 83.

Intemerata (a) seditione modestia, I, 49.

Intemperanter accipere nuntium, *nimio gaudio et aperto*, II, 75. – Intemperanter demissa, XIII, 13.

Intemperantia civitatis destinandi multos (imperio), H. II, 1.

Intemperies militum, *immodestia*, H. I, 64.

Intendere gloriam, *augere, cumulare*, IV, 26 ; – largitionem ; H. I, 24 ; H. II, 54 ; – aliquo, *ad consilium applicare animum*, II, 6, – pro *tendere*, III, 37 ; – animum miraculis, II, 61 ; – discrimen capitis alicui, G. 12 ; – exitium, V, 4 ; – lusus (*seu* luxus) principis, XIII, 20 ; – manus, pro *intentare*, IV. 3. XIII, 14 ; – *item pro iniicere alicui velle*, I, 65. – – Intendere metum, I, 28, 39 ; XIII, 47 ; – morem antiquum per saevitiam, *acerbiorem reddere*, XIV, 45 ; – negotiis sese alienis, *immiscere*, XI, 7 ; – probra et minas, III, 36 ; – vera, *ad invidiam augere*, II, 57. – Intendit arcere eos, *conatur*, H. II, 12 : – petere Cremonam, H. II, 22. – prout intendisset animum, pravus aut industrius, H. I, 49. – Intentus ad curas, IV, 67. – Intentus Macedoniae, *de praeside*, V, 10 ; – sermone ac vultu, *cautus*, VI, 50 ; – Numini, *ad sedem Dei conversus*, H. IV, 82. – Intenta cura, IV, 72 ; – custodia, H. IV, 28. – Intentior metu, XVI, 8 ; – pretia alimentorum, H. I, 89. – Intentius adesse ludis, XI, 11.

Intentare manus, I, 27 ; – verberibus, *vid.* verbera ; – probra ac verbera (*om. cui*), XII, 47.

Intentio : suspicatus ex ipsa intentione, *scil. vultus*, O. 14.

Inter, pro *apud*, II, 85 ; IV, 2, 16 ; XI, 10 ; XII, 61 ; H. I, 1, 34 ; – pro *cum*, XV, 23 ; – pro *in*, *cum ablat.* I, 64 ; II, 32, 38 ; XI, 26, 37 ; H. II, 23 ; H. III, 3, 40 ; H. IV, 12 ; – pro *per*, I, 32 ; XIV, 33 ; – *ambiguitati, dubitationi, et varietati exprimendae eleganter inservit*, II, 3, 66 ; IV, 50 ; VI, 46 ; XII, 32 ; H. I, 50 ; H. II, 10, 95 ; H. III, 39 ; H. IV, 59 (*cf. singula verba dubitandi, deliberandi, etc.*) – Inter bona et mala mixtus, VI, 51. – Inter secreta convivii largitur, H. II, 57. – Inter accolas fecunda gens, *scil. ma-*

L.

M.

P.

Q.

R

privata odia publicis utilitatibus remittere, I, 18; – curam alicui (*quam nondum sumpsit, debet tamen obire, si recte velit exsequi munus suum*), *eam non imponere*, III, 55; – eum ut suscipiatur, ad senatum relatum sit, III, 55. – Remissa ignominia, *scil.* militaris, II. I, 52. – Remissum munus, *non acceptum*, H. III, 5. – Nomen remittere, *non usurpare*, H. IV, 11. – Nihil remissum, *omnes intenti*, II, 13. – Remissiones *scil. curarum*, A. 9.

Removeri propinquis suis *scil. ab*, II, 50. – Removere ordine (senatorio), XIII, 11; *vid. not.*

Remus: remis citatae naves, II, 6.

Renidere falsum vultu, IV, 60.

Renovare dextras, *vid.* dexter.

Repellere segnitiam pro *expellere*, II. II, 4.

Rependit posteritas decus suum cuique, IV, 34.

Repens caussa accesserat, XV, 68. – Non repens, sed priori populo factitatum, XI, 24; *vid. not.* – pro *recens add.* VI, 7; *vid. not.*

Repentinum venenum et praeceps, XII, 66. – Repentinis hostibus circumventi, XV, 4.

Reperit hoc Augustus (*scil.* trib. pot.) summi fastigii vocabulum, III, 56. – Reperiebatur in eodem casu (incendii) quae (aedificia) longinqua (remota ab igne), XV, 38. – Reperta coniuratio, *detecta*, XVI, 15. – Repertum ex dignitate populi romani *institutum*, XIII, 31.

Repertor relationis, *auctor*, XII, 53. - Repertor facinorum, IV, 11; *vid. not.*

Repetere amicitiam alicuius, VI, 37; - casum alicuius paucis, *inde a primordio narrare*, III, 4. – Repetere pauca, pro *referre* (*nempe ab initiis rei*), XV, 72; – aliquid altiore initio, *vid.* initium. – Repetita armis provincia, *violenter occupata*, III, 12.

Reponere amissa urbi, XVI, 13; – fora, H. III, 84. – Repositus in secretum Asiae, H. I, 10; – pontem, I, 63.

Reposcere: id Augusta exprobrabat, reposcebat, *scil. imperium*, *ipsi sua ope paratum*, seu *beneficii sibi debiti gratiam referri volebat*, IV, 57; - pecuniam legatam, *poscere, ut debitam*, I, 35.

Reprimere, repressum caput in utero, XV, 45; *vid. not.* – Repressi milites seditiosi duorum supplicio, I, 38.

Repudium dicere, *vid.* dicere.

Repulsam solatur propinqua spes, II, 36.

Reputare pro *putare*, II, 40; – *quaerere, cognoscere*, III, 12.

Reputatio morum novorum veterumque, H. II, 38.

Requies belli, *a bello*, IX, 25.

Requirere acriter rem familiarem (defuncti), *repetere*, XVI, 17; – pro *desiderare, abesse queri*: qui publici funeris pompam requirerent, III, 5.

Res: rei familiari principis impositus, *vid.* imponere; – numariae inopia, VI, 7. – Re dubia, pro *rebus*, IV, 73. – Res attritae Italiae, II. II, 56; – incruentae, XIII, 37;

S.

T.

V

INDICIS VERBORVM FINIS.

TABVLA RERVM

QVAE IN HOC QVINTO VOLVMINE CONTINENTVR

QVINTI ET VLTIMI VOLVMINIS FINIS.







